

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XLIII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Postremo de resurrectionis conditione.* Superius MAGISTER determinavit de sacramentis, hic intendit determinare de finali gloria  
5 ad quam per sacramenta perducitur. Primo ergo determinat de pertinentibus ad resurrectionem, secundo de pertinentibus ad finalem remunerationem, 45 dist. ibi: *Preterea sciendum.* Prima habet duas partes: primo determinat de ipsa resurrectione, secundo de resurgentium qualitate, 44 dist. ibi: *Solent aliqui.* Prima est principalis  
10 lectionis et diuiditur in tres: primo determinat resurrectionis ueritatem; secundo resurrectionis terminum a quo ibi: *Queri solet;* tertio resurgentium modum ibi: *Cumque ex dictis.* Prima habet quatuor partes: primo enim determinat resurrectionis ueritatem, secundo resurrectionis causam ibi: *Causa resurrectionis,* tertio  
15 resurrectionis tempus ibi: *Media autem nocte,* quarto incidenter determinat dubitationem ibi: *Queritur.* Et hec diuiditur in duas: primo mouet dubitationem, secundo soluit, secunda ibi: *Set hec et hiis similia.* Secunda pars principalis, in qua determinat resurrectionis terminum a quo, diuiditur in duas: primo declarat intentum,  
20 secundo explanat quandam dubitationem, prima ibi: *Queri solet,* secunda ibi: *Hiis adiiciendum.*  
[2] Proponit ergo MAGISTER omnem resurrectionem esse futuram ad iussum domini, et quod fideles qui in Christo dormierunt resurgent.

3 Postremo ... conditione] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43 (510-516)

7 Preterea sciendum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45 (523-529)

9 Solent aliqui] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44 (516-522)

11 Queri solet] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 6-7, 1 (514-516)

12 Cumque ... dictis] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 7, 2 (516)

14 Causa resurrectionis] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 2 (511)

15 Media ... nocte] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 3-4 (512-513)

16 Queritur] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 5 (513-514)

17 Set ... 18 similia] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 5, 3 (513-514)

20 Queri solet] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 6 (514-515)

21 Hiis adiiciendum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 7, 1 (515-516)

22 omnem ... 23 resurgent] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 1 (510)

Prima uero causa resurrectionis est uox tube ad quam excitabuntur  
mortui, et ideo tube comparatur, quia manifeste ab omnibus 25  
audietur, propter hoc illa tuba clamor dicitur, uox autem erit Christi  
uel unius uel plurium angelorum. Resurrectionis tempus est ignotum  
propter quod comparatur medie nocti. Dicit tamen MAGISTER quod  
forte tempore noctis fiet, tamen dicitur de die fieri, quia reuelabuntur  
*abscondita cordium*. Deinde queritur utrum boni habeant memoriam 30  
precedentium malorum; et respondet quod habebunt memoriam, ex  
quo tamen in nullo contristabuntur. Deinde dicit incertum esse  
utrum aliqui sine morte ad resurrectionem peruenient uel aliqui uiui  
inueniantur et subito moriantur et sic ad resurrectionem transeant. In  
fine subdit quod omnes resurgent cum membrorum integritate[m], 35  
non tamen cum gloria etc.

### QUESTIO PRIMA

#### VTRVM POSSIT IDEM HOMO RESVRGERE

[I] Circa distinctionem istam primo queritur utrum possit idem  
homo resurgere. Et arguitur quod non, quia plures actiones non  
uidentur posse terminari ad eundem terminum; set generatio 5  
hominis et resurrectio, si sit possibilis, sunt diuerse actiones, ut de se  
patet; ergo non possunt terminari ad eundem terminum; ergo non  
est possibile quod homo genitus et homo resurgens sint idem homo  
secundum numerum.

24 Prima ... 27 angelorum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 2 (511)

27 Resurrectionis ... 28 nocti] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 3 (512)

29 tamen ... 30 cordium] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 4, 1 (512)

30 utrum ... 32 contristabuntur] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 5 (513-514)

33 utrum ... 34 transeant] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 6-7, 2 (514-516)

35 omnes ... 36 gloria] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 43, 7, 2 (516)

4 plures ... 9 numerum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1 (166ra)

35 integritatem] *coni.*: integritatem  $\pi$

10 [2] Item PHILOSOPHVS dicit II De generatione quod illa  
*quorum substantia deperit non redeunt eadem secundum numerum*; set  
 substantia hominis deperit in eius corruptione uel morte, alias homo  
 non esset uere corruptus seu mortuus; ergo non uidetur quod possit  
 idem homo numero redire.

15 [3] Item non ponitur futura resurrectio nisi propter  
 remunerationem bonorum et punitionem malorum, sicut uidetur  
 APOSTOLVS innuere I Cor. 15 dicens: *Si enim tantum in hac uita in*  
*Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; set  
 absque resurrectione potest esse remuneratio bonorum et punitio  
 20 malorum; ergo non oportet propter hoc ponere futuram  
 resurrectionem. Assumpta | probatur, quia eadem ratio uidetur de π391rb  
 punitione aliquorum malorum et omnium; set quedam mala  
 puniuntur tantum in anima absque corpore, sicut peccata illorum qui  
 sunt in purgatorio, ubi sunt anime sine corporibus; ergo uidetur  
 25 quod illo modo possint omnia mala sufficienter puniri et bona  
 similiter remunerari.

[4] In contrarium est quod dicitur Iob 19: *Scio quod redemptor*  
*meus uiuit et in nouissimo die de terra surrecturus sum*. Et APOSTOLVS I  
 Cor. 15 probat resurrectionem futuram.

30 [5] Responso. Circa istam questionem procedetur sic, quia primo  
 ostendetur possibilitas resurrectionis hominum, supposito quod in  
 homine non sit alia forma quam anima rationalis et quod illa sit  
 incorruptibilis; et secundo declarabitur quod non solum potest esse,  
 immo quod erit.

35 [6] Primum patet tripliciter: primo, quia *secundum quod habetur*  
*VIII Metaphisice non est alia querenda causa seu ratio quare ex*  
*materia et forma fiat unum preter agens quod introducit formam in*

10 Item ... 14 redire] cf. Thom., *Quodl.*, IV, 3, 2, arg. 1 (325,5-9)

11 quorum ... numerum] *Auct. Ar.*, 5, 51 (171,17-18); cf. Arist., *De gen. et corr.*, II, 11,  
 338b16-17; Auerr., *De gen. et corr.*, II, 70 (162,38-42)

15 non ... 26 remunerari] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1, arg. 3 (272a-b)

17 Si ... 18 hominibus] I *Cor.*, 15,19

27 Scio ... 28 sum] *Job*, 19,25; etiam ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, (166vb);  
 Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1, sed contra 1 (272b)

29 probat ... futuram] cf. I *Cor.*, 15, praecipue uu. 36-53

31 in ... 32 rationalis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, ad 3 (303a); *S.th.*, I, 76, 4, resp.

35 secundum ... 55 forma] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 2, 1<sup>o</sup> (166rb)

36 non ... 38 materia] cf. *Auct. Ar.*, 1, 211 (132,65-133,69); Arist., *Metaph.*, VIII, 6,  
 1045b21-22

materia. *Ex hoc sic arguitur: manentibus principiis essentialibus rei corrupte, scilicet materia et forma, eisdem secundum numerum et agente quod potest illa unire, possibile est rem corruptam eandem numero reparari;* set corrupto homine remanent principia essentialia eius eadem que prius, scilicet materia et forma, et Deus qui potest illa unire; ergo homo corruptus potest idem in numero reparari. Maior patet, quia sicut corruptio compositi est per separationem suarum partium, siue post corruptionem partes remaneant siue non, ita eius reparatio est per hoc quod ab inuicem partes eius reuniuntur, que si ut prius eedem sint, et compositum erit idem quod prius. Minor patet similiter, quia corrupto homine *remanet materia, que est ingenerabilis et incorruptibilis*, sicut dicitur in fine *I P H I S I C O R U M*, *remanet etiam anima* rationalis, que supponitur incorruptibilis et esse sola forma substantialis hominis; *Deus etiam illa potest unire, quia potest omne quod non implicat contradictionem*; formam autem uniri materie non implicat contradictionem, immo habet magnam aptitudinem, cum forma sit de se nata perficere materiam et materia sit de se nata perfici a forma; quare etc.

[7] Set contra rationem istam instatur dupliciter: primo, quia non est eadem res numero ubi non est idem esse numero; set homo reparatus et prius existens non habet idem esse numero; ergo non est idem homo numero. Maior de se patet. Set minor probatur, quia sicut *generatio est de non esse ad esse*, ita *corruptio est ab esse ad non esse*; set in generatione non esse tollitur et esse acquiritur; ergo in corruptione esse tollitur et non esse acquiritur; set esse hominis corrupti non reparatur idem secundum numerum, uel saltem precedens ratio hoc non probat, quia non dicit aliquid idem numero redire nisi per hoc quod partes eius remanent; quare etc.

[8] Secundo sic, quia uidetur quod si illa ratio esset bona, posset dici quod resurrectio posset fieri sola uirtute nature nec requiretetur ad eam aliqua actio Dei preter illam qua Deus conseruat res in esse,

38 manentibus ... 43 reparari] cf. Thom., *Quodl.*, XI, 6, resp. (160,34-161,48)

48 materia ... 49 incorruptibilis] cf. Arist., *Phys.*, I, 9, 192a27-29; *Metaph.*, III, 2, 994b6-7; XII, 3, 1069b35-36; *De gen. et corr.*, I, 4, 320a2-4; cf. etiam *Auct. Ar.*, I, 48 (119,70-71); 6, 261 (195,23-24); 4, 9 (168,49-51); Auerr., *De an.*, III, 36 (497,524-525); *Phys.*, I, 34 (22vaG)

60 generatio ... esse<sup>2]</sup> *Auct. Ar.*, 2, 152 (152,54); cf. Thom., *In Phys.*, V, 2, 654 (323-324); Arist., *Phys.*, V, 1, 225a15-17

corruptio ... esse<sup>4]</sup> *Auct. Ar.*, 2, 153 (152,55); cf. Thom., *In Phys.*, V, 2, 655 (324); Arist., *Phys.*, V, 1, 225a17-20

quia maior est inclinatio forme ad materiam quam inclinatio corporis  
 70 naturalis ad locum suum; set corpus naturale extra locum suum  
 existens, puta graue existens sursum, ad hoc quod descendat  
 deorsum, non requirit aliquid per se mouens, set solum remouens  
 prohibens, ut apparet ex VIII *PHISICORUM*, quia ad naturam  
 grauis conseruatam in esse per se sequitur talis motus remoto  
 75 prohibente; ergo similiter ad hoc quod forma separata a materia, ut  
 anima, reuniatur materie, non requiritur aliquid uniens effectiue et  
 per se quod noua actione uniat ipsam materie, set sufficit conseruatio  
 nature eius, ad quam sequitur talis unio naturaliter remotis  
 dispositionibus contrariis a materia, que prohibebant unionem; iste  
 80 autem remouentur in generatione singulorum hominum; ergo  
 uidetur quod in generatione singulorum hominum anime, que erant  
 separate, naturaliter materie uniantur.

[9] Ad primum argumentum *ISTORVM* dicendum quod non  
 concludit, siue esse sit aliquid additum supra essentiam siue unum  
 85 cum essentia. Si enim sit additum essentie, tunc non competit  
 composito nisi ratione forme; per materiam enim compositum non  
 habet aliquid esse actuale, de quo loquimur, set tantum posse, ita ut  
 materia primo recipiat | formam et mediante forma esse actu, sic π391va  
 90 recipiendi ipsi materie; et hoc modo corrupto homine non  
 corrumpitur esse, set remanet in anima separata, et idem redit anima  
 reunita. Et quod dicitur contra hoc quod per corruptionem esse  
 amittitur, uerum est, non tamen ut omnino non sit, set ut non sit  
 esse compositi, quod corrumpitur. Quod si dicatur quod oportet  
 95 ipsum corrumpi omnino ut non sit, sicut in generatione oportet esse  
 acquiri ita ut de nouo fit, dicendum quod non ualet, quia secundum  
*PHILOSOPHV M XII Metaphisice* cause formales non preexistunt  
 generato (forma enim que est terminus generationis nullo modo  
 preexistit generationi aut genito), post corruptionem tamen nichil  
 100 prohibet aliquam formam remanere, ut *i b i d e m* dicitur; et idem est  
 de esse consequente formam. Et sic patet quod non oportet esse  
 hominis simpliciter corrumpi corrupto homine. Dato etiam quod  
 corrumperetur nec iteraretur idem numero, non propter hoc

70 corpus ... 73 prohibens] cf. Arist., *Phys.*, VIII, 4, 255b13-21; *Auct. Ar.*, 2, 208 (157,39-40)  
 98 forma ... 99 genito] cf. Arist., *Metaph.*, XII, 3, 1070a22; Thom., *In Metaph.*, XII, 3,  
 245<sup>o</sup> (574-575)

sequeretur quod non rediret idem homo numero, quia secundum hanc uiam esse non pertinet ad essentiam, set est aliquid posterius 105 consequens eam; et ideo facta uariatione in esse, non oportet necessario uariationem fieri in essentia. Si autem esse sit idem cum essentia, tunc per resurrectionem redibit idem numero per rationem prius factam, quia esse uel est idem cum materia uel cum forma uel cum toto composito. Set quidquid istorum detur, habetur 110 propositum, quia tam materia quam forma hominis remanent, et compositum etiam idem redit propter idemptitatem partium, quare esse, si sit idem cum composito.

[10] Ad secundum dicendum concedendo totum processum rationis usque ad illud quod dicitur quod in generatione singulorum 115 hominum remouentur ea que impediunt animam separatam uniri materie; hoc enim non est uerum. Licet enim materia prima secundum se nata sit recipere omnem formam, non tamen ut subest uirtuti talis motoris, scilicet uirtuti formatiue, que est in semine; sic enim disponitur solum ad susceptionem anime de nouo create, quia 120 in actionibus naturalibus semper disponitur materia ad formam recipiendam nondum existentem, set de nouo producendam. Cursus enim nature hoc habet quod forma, que est terminus generationis uel cuiuslibet actionis naturalis, non preexistit generationi, ut habetur XII *Metaphisice*. Item si per agens naturale disponeretur 125 materia ad susceptionem anime separate, qua ratione disponeretur ad unam, eadem ratione disponeretur ad aliam et ad quamlibet; non est dicendum quod ad quamlibet, quia qua ratione reciperetur una, eadem ratione omnes, quod non est possibile; ergo ad nullam.

[11] Secunda ratio principalis talis est: *qui potest maius, potest et minus*, in hiis saltem in quibus minus includitur in maiori; *set maius est principia hominis producere et producta unire quam ipsa supponere producta et ipsa unire solum*; hoc enim includitur in primo; set *Deus potuit principia essentialia hominis producere et producta unire*, sicut

117 materia ... 118 formam] cf. *Auct. Ar.*, 2, 46 (144,91-92); Auerr., *Phys.*, I, 66 (39v1) Thom., *S.c.g.*, IV, 89, 4235

materia ... 122 producendam] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1, sol. 3 (276a)

123 forma ... 124 generationi] cf. Arist., *Metaph.*, XII, 3, 1070a22; Thom., *In Metaph.*, XII, 3, 2450 (574-575)

130 qui ... 137 reparare] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 2, 2° (166rb)

135 et fecit in prima rerum creatione; ergo *fortiori ratione potest principia essentialia hominis iam producta et manentia unire, quod est hominem iam corruptum reparare.*

Set contra hoc diceret aliquis quia uidemus quod agens naturale potest producere formam et producendo unire, quam tamen  
 140 productam et preexistentem non potest unire materie; si enim esset aliqua forma substantialis uel accidentalis separata a materia uirtute diuina, agens naturale non posset eam unire materie; ergo dato quod Deus possit principia essentialia hominis producere et producendo unire, non sequitur tamen quod possit ea producta et existentia unire  
 145 ad inuicem.

Et dicendum ad hoc quod non est simile de Deo et agente naturali, quia Deus habet uirtutem super formam, siue sit in materia siue sit separata, agens uero naturale non habet uirtutem super formam separatam a materia, quia omnis actio agentis naturalis circa  
 150 materiam est, et ideo ad ea que sunt a materia separata nullo modo attingit. Ex quo potest sic argui: *nichil potest facere unionem aliquorum, cuius uirtus et actio non attingunt ambo extrema unionis; set uirtus seu actio agentis naturalis non attingit formam a materia separatam, siue sit separata ex natura propria, ut anima humana, siue*  
 155 *uirtute diuina, ut alie forme materiales, siue substantiales siue* π391vb  
 accidentales; uirtus autem et actio diuina se extendunt equaliter ad formam separatam et non separatam; quare uirtus diuina potest unire formam separatam, non autem uirtus naturalis agentis. Quod ergo dictum fuit prius quod maius est producere et producta unire quam  
 160 solum unire preexistentia, uerum est de agente cuius uirtus se extendit ad formam separatam sicut ad non separatam; tunc enim unum includitur in altero, sicut minus in maiori.

[12] Tertia ratio principalis est illa: *non est difficilius animam intellectiuam reunire corpori postquam fuit separata quam si fuisset*  
 165 *producta per se existens ante corpus, quia non minorem ordinem nec minorem inclinationem habet ad corpus anima que iam fuit corpori unita quam si numquam fuisset corpori unita; set Deus potuit animam intellectiuam producere per se existentem antequam fuisset corpori*

146 non ... 158 agentis] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 2, 4° (166va-b)

163 non ... 173 resurrectionem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 2, 3° (166rb-va)

155 materiales] immateriales π

*coniuncta et postea corpori unire*; hoc enim AVGVSTINVS sensit de anima humana primi hominis, scilicet quod fuit producta cum angelis et sexta die in formatione hominis corpori unita; *ergo multo fortius potest Deus animam a corpore separatam corpori reunire, quod est hominem corruptum reparare per resurrectionem*. Patet ergo quod si in homine non sit alia forma substantialis preter animam intellectiuam et illa sit incorruptibilis, quod Deus potest ipsum corruptum eundem numero reparare; et idem esset si in homine esset forma corporeitatis ingenerabilis et incorruptibilis, ut QUIDAM posuerunt. Patet etiam quod talis reparatio non esset naturalis, quamuis esset uia ad naturam, quia esset uia ad formam que potissime dicitur natura, tum quia non esset a principio actiuo naturali, tum quia non esset secundum modum et ordinem naturalem. Et sic patet primum principale.

[13] Quantum ad secundum, scilicet an resurrectio sit de facto futura, tenendum est infallibiliter quod sic, potissime propter auctoritatem Scripture, que hoc dicit in pluribus locis. Potest etiam hoc persuaderi primo ex ordine nature sic: non decet auctorem nature potissimam inter creaturas relinquere imperfectam quoad inclinationem nature; set anima rationalis est una de potissimis et nobilioribus creaturis, utpote ad ymaginem Dei facta; ergo non decet eam imperpetuum remanere imperfectam quoad inclinationem nature; maneret autem imperfecta si semper esset a corpore separata, cum naturaliter appetat uniri corpori, sicut forma materie; ergo decet auctorem nature eam corpori reunire, quod fiet in resurrectione. Secundo patet idem ex ordine diuine iustitie sic: decet diuinam iustitiam ut ille qui meruerit premietur et qui demeruerit puniatur; set meritum et demeritum, licet principaliter consistant in actibus

170 fuit ... 171 unita] cf. Thom., *S.th.*, I, 91, 4, ad 5; 90, 4, resp.; *De pot.*, 4, 2, arg. 22 (112)  
 176 in ... 177 incorruptibilis] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 11, 3, praecipue 54-57 (436-438);  
 Henr. de Gand., *Quodl.*, II, 2 (12,77-90); *Quodl.*, IV, 13 (159,1152-1157); 14 (185-242);  
*Quodl.*, X, 5 (403rZ; 410rD); Guill. de Mara, *Corr.*, 32 (144-145); 86 (359-360); Rob. Kilw.,  
*Litt. ad Petr. de Conflans*, I (615,16-27); II (617,19-20; 618,23-29; 620,12-17); Auerr., *Phys.*, I,  
 63 (38rbD); Thom., *Super Sent.*, I, 8, 5, 2, resp. (229); B. Baudoux, *De forma*, 431-445; R.  
 Greiner, *Die metaphysische Anthropologie*, 43-44; R. Zavalloni, *Richard de Mediavilla*  
 183 an ... 184 sic] cf. *Articuli condempn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 18 (84)  
 184 propter ... 185 locis] cf. e.g. *Iob.*, 6,39-40; *Rom.*, 8,11; I *Cor.*, 15,20-53; II *Cor.*, 5,1-10; I  
*Thess.*, 4,13-17; *Apoc.*, 20,4-6  
 186 non ... 193 resurrectione] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3 (167ra)  
 194 ex ... 205 resurrectionem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3 (166vb-167ra)



ipsius anime, tamen ad hoc operatur totum compositum, quia actiones sunt suppositorum, ad hoc etiam cooperantur uirtutes que sunt totius compositi, ut sensus et fantasia, sine quibus non sunt  
 200 intelligere et uelle, nec per consequens meritum nec demeritum; solus etiam status anime in corpore est status merendi et demerendi, quia post mortem nullum est meritum aut demeritum; ergo decet diuinam iustitiam ut homo premietur uel puniatur, non solum in anima, set etiam in toto composito, quod non potest esse nisi per  
 205 resurrectionem.

[14] Ad primum argumentum dicendum quod plures actiones per quarum quamlibet producitur terminus actionis ita ut sit et non solum ut sit in hoc, non possunt terminari ad eundem terminum numero; set secundum multiplicationem talium actionum est  
 210 multiplicatio terminorum. Si autem sint tales actiones per quarum neutram acquiratur terminus ut sit per se, set solum ut sit in alio uel aliud in ipso, uel si per unam earum acquiratur terminus ut sit, per aliam uero non acquiratur ut sit, set solum ut sit in hoc uel aliud in ipso, tales actiones possunt esse ad eundem terminum numero, sicut  
 215 patet in motibus localibus; quia enim per motum non acquiratur locus ut sit, set solum ut immobile sit in loco, ideo plures motus possunt esse ad eundem locum. Nunc est ita quod generatio et resurrectio sunt tales actiones quod per generationem acquiratur terminus ut sit, siue completiue siue dispositiue, per resurrectionem  
 220 uero non acquiratur ut sit, set solum ut sit in hoc, hoc est ut anima sit in tali materia; et ideo hee due actiones possunt ad eundem terminum numero terminari. Illud autem magis patebit inferius. | π392ra

[15] Ad secundum dicendum quod dictum PHILOSOPHI ueritatem habet in hiis quorum substantia deperit non solum quoad totum  
 225 compositum, set etiam quoad aliquam eius partem, scilicet quoad formam, que per corruptionem cedit in potentiam materie, qualia sunt omnia generabilia et corruptibilia preter hominem. Si autem habeat ueritatem in omnibus generabilibus et corruptibilibus, oportet quod hoc intelligatur quoad actionem nature et non quoad uirtutem  
 230 diuinam, que preter cursum nature multa facere potest.

221 hee ... 222 terminari] cf. infra, 43, 2, praecipue 12 (15)

223 dictum Philosophi] cf. *Auct. Ar.*, 5, 51 (171,17-18); Arist., *De gen. et corr.*, II, II, 338b16-17

[16] Ad tertium dicendum quod finalis et completa remuneratio bonorum et punitio malorum non potest esse in anima solum, set in toto composito. Et quod arguitur de illis qui sunt in purgatorio, qui puniuntur solum in anima, dicendum quod illi non merentur finalem punitionem, cum non sint dampnati simpliciter, set saluandi, 235 puniuntur tamen secundum quid, quatinus sunt debitores alicuius pene citra penam finalem dampnatorum simpliciter, qui punientur in anima et corpore.

### QUESTIO SECVNDA

#### VTRVM ALIQVID CORRVPVTVM POSSIT PER NATVRAM IDEM NVMERO REPARARI

[1] Secundo queritur utrum aliquid corruptum possit per naturam idem numero reparari. Et arguitur quod sic. Nam negatio illa que 5 succedit ad corruptionem rei est eiusdem rationis cum negatione que precedit rei productionem; set illa negatio que precedit generationem rei non impedit eius productionem; ergo nec illa que sequitur impedit quin eadem res producat.

[2] Item uariato posteriori non oportet prius uariari; set unitas rei 10 prior est eius permanentia et permanentia posterior est unitate rei; ergo uariatio in permanentia seu in continuatione durationis, que est per mediam corruptionem inter generationem rei et eius reparationem, non impedit unitatem eius numeralem.

[3] In contrarium est id quod prius allegatum fuit a PHILOSOPHO 15 quod *quorum substantia deperit non possunt eadem numero redire*, saltem uirtute nature, de qua loquitur PHILOSOPHVS.

231 finalis ... 238 corpore] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1, 1, ad 3 (274b)

4 utrum ... 5 reparari] cf. Thom., *Quodl.*, IV, 3, 2 (325); Henr. de Gand., *Quodl.*, VII, 16 (109-115)

5 negatio ... 9 producat] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1 (6b)

10 uariato ... 14 numeralem] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1 (7a-b)

15 prius ... fuit] cf. supra, 43, 1, 2 (3,10-11)

16 quorum ... redire] cf. *Auct. Ar.*, 5, 51 (171,17-18); Arist., *De gen. et corr.*, II, 11, 338b16-17; Auerr., *De gen. et corr.*, II, 70 (162,38-42)

10 uariato] *coni.*: uariatio  $\pi$

[4] Responso. Dicunt QUIDAM quod natura seu agens naturale potest rem corruptam eadem numero reparare. Et rationes istius opinionis sunt ille que tacte sunt in arguendo et preter istas due alie. Quarum prima talis est: manente eadem materia uel subiecto et eodem agente secundum numerum, oportet effectum eundem esse et unum secundum numerum; set idem agens numero quod prius produxit aliquam formam et idem subiectum numero quod prius eam recepit possunt remanere post corruptionem rei et concurrere ad actionem; ergo per talem actionem potest idem numero redire. Maior apparet per PHILOSOPHV M VIII Metaphisice, qui dicit quod diuersitas effectus reducitur in diuersitatem cause efficientis uel materie; ergo ubi nulla potest esse diuersitas ex parte materie uel agentis, ibi nulla potest esse diuersitas in effectu. Minor similiter manifesta est, quia lumine causato in aere a sole et corrupto per interpositionem alicuius opaci remanet idem sol et idem aer.

[5] Secunda ratio talis est: ponamus aliquem effectum fuisse continue in tribus signis temporis a, b, c; constat quod idem numero effectus est in a et in c; set existentia eius, tam in a quam in c, non dependet ab existentia eius in b; ergo dato quod fuisset in a et non in b, adhuc posset idem numero esse in c; hoc autem non esset nisi corruptum posset idem numero reparari; ergo etc.

[6] Et respondent ISTI ad auctoritatem PHILOSOPHI II De generatione quod intentio PHILOSOPHI est quod *ea quorum substantia non deperit redeunt eadem numero*, sicut sol est idem numero in qualibet circulatione, set ea quorum substantia deperit non est necesse eadem numero redire, set non intendit quod non sit possibile. Et in tantum procedunt ISTI quod non solum dicunt eandem formam numero posse reparari per actionem nature in aliis

18 natura ... 19 reparare] cf. *Articuli condempn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 17 (84); 63 (100); Sig. de Brab., *Quaest. in Metaph.*, V, 20 (234,47-52); P. Mandonnet, *Siger de Brabant*, 179, n.5; R. Hissette, *Enquête*, 308

21 manente ... 32 aer] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (e) (71b-72a); (f) (74a-b)

28 diuersitas ... 29 materie] cf. *Auct. Ar.*, I, 207 (132,53); Arist., *Metaph.*, VIII, 4, 1044a31-32

33 ponamus ... 38 reparari] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (e) (72a-b)

40 ea ... 41 numero] cf. *Auct. Ar.*, 5, 51 (171,17-18); Arist., *De gen. et corr.*, II, 11, 338b16-17; Auerr., *De gen. et corr.*, II, 70 (162,38-42)

ea ... 44 possibile] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1, ad 3 (30a-b)

44 non ... 52 resurrectione] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, XI, 14, resp. (468vK); Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1, (i) (30b-31a)

ab homine, set etiam in homine, dicentes quod formam corporis organici, quam ponunt in homine aliam ab anima intellectiua, quod potest natura uel agens naturale eandem numero reparare; nam agens  
 π392rb potest eidem passo numero approximari ut prius, | et interruptio non plus impedit reparationem eiusdem in numero hic quam in aliis. 50  
 Dicunt tamen quod natura non potest eodem modo reparare quo Deus reparabit in resurrectione. Nam natura producendo formas in materia utitur determinato processu; unde VII *Metaphisice* dicit PHILOSOPHVS quod ex aceto non fit uinum immediate, licet econuerso ex uino fiat immediate acetum; in resurrectione autem non 55  
 obseruabitur talis processus, set subito actione diuina resurgent corpora sub qualibet forma inuenta fuerint.

Addunt autem quod licet natura possit in homine formam organici corporis reparare eandem secundum numerum, tamen non potest esse causa effectiua unionis anime cum tali corpore. Quod 60  
 probant, quia illa causa esset corpus uel anima: non corpus, ut de se patet; nec anima, quia causa equiuoca simpliciter nobilior est suo effectui, ut dicit AVGVSTINVS 83 *Questionum* 28 et XII *Super Genesim ad litteram*, et AVICENNA VI *Metaphisice* sue cap. 3 dicit idem; set homo est perfectius ens quam anima, quia 65  
 totum est perfectius sua parte; ergo anima non est causa effectiua hominis; esset autem si ipsa esset causa effectiua istius unionis; ergo etc.

Item II *Phisicorum* PHILOSOPHVS dicit quod forma et efficiens non coincidunt in idem secundum numerum; set anima est forma 70  
 hominis; ergo non potest esse causa ipsius efficiens.

[7] Hec autem opinio non est consona philosophie nec ueritati. Philosophie non consonat, quia expressa intentio PHILOSOPHI II *De generatione* est quod illa quorum substantia est corruptibilis non reiterantur eadem secundum numerum, set solum secundum 75  
 speciem; unde dicit sic: *quorum quidem igitur incorruptibilis*

52 Nam ... 57 fuerint] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (h) (104a-b)

54 ex ... 55 acetum] cf. Arist., *Metaph.*, VIII, 5, 1044b34-1045a6

58 Addunt ... 71 efficiens] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (i) (106b-107a)

licet ... 60 corpore] uide Henr. de Gand., *Quodl.*, XI, 14, resp. et ad I (468vK-469rM)

62 causa ... 63 effectui] cf. Aug., *De diu. quaest.* 83, 28 (35,3-4); *De Gen. ad litt.*, XII, 35 (432-433); Auic., *Metaph.*, VI, 3 (319,11-12)

69 forma ... 70 numerum] cf. Arist., *Phys.*, II, 7, 198a24-26; *Auct. Ar.*, 2, 85-86 (147,46-48)

73 expressa ... 76 speciem] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 1, 2, ad I (298a)

76 quorum ... 79 reiterari] Arist., *De gen. et corr.*, II, 338b14-17

*substantia mota, manifestum quoniam numero eadem erunt (motus enim sequitur quod mouetur); quorum autem non, set corruptibilis necesse specie, numero autem non reiterari.*

80 Item nec ueritati concordat, quia quando aliquid dependet ab alio per se et ex necessitate, multiplicato eo, oportet ipsum necessario multiplicari; set forma producta per se et ex necessitate dependet a sua productione uel est idem secundum aliquos, quo dato magis haberetur propositum; ergo plurificata actione necesse est formam  
85 productam plurificari. Constat autem quod alia actio secundum numerum est illa per quam res primo producitur et illa per quam secundo reparatur; ergo et forma, que est terminus prime productionis, est alia secundum numerum ab illa que est terminus secunde. Quod autem ille actiones sint due et non una, patet, quia  
90 quelibet illarum uel est motus uel mutatio sequens motum; set motus qui sunt in diuersis temporibus et mutationes sequentes tales motus sunt ex necessitate diuersi motus et diuerse mutationes quantum est de cursu nature, de quo nunc loquimur; et communis doctrina PHILOSOPHI super hoc habet quod unitas temporis requiritur ad  
95 unitatem motus et actionis; ergo etc. Sequitur ergo conclusio principalis, scilicet quod natura non potest idem numero reparare.

[8] Quod autem dicunt secundo quod natura potest reparare formam corporis organici in homine eandem numero que prius fuit et tamen non potest esse causa unionis anime cum tali corpore, non  
100 uidetur esse uerum, quia agens quod potest in dispositionem materie, que est necessitas ad animam introducendam, potest uere dici causa effectiua hominis. Et hoc patebit statim, quia ex PHILOSOPHI II  
P h i s i c o r u m *homo generat hominem et sol* et tamen non faciunt in materia hominis nisi dispositionem, que est necessitas ad animam per  
105 quam homo est homo; set per se natura seu agens naturale potest reparare formam corporis organici eandem numero, que fuit prius, que quantum est ex natura sua est dispositio necessitatis ad animam, posterius sicut prius; ergo sicut natura uel agens naturale dicitur generare hominem et esse cause prime unionis, eodem modo potest  
110 esse causa unionis secunde. Nec ualet quod dicitur quod nulla

94 unitas ... 95 actionis] cf. Arist., *Phys.*, V, 4, 227b30-31

97 natura ... 99 corpore] cf. supra, 6 (12,58-60)

103 homo ... sol] *Auct. Ar.*, 2, 65 (145,19); cf. Arist., *Phys.*, II, 2, 194b13

110 nulla ... 114 philosophi] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (l) (107a)

dispositio necessitatis est in materia ad faciendum unionem anime cum corpore, quia efficientia illa non est a dispositione effectiue, set a Deo agente, uel libere, ut ponunt theologi, uel ex necessitate, ut ponunt philosophi. Illud enim non impedit propositum nostrum, quia sufficit nobis quod agens naturale sit eo modo causa secunde unionis sicut prime, et tamen infallibiliter concludit argumentum; nec dicimus | quod corpus sit causa istius unionis nec anima, sicut ALII arguunt, set agens quod reparat, ut dicunt, eandem formam corporis organici; igitur etc.

[9] Ad rationes EORVM respondendum est. Ad primam, quando dicitur quod agente et materia seu subiecto remanentibus eisdem secundum numerum oportet effectum esse eundem secundum numerum, dicendum quod non est uerum, quia si unitas agentis et materie seu subiecti sufficeret ad unitatem effectus, tunc sequeretur quod eadem numero circulatio celi que fuit heri esset hodie et cras et sic semper, quia idem celum numero manet et intelligentia eadem numero mouens; hoc autem est absurdum; IPSI etiam SIBI IPSIS contradicunt, quia in alio loco dicunt quod si in aliquo instanti appropinquaret ignis huic ligno, generaret hunc ignem, et si in eodem instanti appropinquasset alius ignis eidem ligno, generasset illum eundem ignem numero; ergo secundum EOS diuersitas agentium secundum numerum non causat diuersitatem numeralem effectus, quare nec idemptitas idemptitatem; igitur supposito eodem subiecto et eodem agente secundum numerum, non est necesse effectum esse eundem secundum numerum.

Quod autem dicit PHILOSOPHVS VIII Metaphisice quod diuersitas in effectibus est ex diuersitate agentis uel materie, intelligendum est de diuersitate specifica, sicut et PHILOSOPHVS exemplificat de archa et lecto que fiunt ex ligno propter aliam et aliam formam existentem in mente artificis, que mouet ad utrumque; set pluralitas numeralis effectuum non cadit sub illa regula.

117 corpus ... anima] uide Henr. de Gand., *Quodl.*, XI, 14, resp. et ad 1 (468vK-469rM)

118 agens ... reparat] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (i) (106b-107a)

120 primam] cf. supra, 4 (11,21-23)

128 si ... 131 numero] cf. Duns Scot., *Report. Paris.*, IV, 43, 3, 12 (515b-516a)

137 diuersitas ... materie] cf. *Auct. Ar.*, I, 207 (132,53); Arist., *Metaph.*, VIII, 4, 1044a31-32

139 exemplificat ... 140 utrumque] cf. Arist., *Metaph.*, VIII, 4, 1044a25-29

[10] Ad aliud argumentum dicendum quod entitas et unitas effectus existentis in tribus signis temporis dependet per se a causa conseruante et ab actione per quam conseruatur, que actio  
 145 interrumpitur, si effectus sit in primo signo et non in secundo; actio autem interrupta et maxime naturalis non potest per naturam eadem numero redire, quare nec terminus actionis.

[11] ALII tamen dicunt contra hoc quod non oportet, si motus uel actio non sit eadem numero, quod terminus non sit idem numero,  
 150 quia duo motus differentes secundum speciem, ut motus circularis et motus rectus, possunt esse ad eundem locum numero, ut patet ex VII *Phisicorum*. Item AVGVSTINVS III *De Trinitate* cap. 9 dicit quod generatio uniuoca et equiuoca possunt ad idem terminari; aliqua enim sunt que possunt generari ex putrefactione et  
 155 nichilominus ex propagatione. Item in proposito resurrectio et propagatio naturalis ad idem numero terminantur, et tamen sunt diuerse actiones differentes secundum speciem; et ideo non sequitur: 'mutatio uel actio non una, ergo non est una forma'.

[12] Ad primum ISTORVM responsum fuit prius et similiter ad  
 160 tertium quod non est simile de actionibus quarum quelibet producit terminum actionis ut sit et de actionibus quarum neutra uel saltem altera non producit terminum ut sit, set ut sit <in> hoc uel aliud in ipso; pluralitas enim primarum actionum necessario ponit pluralitatem terminorum, non autem pluralitas secundarum, quales  
 165 sunt duo motus locales, et generatio uel resurrectio.

[13] Ad secundum dicendum quod non fuit intentio AVGVSTINI quod productum per propagationem et postea corruptum possit idem numero reparari per putrefactionem uel econuerso, nec quod propagatio et putrefactio possit concurrere ad idem numero  
 170 producendum, ita quod per quamlibet actionem producatum totum

142 aliud] cf. supra, 5 (11)

148 non ... 158 forma] Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, teste Ioh. Capreol., *Def. theol.*, IV, 43, 1, 2, 1, I, arg. 8 (3b); uerba autem sunt Durandi

150 duo ... 151 numero] cf. Arist., *Phys.*, V, 4, 227b14-18; VII, 4, 248a18-b7; Auerr., *Phys.*, V, 33 (227vaH-bL)

153 generatio ... terminari] cf. Aug., *De Trin.*, III, 8, 13 (140,42-71)

159 Ad ... 160 tertium] cf. supra, II (15,148-152; 15,155-158)

160 non ... 165 resurrectio] cf. supra, 43, 1, 14 (9)

166 secundum] cf. supra, II (15,152-155)

162 in<sup>1</sup>] *suppl.: om. π*

(hec enim sunt impossibilia), set uoluit dicere quod aliqua sunt que secundum suam speciem possunt per propagationem produci uel per putrefactionem, quod non est contra propositum nostrum.

[14] Ad rationes principales dicendum: ad primam quod negatio precedens productionem rei et sequens sunt eiusdem rationis 175 quantum est de natura negationis, et secundum hoc neutra impedit productionem rei; set sequens negatio, non quatinus negatio solum, set quatinus interrumpens entitatem rei preexistentis, facit quod productio sequens non est eadem cum precedente, propter quod nec res producta potest esse eadem; hoc autem non facit negatio 180 precedens.

[15] Ad secundum dicendum per interemptionem minoris quia permanentia rei non est posterior eius unitate, immo magis est prior, quia permanentia non est nisi entitas rei; rem enim permanere non π392vb est aliud quam rem esse et tantum | permanere est tantum esse; sicut 185 ergo entitas est aliquo modo prior unitate, quia unitas super entitatem addit indiusionem, sic permanentia, que est eadem cum entitate, est prior unitate, et ideo uariatio permanentie uariat unitatem; igitur etc.

### QUESTIO TERTIA

VTRVM ILLVD CVIVS ESSENTIA TOTALITER PERIT VEL PER  
ANNICHILATIONEM VEL PER CORRVPIONEM POSSIT VIRTUTE DIVINA  
IDEM NVMERO REPARARI

[1] Tertio queritur utrum illud cuius essentia perit totalis per 5 annichilationem uel in parte per corruptionem, ut sunt omnia corporalia sub homine, possit uirtute diuina idem numero reparari. Et arguitur quod sic. Nam cui non repugnat esse nunc et prius, ei non repugnat fieri nunc et prius, quia fieri ordinatur ad esse; set angelo uel lapidi non repugnat esse nunc et prius; ergo nec fieri nunc 10 et prius; hoc autem non potest esse sine materie annichilatione uel



corruptione; ergo Deus potest lapidem corruptum uel angelum annihilatum eundem secundum numerum reparare.

[2] Item si mundus esset annihilatus, Deus posset eundem saltem  
 15 secundum speciem reparare; set reparando eundem mundum  
 secundum speciem, necessario repararet aliquam partem eius eandem  
 secundum numerum; ergo etc. Probatio minoris, quia alique species  
 sunt in quibus non potest esse nisi unum indiuiduum, ut in angelis;  
 illas ergo oporteret reparare secundum idem indiuiduum quod  
 20 precessit.

[3] Item *sicut se habet locatum ad locum, ita temporale ad tempus; set  
 Deus posset facere quod corpus locale sit in locis distantibus, dato quod  
 non sit in loco medio, ut patet de corpore Christi existente in celo et in  
 sacramento altaris; ergo similiter potest facere quod res temporalis sit in  
 25 diuersis temporibus distantibus, dato quod non sit in tempore medio; hoc  
 autem non posset fieri nisi per reparationem rei corrupte; ergo etc.*

[4] Item *agens manens idem numero secundum se et secundum  
 omnia que concurrunt ad actionem qualitercumque potest idem  
 numero facere; set supposito quod mundus sit nunc annihilatus et  
 30 quecumque pars ipsius, Deus esset idem qui prius erat antequam  
 mundum faceret uel aliqua in mundo et eodem modo se haberet in se  
 et in omnibus concurrentibus ad actionem qualitercumque, quia  
 nichil concurreret ad productionem cuiuscumque rei nisi Deus, in  
 quo nulla potest esse uarietas; ergo Deus posset facere uel reparare  
 35 eundem mundum quem fecit prius uel aliquam partem eius, si esset  
 annihilata.*

[5] Item probatur idem per AVGVSTINVM XXII De ciuitate  
 Dei, ubi dicit quod si ipsa materia de qua homo factus est decidisset  
 in omnino nichilum et non mansisset in ullis nature latebris, adhuc  
 40 posset Deus eandem numero reparare.

[6] Item si illud quod corruptum est non potest idem numero  
 reparari, sequitur quod omnia accidentia que fuerunt in homine et

14 si ... 20 precessit] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, arg. 2 (170rb)

21 sicut ... 25 medio] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, arg. 6 (170va)

27 agens ... 29 facere] cf. *Auct. Ar.*, 5, 43 (170,6)

agens ... 36 annihilata] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, arg. 3 (170rb-va); ap. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1, (1) (6a)

38 si ... 40 reparare] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXII, 20 (840,34-36); ap. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1, (e) (6a-b)

41 si ... 45 passione] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 1 (7b)

non remanent in anima separata erunt alia secundum numerum in homine resurgente; hoc autem est inconueniens, saltem de propria passione; non enim uidetur possibile quod idem subiectum numero 45 habeat uicissim aliam et aliam passionem propriam numero; quare etc.

[7] In contrarium arguitur sic, quia *non minoris uirtutis est Deus respectu successiuorum quam respectu permanentium; set Deus non potest reparare successiua corrupta ita ut sint eadem secundum numerum,* ut 50 communiter ponitur; non enim potest idem motus numero reparari; ergo nec permanentia.

[8] Responso. Sicut tactum est in ultimo argumento, *entium quedam sunt permanentia,* ut angelus, bos, lapis, *quedam uero transeuntia,* ut motus et tempus et illa que ad motum et tempus 55 pertinent, ut sunt illa que secundum naturam non possunt secundum idem pluries sumi; ergo primo inquiretur de successiuis et transeuntibus, an possint eadem secundum numerum reparari, et postea de permanentibus.

[9] Quantum ad primum est communis opinio quod successiua 60 non possunt eadem numero reparari. Cuius ratio assignatur duplex. Prima est quia *illud quod ad sui | unitatem essentialem requirit* π393ra *continuationem durationis non potest esse idem interrupta duratione; set omne successiuum,* ut motus et tempus, *requirit ad sui unitatem essentialem continuationem durationis,* quia sua unitas est sua 65 continuitas; ergo interrupta sua duratione non potest esse idem numero.

Secunda ratio talis est: ponatur quod aliquis moueatur ab a in c per b; si motus potest idem secundum numerum reparari, sequeretur quod quando mobile motum est ab a usque b et deinde mouetur a b 70 in c, quod tunc posset primus motus quo mouebatur ab a in b reparari; hoc autem est impossibile, quia tunc idem moueretur simul diuersis motibus eiusdem speciei, et iterum plures partes eiusdem

48 non ... 50 numerum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, sed contra (170va)

53 entium ... 55 transeuntia] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (170va)

55 motus ... 57 sumi] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 43, 1, resp., concl. 1 (110rb-va)

62 Prima ... 67 numero] cf. God. de Font., *Quodl.*, VI, 2 (110-111)

illud ... 67 numero] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (171rb); Thom., *Quodl.*, IV, 3, 2, resp. (325,28-32)

68 ponatur ... 75 reparari] cf. God. de Font., *Quodl.*, VI, 2 (111)

49 permanentium] *coni.*: permanentem π

motus essent simul quorum utrumque est impossibile; ergo  
75 impossibile est eundem motum numero reparari.

[10] Quidquid sit de conclusione, rationes tamen iste sunt faciliter  
solubiles. Cum enim primo dicitur quod omne successium ad sui  
unitatem essentialem requirit continuitatem eo quod sua unitas est  
sua continuitas, dicendum quod continuitas, que requiritur ad  
80 unitatem motus, non est continuitas eius cum alio motu, quia sine  
hac quilibet motus est unus in se; nec est continuitas eiusdem motus  
ad se ipsum, quia idem non continuatur sibi ipsi, set est continuitas  
partium constituentium unum motum; sola igitur interruptio huic  
continuitati opposita soluit unitatem motus.

85 Nunc est ita quod interruptio que est inter primum motum et eius  
reparationem non solueret illam continuitatem nec esset ei contraria;  
ponimus enim quod sicut prima uice partes motus fuerunt  
continue, ita et in eius reparatione; interruptio ergo que poneretur  
solum argueret quod motus primo existens et postea reparatus non  
90 essent duo motus continuati constituentes per suam continuationem  
unum tertium motum, set non argueret quin esset idem motus prius  
existens et postea reparatus. Quod autem plus assumitur, uidelicet  
quod motus ad unitatem sui requirit continuitatem essendi,  
dicendum quod continuitas essendi quam requirit motus, non est  
95 quod sit continue et semper (alioquin numquam terminaretur), set  
est quod continue duret quamdiu est; et hoc potest poni dato quod  
motus corruptus idem numero repararetur, quia tam prima uice  
quam secunda ponitur quod eius duratio esset continua successione  
suarum partium.

100 [11] Secunda ratio clare deficit. Cum enim dicitur quod si Deus  
posset reparare eundem motum secundum numerum, tunc prima  
pars motus, que transit ab a in b, posset reparari dum adhuc ultima  
pars duraret, scilicet a b in c, dicendum quod non est uerum. Quod  
etiam patet in permanentibus; si enim poneremus quod Deus posset  
105 reparare albedinem corruptam in aliquo cui successisset nigredo  
opposita uel alia albedo numero differens a prima, tamen non  
diceremus quod Deus posset reparare eandem albedinem stante  
nigredine in eodem subiecto uel alia albedine numero differente; non  
enim possunt esse opposita in eodem subiecto simul nec duo  
110 accidentia solo numero differentia; similiter in proposito prima pars  
motus non potest reparari manente secunda. Set hoc argumentum  
nullum est 'Non potest hoc modo reparari, ergo nullo modo', set est

fallacia consequentis procedendo a destructione inferioris ad destructionem superioris; aliquid enim implicat contradictionem uno modo quod non implicat alio modo. 115

[12] Dicendum est ergo aliter quod successiua uel transeuntia differunt a permanentibus in duobus, ex quibus poterimus arguere ad propositum. Prima differentia est quia *res permanens duratione sua non interrupta potest pluries sumi* secundum se totum et secundum quamlibet partem sui, ut homo uel lapis, successiua uero et 120 generaliter omnia transeuntia non possunt pluries sumi secundum se nec secundum aliquid sui duratione sua non interrupta (utrum autem interrupta possint iterato sumi, inquiretur postea, quia hoc querit questio); nunc autem sumamus absque petitione illud quod de se clarum est, ut patet inducendo in omnibus. 125

Secunda differentia est quia res permanentes sunt res proprie et simpliciter, ut homo, lapis, albedo et nigredo et sic de ceteris: res autem successiue uel transeuntes non sunt res proprie et simpliciter, set solum sunt quedam rerum habitudines uel quidam *reales modi essendi*. Cuius probatio est quia illud quod adueniens alicui non 130 reddit ipsum magis | compositum quam prius non est proprie res et simpliciter; set talia sunt omnia transeuntia et successiua, ut motus, tempus et huiusmodi; non enim celum est magis compositum dum mouetur quam si staret, quia motus ad locum nichil uariat circa rem, ut dicitur VIII *PHYSICORUM*; et idem est de motu ad formam 135 quantum est precise de natura motus, quia nullam compositionem ponit secundum se circa subiectum preter illam que est forme terminantis motum et est res permanens.

[13] Ex prima differentia arguitur sic: minus est rem iam existentem conseruare ne corrumpatur quam corruptam reparare; set 140 in successiuis et transeuntibus Deus non potest rem conseruare ne corrumpatur; ergo fortiori ratione nec potest corruptam reparare. Maior uidetur manifesta. Set minor probatur: si aliquod successiuum

113 fallacia ... 114 superioris] cf. Arist., *Soph. el.*, 5, 167b1-20

118 res ... 122 interrupta] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (170va-b); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 43, 1, resp., concl. 1 (110rb-vā)

126 res<sup>1</sup> ... 138 permanens] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (170vb); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 43, 1, resp., concl. 2 (110va)

134 motus ... rem] cf. Arist., *Phys.*, VIII, 7, 261a21-22

121 pluries] pluris π

uel transiens dum est posset conseruari in esse ne corrumpetur,  
 145 tunc posset pluries sumi, et sic esset permanens et non transiens.

[14] Set diceret aliquis quod de ratione transeuntis est quod non  
 possit pluries sumi continue et non interrupta sua duratione, quia  
 tunc esset stans et non transiens; set nichil prohibet quin pluries  
 posset sumi ea interrupta, nec propter hoc erit stans, set qualibet uice  
 150 erit fluens et transiens. Propter quod maior uidetur falsa, quia magis  
 est contra rationem successiui uel transeuntis quod possit permanere  
 ne corrumpatur quam quod possit reparari postquam corruptum est.

[15] Set illud non ualet, quia si idem successiuum, puta idem  
 motus, numero posset reparari, uerum esset dicere quod mobile  
 155 subiectum bis esset motum realiter; illud autem non diceretur ratione  
 numerationis subiecti, quia illud est unum, nec ratione numerationis  
 spatii, quod similiter est unum; ergo oportet quod sit ratione  
 numerationis motus uel durationis eius uel mesure extrinsece: si  
 ratione numerationis motus, habetur propositum, quia omnis realis  
 160 numerus est plurium realiter et ita motus precedens et sequens non  
 essent unus motus realiter, set plures, quod est nostrum propositum;  
 si autem dicatur quod hoc est propter numerationem durationis, in  
 idem redit, quia duratio motus non est aliud quam motus, et ideo si  
 unum numeratur realiter, et reliquum, nec ratione mesure extrinsece  
 165 uel cuiuscumque alterius extrinseci, quia Deus posset facere quod  
 solum esset motus primi mobilis et illum posset interrompere et  
 iterato reparare. Et esset uerum dicere quod celum esset realiter bis  
 motum non per numerationem alicuius mesure extrinsece, quia  
 nulla esset, nec per numerationem subiecti uel spatii aut mouentis,  
 170 ergo per numerationem motus uel durationis, quod idem est.

Item eundem motum posse reparari uel simpliciter est impossibile  
 uel est simpliciter possibile: si sit possibile simpliciter, ergo possibile  
 erit fieri uirtute nature. Probatio, quia quandocumque aliquis effectus  
 est simpliciter possibilis et causa est eque potens nunc sicut prius,  
 175 tunc ex tali causa potest idem effectus produci nunc sicut prius; si  
 ergo reparatio eiusdem motus sit effectus simpliciter possibilis, ergo  
 causa naturalis, que primo fecit motum et eo corrupto remanet eque  
 potens ut prius, posset eundem motum secundum numerum  
 reparare. Hoc autem est falsum. Relinquitur ergo quod reparatio  
 180 eiusdem motus secundum numerum est effectus simpliciter  
 impossibilis; talis autem effectus subterfugit omnem causam; ergo per  
 nullam uirtutem posset idem motus numero reparari.

Item si motus idem numero reparari posset, eodem modo posset et tempus, et sic dies que preteriit posset statim reparari, et non solum semel, set semper, et ita totus decursus temporis, esto quod duraret in infinitum, non esset realiter nisi unus dies, immo nisi una hora uel breuissima pars unius hore, quia idem argumentum potest fieri de hora uel de parte hore, sicut de tota die, que omnia sunt absurda; quare etc.

[16] Ex secunda differentia sic arguitur: *licet idem subiectum possit successiue esse sub oppositis formis uel habitudinibus, impossibile tamen est et contradictionem implicat quod oppositarum formarum uel habitudinum una sit alia*, neque simul neque successiue, sicut possibile est quod eadem aqua primo sit calida et postea frigida uel quod idem homo sedeat et postea stet; set impossibile est quod caliditas sit frigiditas uel quod sedere sit stare; | set si idem successiuum uel transiens repararetur, sequeretur quod una habitudo esset alia; <ergo> impossibile est quod idem successiuum uel transiens reparetur. Minor probatur, quia, sicut dictum fuit, successiua non sunt proprie res, set rerum habitudines, sicut motus essentialiter est successio uel habitudo successionis mobilis in loco, et per eandem rationem partes motus sunt essentialiter partes successionis; partes autem successionis sunt prius et posterius, uel potius prioritas uel posterioritas, ita quod quando dicitur quod una pars motus est posterior et altera prior, non est predicatio denominatiua alicuius habitudinis addite ad partes motus, set est essentialis; mobile enim potest dici denominatione addita quod sit prius uel posterius in hac parte loci quam in illa; set ipsius motus una pars non potest dici prior et alia posterior denominatione addita, set sunt essentialiter ipsa habitudo prioritatis et posterioritatis existentie mobilis secundum aliam et aliam partem loci, sicut motus est essentialiter successio eius per totum locum; si ergo pars motus que preteriit posset reparari iterum uere, habitudo posteritatis efficeretur habitudo prioritatis, quod est impossibile, ut dictum fuit. Patet ergo quod successiua, ut tempus et motus, non possunt eadem secundum numerum reparari.

183 si ... 189 etc] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 43, 1, resp., princ. 2 (110va)

190 licet ... 199 reparetur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (170vb-171ra)

199 Minor ... 214 impossibile] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (171ra)

198 ergo] *suppl.*: om. π

[17] Viso ergo quod successiua et transeuntia non possunt eadem numero reparari, uidendum est an hoc sit possibile in permanentibus. Et uidetur, saluo meliori iudicio et salua reuerentia potentie diuine, cui subest omne quod est possibile, quod nullum permanens  
 220 corruptum potest idem numero reparari. Quod potest ad presens probari tripliciter uel quadrupliciter. Primo sic: *non plus potest Deus agens per uoluntatem quam si ageret ex necessitate nature; set si Deus ageret de necessitate nature, non posset rem corruptam eandem numero reparare; ergo* nec agens per uoluntatem. Maior patet, quia posse  
 225 respicit potentiam; eandem autem potentiam supponimus in Deo, si ageret ex necessitate nature, quam habet agens per uoluntatem; uoluntas enim non addit nec auget potentiam, immo quidquid potest per solam potentiam potest; set per uoluntatem habet quod potentia secundum formam uoluntatis exeat in actum; unde per  
 230 uoluntatem non habet nisi libertatem utendi potentia, quam non haberet si ageret ex necessitate nature; *unde philosophi qui posuerunt Deum agere ex necessitate nature* posuerunt in eo tantam potentiam sicut NOS ponimus, scilicet infinitam. Et sic patet maior. Set minor declaratur, quia si Deus ageret ex necessitate nature, licet ageret per  
 235 potentiam infinitam, ageret tamen modo aliorum agentium naturalium; propter quod licet posset producere perfectiorem effectum quam alia, non tamen posset reparare corruptum sicut nec alia. Et confirmatur, quia Pater in diuinis generat Filium ex necessitate nature; et ab omnibus conceditur quod si generatio diuina  
 240 interrumperetur et iteraretur, quod esset alia generatio et alius filius. Et si hoc esset in Deo respectu diuinorum, fortiori ratione esset in eo respectu creaturarum.

[18] Secunda ratio talis est: agens naturale non potest reparare idem secundum numerum, ergo nec Deus. Antecedens supponitur ex  
 245 precedenti questione. Probatio consequentie, quia si agens naturale non posset reparare idem secundum numerum, Deus uero possit, hoc

218 saluo ... 220 reparari] Thom., *Quodl.*, IV, 3, 2, resp. (325,39-54)

221 non ... 233 infinitam] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp., ratio 2 (172ra); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 43, 1, resp. (110vb)

232 Deum ... nature] cf. *Articuli condempn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 53 (20); Sig. de Brab., *De necessitate*, 1 (19,29-20,31); *Quaest. in Metaph.*, III, 16 (135,42-46; 135,51-53); uide etiam R. Hissette, *Enquête*, 51-53

234 si ... 238 alia] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (171vb)

245 si ... 280 natura] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, resp. (171va-b)

erit uel propter differentiam uirtutis agentis uel propter differentem modum agendi (ex parte enim termini non potest esse differentia, cum ponatur idem terminus respectu utriusque agentis et actionis): non propter differentem modum agendi, utpote quia Deus agit sine 250 motu et mutatione, natura uero non, quia in reparatione rei quoad formam corruptam, a quocumque fiat, est uera mutatio, quia subiectum se habet aliter nunc quam prius, scilicet materia recipiens formam qua prius fuit spoliata; unde si lumine corrupto Deus 255 repararet ipsum, esset uera mutatio, sicut si sol repararet ipsum. 255

Item quod aliquid rei remaneat idem numero, magis uidetur facere ad hoc quod illud cuius erat pars possit redire idem numero quam si nichil remaneret, quia plus est reparare utramque partem quam alteram; set in motu et mutatione rei corrupte aliquid remanet, scilicet materia uel subiectum, in annihilatione autem angeli 260 remaneret; ergo facilius uidetur esse quod res corrupta reparatur per motum et mutationem quam res annihilata per creationem uel recreationem; ergo modus agendi | per motum et mutationem non 265 impedit agens naturale plus quam diuinum quin possit idem numero reparare. 265

Item nec propter differentem uirtutem agentis, utpote quia Deus agit infinita uirtute, agens uero naturale finita, quia effectus finitus, qui secundum speciem potest produci a uirtute finita, numquam exigit infinitatem uirtutis in causa sua nisi propter modum quo 270 producitur, puta si producatur per creationem uel alio modo, quo creature non competit; set omnis forma naturalis in rebus generabilibus et corruptibilibus excepta anima rationali est quidam effectus finitus, qui secundum suam speciem potest produci uirtute finita et producitur; ergo numquam requirit in producente infinitam 275 uirtutem, nisi producatur tali modo qui creature non competit; set productio eius in sua reparatione, etiamsi fiat a Deo, est per ueram mutationem, sicut si fieret a creatura, ut statim dictum est; ergo reparatio rei corrupte non requirit necessario uirtutem infinitam. Differentia igitur uirtutis infinite in agente *non potest esse causa quare 280 Deus possit idem in numero reparare*, non autem natura. Quid ergo est causa quare natura non possit? Absque dubio dicitur esse illud quod tangit PHILOSOPHVS II De generatione, scilicet quod *idem manens idem semper est natum facere idem*; ad hoc autem quod agens

282 idem ... 283 idem<sup>2</sup>] *Auct. Ar.*, 4, 43 (170,6); cf. *Arist., De gen. et corr.*, II, 10, 336a27-28



faciat idem numero, oportet quod maneat idem in se quoad uirtutem  
 285 et idem in habitudine ad passum uel productum quoad actionem.  
 Cum autem actio nature interrumpitur, non manet eadem habitudo  
 agentis ad passum uel productum, nec habitudo eadem reparari  
 potest, ut prius probatum est; et ideo non potest reparari idem  
 productum secundum numerum. Istud etiam inuenitur in Deo per  
 290 comparisonem ad ea quorum substantia deperit in toto uel in parte,  
 quia actio Dei in creaturam interrumpitur, et ideo non manet eadem  
 habitudo Dei agentis ad creaturam pro prima rei productione et eius  
 reparatione, et hec ratio communis est ad ea que sunt successiua et  
 permanentia.

295 [19] Tertia ratio talis est: idem locus acquiritur pluribus motibus  
 localibus; set eadem forma secundum naturam non acquiritur  
 pluribus actionibus; et causa est quia motus non terminatur ad locum  
 ut sit, set ut mobile sit in loco; et ideo non oportet locum uariari  
 secundum se uariato motu ad locum, set oportet naturaliter formam  
 300 uariari uariata actione per quam forma acquiritur. Ex hoc potest sic  
 argui: si eadem forma numero pluribus actionibus in materia fiat,  
 oportet quod utraque actio uel saltem altera terminetur ad formam  
 non ut sit simpliciter, set ut sit in materia uel subiecto. Et propter  
 hoc ad eandem formam terminatur generatio hominis et resurrectio  
 305 eius, quia uel utraque actio uel saltem altera terminatur ad animam,  
 non ut sit simpliciter, set ut sit in materia; set in hiis quorum  
 substantia deperditur utraque actio, scilicet productio et reparatio,  
 terminaretur ad formam ut sit et non solum ut sit in hoc, scilicet in  
 materia uel subiecto; ergo impossibile est quod due actiones  
 310 terminentur ad eandem formam.

[20] Quarta ratio talis est, quia si Deus causaret angelum et postea  
 annihilaret ac deinde repararet, uerum esset dicere quod angelus fuit  
 bis realiter; hoc autem non esset numeratione agentis, puta Dei, qui  
 unus est, nec cuiuscumque alterius extrinseci ab angelo, quia si Deus  
 315 nichil fecisset nisi angelum quem annihilatum postea reparasset,  
 adhuc esset uerum dicere quod angelus bis fuisset, quod non posset  
 uerificari nisi numeratione angeli uel durationis eius, quod idem est;  
 quare etc.

295 idem ... 300 acquiritur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, I, resp. (172ra)

306 in<sup>1</sup>] *iter.* π

[21] Posset etiam ad idem addi alia ratio facta in precedenti articulo, scilicet quod eandem formam, puta idem lumen, reparari 320 aut est possibile simpliciter uel simpliciter impossibile, et deducatur ut prius; uidetur ergo quod quorum substantia deperit in toto uel in parte, non possunt eadem secundum numerum reparari, siue sint successiua siue permanentia. Et hoc expresse dicit frater THOMAS lib. IV dist. 44 art. 2 in solutione 3 arg., quod fuit tale: *unus homo non est 325 plura animalia; ergo si non est idem animal, non est idem homo numero; set ubi non est idem sensus, non est idem animal, quia animal diffinitur per sensum primum, scilicet tactum; sensus autem non manet in anima separata; ergo non possunt idem numero resum.*

Ad quod respondet quod *illa ratio optime concludit contra ILLOS 330 qui ponunt animam sensitiuam et rationalem diuersas in homine, quia secundum | hoc anima sensitua esset in homine corruptibilis, sicut in* *π394ra* *aliis animalibus; unde in resurrectione non esset eadem anima sensitua nec idem animal nec idem homo; si autem ponamus quod eadem anima secundum substantiam sit rationalis et sensitua, nullas ex hoc angustias 335 patiemur, quia animal diffinitur per sensum, qui est anima sensitua, sicut per formam essentialem, licet per sensum, qui est potentia, cognoscatur eius diffinitio; anima autem sensitua quantum ad essentiam manet sicut et rationalis, cum sint idem. Hec sunt uerba EIVS, ex quibus patet clare quod intentio eius est quod ea quorum 340 substantia in aliquo deperit, non possunt eadem secundum numerum reparari.*

Item dicit in e o d e m IV dist. 12 art. 2 q. 4 in corpore questionis et in ultima parte q. 77 art. 5, que pars fuit opus eius ultimum et finale, ut apparet ex eius incomplexione. 345

[22] Ad argumenta in contrarium dicendum quod cuilibet rei repugnat esse nunc et prius cum media interruptione sue entitatis, licet permanentibus non repugnet esse nunc et prius absque interruptione sue entitatis; fieri autem nunc et prius respicit esse nunc et prius non absolute, set cum interruptione sue entitatis; quod 350 fit enim prius non fuit per aliquod tempus; et ideo repugnat eidem rei quod fiat prius et postea.

320 eandem ... 321 impossibile] cf. supra, 15 (21,171-182)

325 unus ... 329 resum] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 1, 2, arg. 3 (295)

330 illa ... 339 rationalis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 1, 2, ad 3 (298-299)

343 Item dicit] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 12, 1, 2, sol. 4 (511-514); *S.th.*, III, 77, 5, resp.

346 cuilibet ... 352 postea] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, ad 1 (172ra)

[23] Ad secundum dicendum quod species angeli posset reparari absque reparatione eiusdem indiuidui; et quod dicitur quod in una  
 355 specie angeli non potest esse nisi unum indiuiduum uel unum suppositum, potest dici quod immo, uel potest dici quod in una specie non possunt simul esse plures angeli, possunt tamen esse successiue.

[24] Ad tertium dicendum quod non est simile de esse in tempore  
 360 et de esse in loco, quia esse in tempore, ut nunc large accipimus, est solum secundum coexistentiam, scilicet quia res est dum tempus est, siue mensuretur tempore siue non; et ideo tempori uel parti temporis nichil potest deesse nisi amittendo suum esse, quo amisso res non potest reparari; semper autem amittitur nisi semper res sit, quia  
 365 tempus semper est; esse autem in loco non est esse dum locus est, set est habere aliquam habitudinem ad locum, uel secundum commensurationem, quod idem est quod esse in loco localiter, uel secundum alium ordinem, ut est de corpore Christi, quod est sub hostia sacramenti, prout in precedentibus determinatum est. Cum  
 370 igitur corpus absque amissione proprii esse possit commensurari alicui loco et habere aliquam aliam habitudinem ad locum distantem absque simili habitudine ad medium, ideo idem corpus potest esse in locis distantibus absque eo quod sit in loco medio.

[25] Ad quartum dicendum quod licet annihilato mundo nunc  
 375 Deus esset idem qui prius, non tamen haberet eandem habitudinem extrinsecam ad res creatas quam habuit antequam mundus fieret, quia etsi tunc nichil erat sicut et nunc nichil esset annihilato mundo et in hoc uideatur esse eadem habitudo nunc et prius, tamen non est eadem propter interruptionem mediam qua Deus res creauit et  
 380 creatas conseruauit.

Item non probat nisi quod sicut ante creationem mundi nichil fecit manente ista habitudine, ita annihilato mundo nunc nichil faceret manente eadem habitudine, quod non est ad propositum  
 EORVM, set ad oppositum. Si autem intelligatur quod eadem habitudo  
 385 esset extrinseca in reparando nunc que fuit in creando, negandum est propter interruptionem.

353 species ... 358 successiue] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 1, ad 2 (172ra-b)

356 in ... 358 successiue] cf. supra, II (21), 3, 3, A2 (129,18)

368 secundum ... 369 sacramenti] cf. supra, 10, 1-2 (314rb-316va)

[26] Ad quintum de AVGVSTINO potest dici quod materia secundum se nullam habet actualem unitatem uel pluralitatem, sicut de se nullam habet actualem entitatem; et ideo materia de se non potest esse una cum alia materia uel diuersa ab ea secundum omnem 390 unitatem uel pluralitatem quam habet a forma, ut magis infra patebit. Et ideo si annihilata esset materia hominis et Deus eam repararet, ipsa secundum se non posset dici eadem cum precedente nec alia; tamen posset dici eadem ratione forme cui uniretur, quia eidem anime secundum numerum uniretur materia reparata et illa 395 que prius fuit.

[27] Ad sextum dicendum quod si propria passio non differt realiter a suo subiecto, tunc subiectum numquam est successiue sub diuersis propriis passionibus, quia si reparatur idem subiectum secundum numerum, puta homo idem, reparabitur et eadem passio, 400 si uero passio differat realiter a subiecto et maxime re absoluta, tunc passio corrupta non poterit reparari eadem secundum numerum, set alia; nec est inconueniens quod idem subiectum uicissim sit sub diuersis passionibus solo numero differentibus, maxime uirtute 405  
 $\pi$ 394rb diuina et in illo casu intelligitur etc. |

390 omnem ... 391 forma] cf. infra, 44, I (40-47)

398 successiue] *coni.*: subiectiue  $\pi$

## QVESTIO QVARTA

## VTRVM RESVRRECTIO MORTVORVM FIET IN INSTANTI AN IN TEMPORE

[1] Quarto queritur utrum resurrectio mortuorum fiet in instanti an in tempore. Et uidetur quod in tempore primo per auctoritatem beati  
5 AVGVSTINI XX De ciuitate Dei, cap. 19, ubi dicit quod *mortui transituri sunt ad immortalitatem mira celeritate*; set iste transitus erit per resurrectionem; celeritas autem non est nisi in tempore, sicut et uelocitas; ergo resurrectio fiet in tempore.

[2] Item plures actiones inter se ordinem habentes non possunt  
10 esse simul; set in resurrectione erunt multe actiones inter se ordinem habentes, scilicet collectio puluerum, formatio corporum et animatio eorum; ergo non poterunt esse simul, scilicet in eodem instanti.

[3] In contrarium est quod dicit APOSTOLVS I Cor. 5, quod mortui resurgent *in momento et in ictu oculi*. Et AVGVSTINVS, ubi  
15 supra, dicit quod *in ipso temporis puncto rapiuntur obuiam Christo in aera*.

[4] Responso. Questio ista unum supponit et aliud querit: supponit quod omnes resurgent et querit an resurrectio omnium fiet in instanti. Illud quod supponitur, rationabiliter supponitur. Ad hoc  
20 enim ponendum cogimur auctoritate et ratione: auctoritate APOSTOLI I Cor. 15 dicentis: *Omnes quidem resurgemus*; qui autem 'omne' dicit, nichil excipit. Ratio etiam ad hoc est quia *mors est pena originalis peccati*, a qua etiam beata Virgo immunis non fuit; et si illa non fuit immunis, rationabile est quod nullus homo immunis fiat a  
25 morte; si autem omnes moriuntur, oportet dicere quod omnes resurgent, quia omnes pertinebunt ad generale iudicium.

5 mortui ... 6 celeritate] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 20 (734,19-21)

14 in<sup>1</sup> ... oculi] I Cor., 15,52

15 in<sup>1</sup> ... 16 aera] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 20 (734,19-20)

21 Omnes ... resurgemus] I Cor., 15,51; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1, 2, sed contra 2 (273a); 3, 3, sed contra 1 (281b); 4, 2, arg. 4 (285b)

22 mors ... 23 peccati] Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 1, 2, arg. 4 (273a); 4, 1, arg. 3 (285a) et ad 3 (287a); *S.th.*, I-II, 85, 6, sed contra 2; III, 27, 3, arg. 1; *De malo*, 4, 3, arg. 4 (114,20-21) et ad 4 (115,102); 6, arg. 1 (118,3-4); 8, arg. 11 (126,99-100); 5, 4 (136-139); Petr. Abael., *In epist. ad Rom.*, III, 8, 10 (214,133-134)

11 animatio] *coni.*: emanatio π      14 momento] *coni.*: monumento π

Quid autem fiet de illis qui tunc inuenientur uiui in aduentu Christi, de quibus dicit APOSTOLVS I Thess. 4 quod rapiuntur *in nubibus obuiam Christo in aera*, tenetur communiter; et sic tenet beatus AVGVSTINVS, ubi supra, quod *in ipso raptu morientur* et 30 corpora eorum resoluentur et subito reparabuntur. Et illud oportet dicere, quia electi non resurgent ad gloriam cum peccatis suis uenialibus; ergo oportet illa peccata esse punita ante resurrectionem, quia post resurrectionem non erit purgatorium in quo peccata uenialia puniantur; non uidetur autem quod ante resurrectionem 35 possint aliter puniri nisi in morte et per mortem; quare etc. Rationabile est ergo illud quod supponitur.

Illud autem quod queritur potest habere duplicem intellectum, utrum scilicet resurrectio cuiuslibet fiet in instanti an in tempore, aliud utrum resurrectio non solum cuiuslibet secundum se, set 40 omnium fiet non solum in instanti, set in eodem instanti, uel resurgent aliqui in uno instanti, alii uero in alio.

[5] Quantum ad primum intellectum aduertendum est primo quod sicut dicit DAMASCENVS lib. IV, cap. ultimo, *resurrectio est eius quod cecidit iterata surrectio*. In morte autem est triplex casus: cadit 45 enim compositum per separationem anime a corpore, cadit etiam corpus in quantum dissoluitur in elementa, cadit etiam materia in quantum corpus resoluitur, per hoc quod diuiditur in diuersas partes et dispergitur; et ideo in resurrectione oportebit esse triplicem resurrectionem. Prima erit collectio partium seu puluerum 50 dispersorum; secunda erit formatio corporum; tertia animatio eorum uel econuerso quantum ad animationem et formationem. Primum istorum fiet per angelos et successiue. Quod fiet per angelos, apparet Matth. 24, ubi dicitur quod Christus *mittet angelos suos cum tuba et uoce magna, et congregabunt electos eius a quatuor celi uentis*, et 55 loquitur ibi de resurrectione, et hoc fiet rationabiliter, quia corporalia

28 rapiuntur ... 29 aera] I Thess., 4,17

30 in ... 31 reparabuntur] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 20 (735,75)

43 Quantum ... 52 formationem] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (b) (118)

44 resurrectio ... 45 surrectio] Ioh. Dam., *De fide orth.*, IV, 27 (377,5-6)

50 Prima ... 52 formationem] cf. Bonau., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 5, concl. (892b)

52 Primum ... 55 uentis] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (c) (118)

54 Christus ... 55 uentis] cf. *Matth.*, 24,31

48 in quantum] inquam π

administrari debent per spiritualia in hiis in quibus eorum operatio potest adhiberi.

Quod autem fiat successiue et in tempore, patet, quia omnis motus localis causatus a uirtute creata necessario est in tempore; set collectio partium seu puluerum per angelos fiet per motum localem ipsorum puluerum seu partium; fiet etiam per uirtutem creatam, quia per uirtutem angelicam; ergo fiet in tempore.

[6] De formatione autem et organizatione corporum ex pulueribus non potest dici quod fiat ministerio angelorum, quia, sicut dictum fuit in II lib., angelus non potest immediate introducere formam in materia corporali, set solum potest coniungere actiua passiuus, mediante quorum actione forma introducitur in materia; set in resurrectione non coniunguntur talia actiua passiuus, ex quorum actione posset corpus humanum formari et organizari; ergo ad formationem et organizationem corporis in resurrectione angeli nichil facient penitus. Minor declaratur, quia formatio et organizatio corporis humani per actiua et passiuua naturalia fit mediantibus et instrumentis determinatis et mediis, puta mediante semine, et determinato loco, puta in matrice, et determinato modo, quia semen primo est molle et postea durum, ut dicitur II *PHYSICORUM*, quorum nullum erit in reparatione corporum resurgentium; quare etc.

Item quamuis aliqua organizatio in naturali generatione hominis corporis humani precedat introductionem anime rationalis, non tamen illa que manet cum anima, set sequitur introductionem anime saltem ordine nature, licet non ordine temporis, quia anima numquam est nisi in corpore organizato; set prima organizatio corporis non erit in resurrectione, set tantum secunda; ergo illa ordine nature sequitur animationem, quamuis sit simul in tempore; ergo erit ab eodem a quo et animatio; set animatio non potest esse nisi a solo Deo; ergo nec ista organizatio. Erit ergo in instanti, quia omnis successio est ex resistentia passi ad agens; quando enim passum nichil resistentie habet <ad> agens, set est summe dispositum ad

64 De ... 67 corporali] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (d) (120)

66 angelus ... 67 passiuus] cf. supra, II, 7, 4, 5-7 (146rb-va)

75 semen ... 76 durum] cf. Arist., *Phys.*, II, 8, 199b9; Thom., *In Phys.*, II, 14, 510 (120)

79 quamuis ... 97 tempore] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (g-i) (133-134)

67 actiua] *coni.*: actiuam π 89 ad] *suppl.*: om. π

susceptionem forme, tunc forma in instanti introducitur, ut patet de 90  
lumine in aere; set in creatura non potest esse aliqua resistentia ad  
Deum, set est summa obedientia ut fiat ex ea et in ea quidquid Deus  
uult fieri; ergo omnia talia fiunt subito et in instanti nisi Deus ex  
ordine sapientie sue propter aliquam causam uelit talia fieri  
successiue, quod non habet locum in proposito; ergo tam animatio 95  
quam organizatio corporum fiet in resurrectione a Deo immediate  
et subito sine tempore.

[7] Set contra ista arguitur dupliciter: primo quia impossibile est  
motum localem fieri in instanti; set si organizatio corporum in  
resurrectione fieret subito, motus localis fieret in instanti; ergo illa 100  
organizatio non fiet subito. Maior supponitur. Set minor probatur,  
quia pulueres, ex quibus corpus formabitur, aut erunt maioris  
quantitatis quam corpus formandum aut minoris aut equalis: si  
maioris quantitatis et corpus formetur ex eis subito, sequeretur quod  
aliquid de loco puluerum remanebit uacuum aut ad illud mouebitur 105  
in instanti aliqua pars aeris circumstantis; at uacuum non potest esse;  
ergo motus ille erit in instanti. Si autem fuerit minoris quantitatis  
quam corpus formandum, idem sequetur, quia corpus formatum  
subito occupabit maiorem locum; set hoc non poterit esse nisi subito  
cedat ei aliqua pars aeris circumstantis; cessio autem ista erit per 110  
motum localem, quia alia non est intelligibilis; ergo illa pars que  
cedet subito mouebitur de loco suo. Si autem sint equalis quantitatis,  
idem sequitur, quia corpus organicum aliter figurabitur quam partes  
ex quibus formabitur; set in figuratione noua necesse est esse nouum  
ordinem et nouam positionem partium secundum sub et supra, 115  
dextrum et sinistrum, ante et retro. Si ergo corpus formetur subito,  
tunc noua positio partium fiet subito; set talis non potest fieri nisi  
cum motu locali cessione corporis circumstantis; ergo motus localis  
esset in instanti.

[8] Secundo instatur contra illud quod dictum est, scilicet quod 120  
animatio fiat subito uel in instanti eodem quo et organizatio, quia  
animatio est quedam mutatio; set termini mutationis, qui sunt  
habitus et priuatio secundum PHILOSOPHV M I P H i s i c o r u m et V,

98 Set ... 119 instanti] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (e) (120)

122 termini ... 123 priuatio] Arist., *Phys.*, I, 7, 190a13-191a3; V, I, 225b1-5

110 aeris] *coni.*: corporis  $\pi$



non possunt esse simul tempore in eodem subiecto; ergo  
 125 animationem precessit tempore in corpore organizato, quod subicitur  
 anime, priuatio actualis existentie ipsius anime, et sic organizatio  
 corporis et eius animatio non erunt simul.

[9] Ad illa respondent QUIDAM dicentes sic ad primum quod motus  
 localis potest uirtute diuina fieri in instanti, licet hoc non possit  
 130 uirtute nature; illa autem cessio qua localiter cedet pars aeris corpori  
 resurgenti fiet uirtute diuina; nam sicut corpus motum ab aliquo  
 expellit aliud de loco suo et cogit ipsum moueri et tamen corpus  
 expulsum non mouetur proprie a corpore expellente, set tam corpus  
 expellens quam corpus expulsum mouetur a primo impellente, | ita <sup>π394vb</sup>  
 135 in proposito Deus formans maius corpus quam sint pulueres ex  
 quibus formabitur formando tale corpus expellit partes aeris  
 circumstantis de locis suis in instanti.

[10] Ad secundum dicunt quod illa animatio non erit mutatio,  
 quia omnis inductio forme in passum que non precedit ipsum  
 140 passum tempore, non est mutatio, set est passio de genere passionis.  
 Quod non sit mutatio, patet, quia omnis mutatio est inter terminos  
 oppositos, qui non patiuntur se in eodem subiecto pro eodem  
 instanti; ergo ubi est uera mutatio, oportet terminum a quo  
 preexistere in subiecto ante introductionem termini ad quem, et per  
 145 consequens oportet subiectum preexistere termino ad quem; si ergo  
 subiectum non preexistit, non erit mutatio, erit tamen passio, quia  
*omnis receptio passio* quedam est.

[11] Set ista non uidentur ualere. Quod enim primo dicitur, quod  
 motus localis potest fieri in instanti uirtute diuina, non est uerum,  
 150 quia simile est de alteratione, per quam forma educitur de imperfecto  
 ad esse perfectum per medios gradus, et de motu locali, per quem  
 mobile quacumque uirtute moueatur pertransit de extremo in  
 extremum per medium; set talis alteratio non potest fieri in instanti,  
 set necessario fit in tempore; ergo et omnis motus localis. Maior  
 155 patet, quia magis uidetur quod talis alteratio possit fieri in instanti

128 motus ... 130 nature] cf. Duns Scot., *Report. Paris.*, IV, 43, 5 (526)

motus ... 137 instanti] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (e-f) (120-121)

138 illa ... 147 est] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (h) (133)

147 omnis ... est] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 1, sol. 1 (313b); I, 17, 2, 1, ad 5 (413); II, 5, 1, 1, ad 2 (145)

125 corpore] *coni.*: tempore π      142 patiuntur] *coni.*: compatiuntur π

quam aliquis motus localis; uidetur enim in genere alterationum quod aliqua potest fieri in instanti naturaliter, sicut illuminatio aeris; set nullum motum localem uidemus fieri in instanti; ergo quantum est ex genere eorum magis repugnat motui locali fieri in instanti quam alterationi.

160

In speciali autem similis causa utrobique ponitur, quia ponitur quod non sit processus de extremo in extremum nisi per medium; quare si non est possibile talem alterationem fieri in instanti, impossibile est aliquem motum localem fieri in instanti. Et hec fuit maior. Minor similiter probatur, quia si talis alteratio posset fieri in instanti, sequeretur quod subiectum alterationis simul esset magis et minus perfectum secundum eandem speciem uel formam, quia in eodem instanti esset sub forma secundum gradum medium et secundum gradum perfectum. Illud autem est impossibile, quia tunc idem posset simul esse magis et minus album uel magis et minus calidum, quod est impossibile, quia magis et minus habent oppositionem et impossibilitatem, cum possint esse termini motus et mutationis.

165

170

Item si motus localis posset fieri in instanti, sequeretur quod mobile simul esset in medio et in termino; si enim prius esset in medio quam in termino, iam non esset motus in instanti, set in tempore, quia prius et posterius duratione necessario requirunt tempus; set idem corpus simul esse localiter in diuersis locis est impossibile quacumque uirtute, ut inferius apparebit; ergo impossibile est quod mobile sit simul in medio et in termino, et per consequens quod motus localis fiat in instanti.

175

180

[12] Secunda etiam responsio ad secundam instantiam non ualet; licet enim possit esse aliqua passio seu receptio que non sit uera mutatio, tamen animatio que erit in resurrectione erit uera mutatio, quia subiectum aliter se habebit tunc quam prius; materia enim in qua recipietur anima fuit prius immediate sub forma puluerum (non enim, ut ISTI ymaginantur, formatio corporis precedet naturaliter animationem, immo animatio precedet naturaliter formationem). Si enim formatio corporis prederet animationem, prederet ipsam ut

185

178 idem ... 179 uirtute] cf. infra, 44, 6 (74-86)

187 formatio ... 188 animationem] Duns Scot., *Ord.*, IV, 10, 3, 57 (438a)

160 alterationi] *coni.*: alterationem π

190 dispositio media in fieri solum uel ut dispositio media in esse; non potest dici quod precedat solum in fieri, quia illa non maneret cum forma, set talis animatio, ut ISTI dicunt, in eodem instanti est cum anima; ergo simul esset et non esset.

Item Deus in agendo non indiget dispositione in fieri, quia potest  
 195 quamlibet formam introducere in materia immediate post quamcumque aliam; non enim est limitatus ad agendum per determinata media sicut agentia naturalia; cum igitur animatio fiat uirtute diuina, patet quod non requirit aliquam dispositionem in fieri precedentem. Nec potest dici quod formatio corporis sit dispositio in  
 200 esse et quod precedat animationem, quia omnis dispositio in esse sequitur formam substantialem, que immediate perficit materiam et prius ordine nature quam quecumque alia perfectio. |

*π395ra*

[13] Dicendum ergo est aliter ad predictas instantias. Ad primam quod non oportet motum localem fieri in instanti, dato quod  
 205 organizatio fiat in instanti, quia cum collectio puluerum fiat prius tempore ministerio angelorum, potest Deus facere quod pulueres ex quibus corpora formabuntur sint eiusdem quantitatis et figure cum corporibus formandis; et tunc non habebit locum argumentum, quia corpus formatum precise occupabit illum locum quem pulueres  
 210 occupabant.

Vel dato quod corpus formandum sit maioris quantitatis quam pulueres, potest dici quod Deus potest annihilare partes aeris circumstantis quantum sufficit pro occupatione corporis formandi; et illud est conuenientius dicere quam ponere motum localem fieri in  
 215 instanti, quia illud est possibile secundum omnes; motum autem fieri in instanti est simpliciter impossibile.

Similiter si corpus formandum sit minoris quantitatis, melius esset et possibilius dicere quod locus ad modicum tempus maneret uacuum quam quod partes aeris uicini illuc mouerentur in instanti; Deus  
 220 enim potest facere uacuum prout uacuum dicit ultimum continentis non habentis actu aliquod corpus contentum, sicut posset omnia annihilare que sunt infra celum celo remanente in sua figura.

192 talis ... 193 anima] Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (g) (133a)

194 Deus ... 202 perfectio] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 3, (h) (104a-b)

194 in fieri] *coni.*: inferiori π

Posset etiam dici secundum ALIQVOS quod rarefactio et condensatio, cum sint alterationes, possent fieri in instanti; ad rarefactionem enim sequitur maior quantitas, que secundum ISTOS de nouo generatur, et per condensationem sequitur minor, que similiter de nouo generatur, et sic per subitam rarefactionem aut condensationem potest aer occupare maiorem uel minorem locum et sic cedere alteri uel implere locum alterius et non per motum localem.

Ad secundam instantiam patet responsio, quia non ponimus quod organizatio precedat tempore uel natura animationem, set econuerso animatio ordine nature precedit organizationem, et subiectum eius est sola materia que prius fuit sub forma puluerum et postea efficitur sub anima; et sic est ibi uera mutatio. Patet igitur primum, scilicet qualiter resurrectio uniuscuiusque fiet in instanti.

[14] Quantum ad secundum intellectum questionis, scilicet an resurrectio omnium mortuorum fiat in eodem instanti, dicendum est quod non, quia prius resurgent illi qui fuerunt mortui quam illi qui in aduentu Christi inuenientur uiui, nichilominus morientur ut resurgant, sicut prius dictum fuit; et hoc oportet ponere maxime propter auctoritatem Scripture, cui concordant ea que dicta sunt prius; dicit enim APOSTOLVS *Thess. 4* quod *mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera*. Ex quo patet quod quando mortui iam resuscitati obuiabunt Christo in aera, tunc simul rapiemur illi qui uiui inuenientur; set illi, ut dictum est, in ipso raptu morientur, et deinceps resuscitabuntur; ergo posterius resuscitabuntur quam primi, quia cum primis resuscitatis adhuc uixerunt uita mortali. Hec etiam cogunt uerba auctoritatis; dicitur enim quod illi qui prius sunt *mortui resurgent primi*; hoc autem non potest intelligi de primitate dignitatis apud Deum, quia multi qui in aduentu Christi inuenientur uiui erunt maioris meriti et maioris dignitatis apud Deum quam aliqui eorum qui prius fuerunt mortui.

223 rarefactio ... 227 generatur] cf. God. de Font., *Quodl.*, XI, 3 (19-20); ap. Duns Scot., *Ord.*, IV, 12, 4, 3 (616a-b)

239 prius ... 241 resurgant] cf. supra, 4 (30,27-31)

243 mortui ... 245 aera] I *Thess.*, 4,16

251 illi ... primi] cf. I *Thess.*, 4,16

234 est] *coni.*: et π

255 Nec potest intelligi de primitate nature, quia inter indiuidua eiusdem  
speciei non est ordo nature; oportet ergo quod intelligatur de  
primitate temporis, sicut dictum est, quod iam aliis resuscitatis illi  
qui in aduentu Christi inuenientur uiui cum illis rapiuntur adhuc  
uiuentes uita mortali, deinde morientur et postmodum  
260 resuscitabuntur. Patet ergo quod licet resurrectio cuiuslibet sit in  
instanti, resurrectio tamen omnium non erit in eodem instanti.

De illo autem instanti, quando erit, non potest haberi certitudo,  
immo nec de tempore nec de die nec de hora. Nam interrogantibus  
apostolis Act. 1: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?*,  
265 responsum est illis: *Non est uestrum nosse tempora uel momenta que  
Pater posuit etc., in quo autem, dici AVGVSTINVS XVIII De  
ciuitate Dei, omnium de hac re calculantium digitos resoluit et  
quiescere iubet; quod enim apostolis querentibus noluit indicare, nec aliis  
reuelabit. Vnde omnes illi qui tempus illud prefigere uoluerunt falsiloqui*  
270 *inuenti sunt.*

[15] Verumptamen propter illud quod scriptum est Matth. 25:  
*Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus uenit*, dicunt | QUIDAM π395rb  
quod Christus media nocte uenturus est ad iudicium, accipiendo  
mediam noctem secundum clima in quo est uallis Iosaphath, circa  
275 quem locum erit iudicium, ut dicit MAGISTER in littera; et illud  
confirmatur per auctoritatem CASSIODORI super illud Ps.: *Media  
nocte surgebam ad confitendum tibi*, ubi dicitur quod Christus media  
nocte ueniet, quia Dominus illa hora *percussit primogenita Egypti*, ut  
habetur Exod. 12.

280 [16] ALII uero dicunt quod *resurrectio* et aduentus Christi ad  
iudicium *erit in crepusculo diei, sole existente in oriente et luna in  
occidente, quia in tali dispositione sol et luna creduntur creata*, cum

255 inter ... 256 nature] cf. Arist., *Metaph.*, III, 3, 999a12-13

262 De ... 263 hora] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, 2, ad 1 (283b)

De ... 265 momenta] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, 2, sed contra 1-2 (281a)

263 Nam ... 270 sunt] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, sol. 2 (283b)

264 Domine ... 265 momenta] *Act.*, 1,6-7

267 omnium ... 268 iubet] Aug., *De ciu. Dei*, XVIII, 53 (652,21-22)

272 Media ... uenit] *Matth.*, 25,6

273 Christus ... 275 iudicium] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 4 (545); Iulian., *Prognosticon*, III, 2 (82,3-6)

276 Media ... 277 tibi] *Ps.*, 118,62

278 Dominus ... Egypti] cf. Cassiod., *Exp. in Ps.*, 118, 62 (1084,1065-1067); *Exod.*, 12,12; Lomb., *Sent.*, IV, 43, 3 (512)

280 resurrectio ... 282 creata] ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, sol. 4 (284b)

luna sit tunc perfecta quoad lumen respectu emisperii nostri, ut sic eorum circulatio compleatur per reditum ad idem punctum.

Et confirmatur hoc, quia Christus tenetur resurrexisse tali hora; et ille modus uidetur probabilior, quia quidquid in aliis auctoritatibus de nocte dicitur, intelligi potest propter incertitudinem, secundum quem modum dicit APOSTOLVS quod *dies Domini sicut fur in nocte ita ueniet*, hec est hora que nescitur; et hoc expresse insinuat Christus in euangelio dicens quod *si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, uigilaret utique, et uos estote parati, quia nescitis diem neque horam.*

[17] Ad primum argumentum dicendum quod celeritas illa, de qua loquitur beatus AVGVSTINVS, est intelligenda quantum ad collectionem puluerum, que fiet ministerio angelorum; hec enim fiet in tempore, scilicet breuissimo, ut oculis hominum merito sit admirabilis uel, si intelligatur de animatione et organizatione, tunc nomen celeritatis large accipitur pro eo quod fit subito uel in instanti.

[18] Ad secundum dicendum quod plures actiones quarum quelibet est instantanea, nec habent oppositionem ad inuicem, possunt esse in eodem instanti; tales autem erunt animatio corporum et eorum organizatio in eorum resurrectione; collectio autem puluerum fiet in tempore et precedet tam animationem quam organizationem.

288 dies ... 289 ueniet] I *Thess.*, 5,2

289 hora ... nescitur] *Luc.*, 12,46

290 si ... 291 horam] cf. *Matth.*, 24,43-44

292 celeritas ... 303 organizationem] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 43, 5, (o) (153a)

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XLIV IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Solent autem nonnulli*. Determinato de resurrectionis ueritate. Hic determinat de resurgentium conditione et habet duas partes: primo inquirit conditionem resurrectionis eorum qui in hac uita uixerunt; 5 secundo specialiter inquirit de defectibus abortiuorum ibi: *Illud etiam inuestigari*. Prima habet duas: primo determinat conditionem bonorum resurgentium; secundo de conditione malorum ibi: *De reprobis autem*. Prima est presentis lectionis; et diuiditur in tres: primo determinat de statura resurgentium, secundo de integritate ibi: 10 *Non enim possunt*, tertio de gloria bonorum ibi: *Hoc autem in corporibus*.

[2] In speciali autem sic proponit MAGISTER quod omnes resurgent in etate in qua Christus resurrexit, set non in statura, set sua propria quam unusquisque habuit uel habiturus fuit; resurgent etiam cum 15 membrorum integritate, quia in quamcunque rem transiuit materia corporis, tamen reddetur illi corpori, ubi prius animata fuit, ita tamen quod tota materia reddetur toti corpori ordinata sine omni indecentia; hec autem decentia specialiter apparebit in corporibus sanctorum qui sine omni uitio et deformitate resurgent. Et in hoc 20 terminatur sententia etc.

2 Solent ... nonnulli] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44 (516-522)

5 Illud ... 6 inuestigari] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 8 (521-522)

7 De ... 8 autem] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 4-7 (519-520)

10 Non ... possunt] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 2 (517-518)

Hoc ... 11 corporibus] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 3 (518-519)

12 omnes ... 14 fuit] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 1 (516-517)

14 resurgent ... 18 indecentia] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 2 (517-518)

18 hec ... 19 resurgent] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 3 (518-519)

## QVESTIO PRIMA

VTRVM AD HOC QVOD IDEM HOMO NVMERO RESVRGAT, REQRVATVR  
 QVOD FORMETVR CORPVS EIVS <EX> EISDEM PVLVERIBVS IN QVOS FVIT  
 RESOLVTVM

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum ad hoc quod 5  
 idem homo numero resurgat, requiratur quod formetur corpus eius  
 ex eisdem pulueribus in quos fuit resolutum uel, ut QUIDAM  
 queruntur, supposito quod corpus Petri et corpus Pauli remanerent  
 post mortem non incinerata et in resurrectione anima Petri fieret in  
 corpore Pauli et corpus Petri animaretur anima Pauli, utrum esset 10  
 idem numero Petrus qui prius fuit et idem numero Paulus. Et  
 arguitur quod non, quia *que differunt secundum materiam secundum  
 numerum differunt*, ut habetur V Metaphisice; set facta ista  
 suppositione Petrus post resurrectionem differt a se ipso ante  
 resurrectionem secundum materiam; *ergo non esset idem numero.* | 15  
 π395va

[2] Item *idemtitas totius dependet ex idemptitate partium*; set si  
 anima Petri fieret in corpore Pauli, compositum ex hiis *non haberet  
 easdem partes essentielles quas habebat* Petrus ante resurrectionem, quia  
 saltem non haberent eandem materiam; ergo non esset idem  
 compositum quod prius. 20

[3] In contrarium arguitur quia *quando duo habent eandem  
 habitudinem ad tertium, quidquid causatur ex coniunctione unius cum  
 illo, causatur ex coniunctione alterius cum eodem*; set corpus Petri et  
 corpus Pauli habent omnino eandem habitudinem ad animam Petri,  
 ut probabitur; ergo si ex coniunctione unius illorum cum anima Petri 25  
 resultat idem Petrus ut prius, uidetur quod similiter fiat ex

5 utrum ... 7 resolutum] cf. Petr. de Alu., *Quodl.*, I, 20 (372-376); Ioh. Paris., *Super Sent.*, IV, 49, 2 (378-383); *Mémoire justificatif*, II (411); Iac. de Vit., *Quodl.*, I, 21 (223-230)

8 supposito ... II Paulus] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2 (172vb); cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 1 (523,1-2); uide etiam Ioh. Paris., *Super Sent.*, IV, 49, 2 (380,23-25)

12 que ... 13 differunt] cf. *Auct. Ar.*, I, 129 (125,8-9); Arist., *Metaph.*, V, 6, 1016b32-33; Petr. de Alu., *Quodl.*, I, 20, sed contra (372,13)

que ... 15 numero] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, arg. 2 (172vb); Iac. Met., *Super Sent.* (B<sup>1</sup>), IV, 44, 1, arg. 1 (523,6-8)

16 idemptitas ... 20 prius] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, arg. 1 (172vb); Iac. Met., *Super Sent.* (B<sup>1</sup>), IV, 44, 1, arg. 1 (523,3-5)

21 quando ... 32 habitudinem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., 2° (173va); Iac. Met., *Super Sent.* (B<sup>1</sup>), IV, 44, 1, resp. (526,56-64); Petr. de Alu., *Quodl.*, I, 20 (375,27-35);

Ioh. Paris., *Super Sent.*, IV, 45, 2 (377,7-14); T.W. Köhler, *Der Begriff der Einheit*, 465-466, n.51



coniunctione alterius. Probatio minoris, quia corpus Petri et corpus Pauli non habent aliquam habitudinem ad animam uel quamcumque aliam formam nisi mediante resolutione in materiam primam, qua  
 30 facta materia utriusque, cum sit pura potentia nullum actum sibi determinans, equaliter est in potentia ad omnem formam; et sic habent equalem habitudinem.

[4] Responso. Intelligendum est quod si de essentia hominis esset sola forma, questio non esset dubitabilis, quia manente eadem forma,  
 35 quantumcumque materia uarietur, semper esset idem homo; set quia communiter tenetur, et ueritas sic habet, quod de essentia et quidditate hominis et cuiuscumque substantie generabilis et corruptibilis sunt materia et forma, ideo hac suppositione facta procedendum est ad solutionem questionis. Et dicendum est quod de  
 40 hac questione oportet dare aliam sententiam si in homine preter animam rationalem sit alia forma dans materie esse corporeum et aliam si anima sola sit forma hominis dans materie esse corporeum et ceteras perfectiones.

Primo enim modo dicendum esset quod non esset idem Petrus nec  
 45 idem Paulus. Cuius ratio est quia si materia haberet esse corporeum per aliam formam ab anima, corpus diceret partem realem hominis habentem propriam entitatem et unitatem preter unitatem et entitatem quam sortiretur ab anima; cum igitur entitas et unitas totius sit ex entitate et unitate partium et secundum positionem  
 50 predictam non essent eedem partes essentielles in Petro post resurrectionem ut fuerunt ante, consequens est quod non esset idem Petrus, quia non esset idem corpus.

Si autem in homine sit unica forma substantialis, scilicet anima rationalis, dans esse corporeum cum ceteris perfectionibus, tunc  
 55 questio implicat contradictionem, quia corpus Petri non potest esse nisi compositum ex materia et anima Petri que dat ipsi tale esse; et per eandem rationem non potest esse corpus Pauli nisi compositum ex materia et anima Pauli dante tale esse; ergo anima Petri non potest esse in corpore Pauli nec econuerso, nisi anima Petri fiat anima Pauli  
 60 uel simul in eadem materia sit anima Petri cum anima Pauli. Set

29 qua ... 31 formam] cf. Petr. de Alu., *Quodl.*, I, 20 (373,9-11); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., 2° (172vb-173ra)  
 53 in ... 54 perfectionibus] cf. Thom., *Sent. De an.*, II, 1, 225 (71,266-269); *De spirit. creat.*, 3, resp., (44,393-396); *Super Sent.*, I, 3, 4, 2, sed contra 3 (116); *S.th.*, I, 76, 3-4

utrumque istorum implicat contradictionem, primum scilicet quod anima Petri sit anima Pauli, quia tunc anima Petri non est anima Petri, set Pauli; et secundum similiter, scilicet quod due forme substantiales eiusdem rationis informent eandem partem materie, quia tunc de eodem posset dici quod esset Petrus et Paulus et quia 65 Petrus non est Paulus nec Paulus Petrus, per consequens Petrus non esset Petrus, nec Paulus esset Paulus.

[5] Restat ergo quod alio modo formetur questio, si aliquo modo deberet habere locum, ut queratur sic: supposito quod anima Petri fieret in materia que fuit in corpore Pauli, utrum esset idem Petrus 70 qui prius erat; et sic intelligendo questionem primo ponetur solutio questionis; secundo mouebuntur quedam difficultates contra solutionem et tertio respondebitur ad illas difficultates.

[6] Quantum ad primum dicendum est quod cuicumque materie uniatu anima Petri in resurrectione, ex quo est eadem forma 75 secundum numerum, per consequens erit idem Petrus secundum numerum. Quod probatur dupliciter; primo ex natura materie sic: secundum ARISTOTILEM VII *Metaphisice materia* secundum se *non est quid neque quantum neque quale nec aliquod eorum predicamentorum*, nec tamen est nichil nec negatio nec priuatio, set 80 est pura potentia susceptiua omnium formarum corporalium et priuationum. Et idem dicit beatus AVGVSTINVS XII *Confessionum* quod materia nec est corpus nec forma nec aliquid de se formatum; et sic est proprie nichil, et tamen non est nichil, set est aliquid susceptibile omnium formarum. Et 85

*π395vb* COMMENTATOR in *De substantia orbis* dicit quod *materia* | *substantiatur per posse*. Ex quo patet quod ad intrinsecam naturam materie nulla actualitas omnino pertinet, set pura potentialitas ad recipiendum quamcumque actualitatem in materia possibilem.

74 cuicumque ... 77 numerum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (173va); T.W. Köhler, *Der Begriff der Einheit*, 465, n.48

78 materia ... 80 predicamentorum] cf. *Auct. Ar.*, I, 161 (128,77-78); Arist., *Metaph.*, VII, 3, 1029a20-21; ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (173ra)

81 pura ... 82 priuationum] cf. Thom., *S.th.*, I, 66, 2, resp.; *Super Sent.*, I, 2, 1, 1, ad 3 (61)

83 materia ... 85 formarum] cf. Aug., *Conf.*, XII, 6, 6 (219,26-31); Iac. Met., *Super Sent.* (B<sup>1</sup>), IV, 44, 1, resp. (524,29-30); ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (173ra)

86 materia ... 87 posse] *Auct. Ar.*, 10, 7 (229,43-44); cf. Auerr., *De subst. orb.*, I (3vbL); Iac. Met., *Super Sent.* (B<sup>1</sup>), IV, 44, 1, resp. (524,28); ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (173ra)

87 ad ... 89 possibilem] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 9 (337,12-13)

90 Ex hoc sic arguitur: quando aliquid nullam diuersitatem ex se  
 habet, set omnem quam habet uel habere potest trahit ex alio non  
 solum effectiue, set etiam formaliter, tale debet iudicari idem uel  
 diuersum ex alio; set materia prima in et ex se nullam diuersitatem  
 habet ad aliam materiam, set omnem quam habet uel habere potest  
 95 trahit ex alio, scilicet ex forma sibi indita et ex dante formam, et ex  
 uno formaliter et ex alio effectiue; ergo materia debet iudicari eadem  
 uel diuersa solum ex forma sibi indita; existente ergo eadem forma,  
 omnis materia sibi unita nunc et prius debet iudicari eadem; si autem  
 hec, et compositum. Maior de se nota est. Minor probatur ex natura  
 100 materie, que est quod ipsa sit pura potentia, ut statim dictum est,  
 quia est quo materia est pura potentia, ut statim dictum est, non  
 habet de se aliquod esse, set solum posse esse; set totum suum esse est  
 a forma, et per consequens idemptitas et diuersitas, cum ab eodem  
 habeat quodlibet esse et esse unum in se et diuersum ab alio; materia  
 105 ergo, cum de se non habeat aliquam entitatem, set solum potentiam  
 ad entitatem, ex se non habet aliquam diuersitatem, set solum  
 potentiam ad diuersitatem. Et hoc est quod dicit COMMENTATOR  
 super II Metaphisice, quod *in fundamento nature nichil est esse  
 distinctum*; uocat autem fundamentum nature materiam primam. Et  
 110 sic patet minor; sequitur ergo conclusio.

[7] Secunda ratio talis est: *nisi tota unitas materie et compositi esset a  
 forma, tunc animal quod nutritur post conuersionem alimenti non esset  
 simpliciter idem quod prius*, etiam quoad essentiam; consequens est  
 falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentie apparet per  
 115 DAMASCENVM lib. IV 5 cap., ubi dicit quod *panis et uinum et aqua in  
 corpus et sanguinem comedentis transmutantur, nec tamen fit aliud  
 corpus quam primo*; et idem uidetur sentire ARISTOTILES I De  
 generatione.

Est etiam ad hoc ratio quia si animal esset aliud essentialiter post  
 120 nutritionem quam ante, aut esset aliud secundum se totum aut

90 quando ... 97 indita] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., 1° (173va)

108 in ... 109 distinctum] *Auct. Ar.*, I, 31 (117,34-35); Arist., *Metaph.*, I, 8, 989b6-7; Thom.,  
*In Metaph.*, I, 12, 198 (58)

111 nisi ... 117 primo] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., 3° (173vb); T.W. Köhler,  
*Der Begriff der Einheit*, 466, n.52

nisi ... 143 compositum] Petr. de Alu., *Quodl.*, I, 20 (375,36-376,9)

115 panis ... 117 primo] Ioh. Dam., *De fide orth.*, IV, 13 (313,106-108)

117 idem ... Aristotiles] cf. Arist., *De gen. et corr.*, I, 5, 321b32-322a4; 322a16-29

secundum partem solum: non secundum se totum, ut de se patet (tunc enim in omni nutritione esset noua generatio, quod est falsum); nec secundum partem, quia aut secundum formam aut secundum materiam: non secundum formam, quia, ut dicitur I De generatione, in hoc differt nutritio a generatione quia in nutritione materia non accipit nouam formam, que prius non fuit, set solum sub forma que prius extitit; in generatione autem materia accipit nouam formam, que omnino prius non fuit; nec secundum materiam, quia aut secundum totam aut secundum partem: non secundum totam, quia materia animalis preexistens non tota simul abicitur et alia tota noua inducitur, ut de se patet; nec secundum partem, quia materia secundum se non habet partem et partem in essentia sua circumscripta particularitate quidditatiua, de qua non loquimur; igitur idem animal penitus quoad substantiam in toto et in parte est ante nutritionem, et sic patet falsitas consequentis. Probatio consequentie, quia per nutritionem forma animalis fit de nouo in materia alimenti, que si haberet de se aliquam unitatem preter illam quam habet a forma, tunc materia post nutritionem differret a materia ante nutritionem, sicut differret totum a parte, et per consequens esset aliud animal, saltem in parte. Patet ergo quod materia de se nullam habet idemptitatem uel diuersitatem nisi quam habet a forma; et sic manente eadem forma est et eadem materia, undecumque ueniat, et per consequens est idem compositum.

[8] Quantum ad secundum sciendum est quod contra ea que dicta sunt potest sic obici: *ab eodem habet aliquid entitatem et unitatem in se et distinctionem ab alio; set materia habet entitatem essentialem non a forma* nec per formam, licet non sine forma; ergo habet unitatem in se et distinctionem ab alio, quam a forma aut per formam; non ergo materia habet totam unitatem et distinctionem a forma, sicut supponit precedens ratio. Probatio minoris tripliciter, quia materia est ingenerabilis et incorruptibilis, ut dicitur I *Phisicorum*; set nulla entitas que sit in materia | per formam uel a forma est ingenerabilis et incorruptibilis, cum per generationem acquiratur et per corruptionem amittatur; quare etc.

125 in<sup>1</sup> ... 126 fuit] cf. Arist., *De gen. et corr.*, I, 5, 322a16-30

145 ab ... 149 forma] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (174ra); T.W. Köhler, *Der Begriff der Einheit*, 466, n.53

150 materia ... 151 incorruptibilis] cf. Arist., *Phys.*, I, 9, 192a25-29; Auerr., *Phys.*, I, 82 (46vbK)

155 Item *realis compositio est ad minus duorum* realiter differentium; *set materia et forma faciunt realem compositionem, quia sunt duo* realiter distincta, *quod non esset nisi materia secundum se haberet aliquam realem* entitatem preter illam quam habet a forma.

Item subiectum manet idem sub termino utroque transmutationis;  
160 *set materia est subiectum transmutationis, que est <a> forma in* formam; ergo eadem est materia sub diuersis formis, quod non posset esse *si materia haberet totam unitatem suam a forma.*

[9] Tertio restat soluere istas obiectiones. Circa quod est notandum quod cum materia de se sit pura potentia ad esse, ex tali entitate  
165 competit ei duplex distinctio: una qua distinguitur a puro non ente per hoc quod ipsa est aliquo modo ens, alia qua distinguitur ab actu per hoc quod ipsa est potentia. Et de hac duplici distinctione procedit ratio que probat quod materia habet aliquam entitatem et unitatem in se, per quam est ingenita et incorruptibilis et alia <a>  
170 forma realiter et subiectum transmutationis, que est a forma in formam; et ad hoc sufficit entitas potentialis solum et unitas proportionabiliter ei correspondens. Set de hac <non> loquimur, quia solum querimus de distinctione materie a materia et eius unitate; talem autem distinctionem impossibile est inuenire secundum se,  
175 cum omnis materia secundum se sit pura potentia tantum, et per hoc una non potest distingui ab alia secundum rationem communem potentie, cum in hoc conueniant.

Item nec secundum numeralem distinctionem potentie a potentia, quia numerus eorum que sunt unius rationis supponit entitatem  
180 actualem eorum que numerantur; si enim possunt solum esse et nondum sint, possunt quidem esse plura numero, set nondum sunt; cum igitur materia secundum se non habeat aliquam entitatem actualem, set omnem quam habet, habet a forma, consequens est quod secundum se non potest habere aliquem numerum quo  
185 distinguatur ab alia.

155 *realis ... 158 forma*] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., ad dubia (173vb); T.W. Köhler, *Der Begriff der Einheit*, 466, n.53

159 *subiectum ... 162 forma*] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., ad dubia, 2° (173vb-174ra); God. de Font., *Quodl.*, X, 9 (337,42-338,6); T.W. Köhler, *Der Begriff der Einheit*, 466, n.53

164 *cum ... esse*] cf. Iac. Met., *Super Sent.* (B<sup>1</sup>), IV, 44, 1, resp. (523,12-13)

160 a] *suppl.: om. π*    169 a] *suppl.: om. π*    172 non] *suppl.: om. π*

[10] Si autem aliquis diceret quod tota distinctio numeralis materie est quidem per formam uel a forma solum quantum ad fieri, non autem quantum ad conseruari, ac per hoc materia que facta est per formam diuersa numero a quacumque alia materia semper manet alia nec recipit nouam unitatem numeralem sub quacumque forma de nouo fiat, set semper retinet preexistentem, et sic non oportet quod materia que fit sub aliqua forma sit eadem numero cum omni materia que prius fuit sub eadem, dicendum quod non ualet, quia licet in causis efficientibus aliquid possit esse causa in fieri et non in conseruari, in formalibus tamen numquam; nichil enim potest esse album sine albedine; cum igitur forma sit causa unitatis et entitatis materie per quam est una et distinguitur ab alia, non efficiens, set formalis, impossibile est talem distinctionem fieri uel conseruari sine forma. Patet igitur quod remanente eadem forma secundum numerum, quecumque materia adueniat et undecumque, est idem homo secundum numerum propter hoc quod tota actualis unitas cuiuscumque rei est a forma. Et secundum istam uiam euaduntur multe difficultates que tanguntur circa materiam resurrectionis, sicut est illa de costa Ade, de qua formatum est corpus mulieris, ut dicitur Gen. 2, et illa qua queritur si aliquis homo nutriatur ex carnibus alterius hominis, et de superfluo alimenti generetur alius homo in quo istorum talia resurgant; secundum enim ea que dicta sunt prius non differt quantum ad unitatem materialem resurgentis, in quo talis materia resurgat, cum ipsa de se nullam entitatem uel unitatem uel pluralitatem habeat, set omnia ista competunt ei per formam que, si eadem est, totum compositum erit idem.

[11] Per hoc patet responsio ad principalia argumenta questionis, quia secundum hanc positionem non solum saluamus idempnitatem forme, set etiam materie, modo quo dictum est.

[12] Argumentum in oppositum, licet sit ad ueram conclusionem, nichil tamen probat; cum enim dicitur quod quando aliqua duo habent eandem habitudinem ad tertium, quidquid causatur ex coniunctione unius illorum cum tertio, illud idem causatur ex coniunctione alterius cum ipso, dicendum est quod non est uerum,

204 illa ... mulieris] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 3, arg. 2 (301a); *Gen.*, 2,21-22

205 illa ... 206 hominis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 3, arg. 3 (301a)

206 de ... 207 resurgant] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 3, arg. 4-5 (301a-b)

216 quando ... 219 ipso] cf. supra, 3 (40,21-23)

220 nisi illa duo habeant ad tertium eandem habitudinem secundum  
numerum, quia | si habent aliam et aliam habitudinem secundum *π396rb*  
numerum, ex coniunctione cuiuscumque illorum cum tertio fiet  
quidem simile, set non idem numero; sic autem est in multis. Ideo  
propositio non est omnino uera de uirtute sermonis.

## QVESTIO SECVNDA

## VTRVM OMNES TAM BONI QVAM MALI INTEGRALITER RESVRGENT

[1] Secundo queritur de integritate resurgentium utrum omnes tam boni quam mali integraliter resurgent. Et arguitur quod non, quia *in operatione Dei nichil est frustra; set frustra est instrumentum cuius nullus* 5 *potest esse usus; ergo cum aliqua sint membra quorum nullus erit usus in resurrectione*, sicut ea que sunt generationi deputata, uidetur quod cum talibus membris corpora non resurgant; et sic non integre.

[2] Item humores corporis uidentur pertinere ad integritatem corporis; set humores non resurgent; ergo etc. Minor probatur 10 dupliciter: primo, quia *humores sunt ad restaurationem deperditi; set post resurrectionem non fiet deperditio*; quare etc. Secundo, quia nichil habet ordinem ad resurrectionem nisi propter animam rationalem; set humores corporis non sunt animati anima rationali; ergo non uidentur habere ordinem ad resurrectionem. 15

[3] In contrarium arguitur sic, quia capilli et unguis minime uidentur pertinere ad integritatem hominis; set ista resurgent secundum illud *L u c. 21: Capillus de capite uestro non peribit*; ergo fortiori ratione alia que pertinent ad integritatem hominis.

[4] Responsio. Aliqua possunt ad integritatem hominis pertinere 20 tripliciter: primo tamquam ea sine quibus non potest esse homo seu natura humana, sicut forma et materia, ex quorum coniunctione resultat natura humana precise <nec> aliud includit in ratione sua; secundo modo tamquam ea que pertinent ad essentiam hominis seu nature humane, et tamen sine eis potest esse homo, quia preter 25 naturam includit aliquid aliud, uerbi gratia pes et manus et quedam consimilia membra pertinent ad essentiam hominis, et tamen sine pede et manu potest homo esse, quod pro tanto est, quia pes et manus non includunt solum illud quod pertinet ad essentiam

4 in ... 8 resurgant] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 1, arg. 1 (412a); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 1, arg. 1 (299b-300a)

9 humores ... 15 resurrectionem] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 1, 2, arg. 1-3 (417b)

11 humores ... 12 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 3, arg. 2 (300b)

18 Capillus ... peribit] *Luc.*, 21,18; ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 1, 1, arg. 2 (417b); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 2, sed contra 1 (300b)

23 nec] *suppl.: om. π*



30 hominis, set aliquid additum, scilicet quantitatem et talem figuram, sine quibus non uocaretur manus aut pes; tertio modo pertinent aliqua ad integritatem nature hominis non intrinsece aliquo modo, set pure extrinsece, quia secundum cursum communem nature natura non saluaretur nisi illis adiunctis, sicut humores; si quid  
35 autem aliud dicatur pertinere ad integritatem hominis, illud est pure accidentale pertinens ad ornatum uel aliquid consimile, sicut capilli.

[5] Si ergo loquamur de hiis que primo modo pertinent ad integritatem hominis, dicendum est quod talia non resurgent, set ex eorum reunionem resurget homo. Et hoc statim probabitur, quia sicut  
40 allegatum fuit prius ex dicto DAMASCENI, *resurrectio est eius quod cecidit iterata surrectio*; set per mortem solus homo qui moritur cadit, forma autem, scilicet anima intellectiua, et materia prima, quorum quodlibet est ingenerabile et incorruptibile, non cadunt; ergo solus homo resurget ex unione forme cum materia, que constituunt precise  
45 essentiam hominis. Et sic resurget integraliter primo modo, set non ex resurrectione talium partium, set ex sola reunionem earum; et hoc erit commune bonis et malis, sicut resurrectio que sine hoc esse non potest.

[6] Si autem loquamur de hiis que pertinent ad integritatem  
50 hominis secundo modo, ut sunt membra organica, pes manus et consimilia, adhuc dicendum est quod boni resurgent cum predicta integritate, siue eam habuerint dum hic uiuerent siue non, quia *beatus est qui habet quidquid uult et nichil mali uult* secundum AVGVSTINVM; set quilibet naturaliter uult talem integritatem nec boni  
55 hoc uolendo uolunt aliquid mali; ergo ipsi hanc integritatem habebunt. Item gloria perficiet naturam perfectione consummata, non solum quoad animam, set etiam quoad corpus; *reformabit enim Christus corpus humilitatis nostre configuratum corpori claritatis sue*, ut dicitur P h i l . 3; si ergo aliquid defuit corporibus bonorum dum hic  
60 uiuerent de integritate membrorum, in resurrectione totum supplebitur beatis, certe multo magis uidetur quod hanc integritatem habebunt si eam habuerunt dum hic uiuerent; in eis enim locum habet quod Deus in finali reparatione non minus faciet eis quantum

π396va

40 resurrectio ... 41 surrectio] cf. Ioh. Dam., *De fide orth.*, IV, 27 (377,5-6); Thom., *Super Sent.*, III, 21, 2, 1, arg. 1 (641); IV, 44, 1, 1, sol. 1 (297a)

53 beatus ... uult?] Aug., *De Trin.*, XIII, 5 (393,37-38)

57 reformabit ... 58 sue] *Phil.*, 3,21

ad ea que ad naturam pertinent quam fecerit in prima institutione quando natura humana formata est integra. De reprobis etiam idem 65 est, si ipsi predictam integritatem hic habuerunt, quia resurrectio reparabit illud quod cecidit, sicut nomen eius sonat. Si autem non habuerunt eam, ut illi qui nascuntur cum uno pede uel cum unico oculo, non apparet quare in resurrectione debeant predictam integritatem habere, quia reparatio nature in resurrectione erit 70 finaliter propter remunerationem bonorum et propter punitionem malorum; *resurgent enim boni ad uitam gloriosam, mali uero in opprobrium ut uideant semper*, sicut dicitur Dan. 12. Ex quo sic arguitur: sicut sancti resurgent ad ultimam felicitatem, sic dampnati ad ultimam miseriam; set sanctis nichil auferetur quod pertineat ad 75 eorum felicitatem, set potius superaddetur; ergo dampnatis similiter nichil auferetur de hiis que pertinent ad eorum miseriam, set potius superaddetur; huiusmodi autem defectus ad aliquam miseriam pertinent; quare etc. Item defectus membrorum si aliquos habuerint hic sancti tollentur ab eis in resurrectione ex diuina gratia; set 80 dampnatis nulla fiet gratia; ergo non tolletur ab eis talis defectus. Set contra hoc posset dici quod mali in resurrectione erunt incorruptibiles, quod non erit per naturam, set per gratiam gratis datam; similiter tollentur ab eis tales defectus per gratiam gratis datam. Set illud non ualet, quia eternitas pene malorum necessario 85 requirit eorum incorruptibilitatem, et ideo dabitur eis in resurrectione non ad gratiam, set ad penam; integritas autem membrorum quam hic non habuerunt nichil faceret ad penam, set magis ad aliqualem gratiam si eis daretur.

[7] De tertia integritate dicendum est quod omnes tam boni quam 90 mali resurgent integraliter. Cuius ratio est quia per resurrectionem reparabitur natura quantum ad omnia que fuerunt de necessitate nature pro statu presentis uite, exceptis hiis que pertinent ad statum nutritionis uel generationis, qui non erit per resurrectionem; set humores corporis, ut sanguis, cholera et huiusmodi sunt de 95 necessitate nature pro statu presentis uite; ergo reparabuntur in resurrectione. De quarta autem integritate que magis pertinet ad ornatum et ad quandam decentiam, ut sunt capilli et similia dicentur in sequenti questione.

100 [8] Ad primum argumentum dicendum est quod *membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam: uel secundum habitudinem materie ad formam uel secundum habitudinem instrumenti ad principium actiuum. Primo modo finis membri non est eius operatio, set perfectum esse speciei, quod post resurrectionem*  
 105 *habebitur. Secundo modo finis eius est operatio, nec tamen sequitur quod quando deficit operatio, frustra sit instrumentum, quia instrumenta non solum sunt ad exequendum operationem agentis, set ad ostendendum uirtutem ipsius;* et ideo membra quorum nullus erit actus remanebunt ut pertinentia ad integritatem corporis et ut ostendentia uirtutem  
 110 agentis.

[9] Ad secundum dicendum quod *triplex humor est in homine: quidam in recedendo a perfectione indiuidui, uel quia est in uia corruptionis et a natura abicitur tamquam simpliciter superfluum, sicut urina, sudor, sanies et huiusmodi, uel quia a natura ordinatur ad*  
 115 *generationem seu conseruationem speciei in aliquo indiuiduo siue per actum generatiue, sicut semen, siue per actum nutritiue, sicut lac, et nullus talium humorum resurget, quia post resurrectionem non erit status quo unum indiuiduum generetur uel foueatur seu nutriatur ab alio, set solum quo unusquisque subsistat in se ipso.*

120 *Alia est humiditas que nondum peruenit ad ultimam perfectionem quam natura operatur in indiuiduo, set est ordinata ad illam, hoc est: non est conuersa in ueritatem humane nature, set est in uia conuersionis. Et hec est duplex, quia quedam est que habet formam determinatam, hoc est secundum se non existentem in uia ut transeat*  
 125 *ad aliam formam, ut sanguis et alii tres humores, qui continentur intra partes corporis, et isti resurgent. Quod patet, quia resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi; set | in Christo post resurrectionem* π396vb  
*fuit sanguis, alioquin nunc non transsubstantiaretur uinum in sanguinem Christi in sacramento altaris, et eadem ratione sunt et*  
 130 *fuerunt alii humores in eo; ergo et in nobis erunt.*

100 membra ... 110 agentis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 1, ad 1 (302a-b)

111 triplex ... 119 ipso] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, sol. 3 (303a)

triplex ... 141 reassumpti] de triplici humido uide etiam Alb., *De resurr.*, I, 6, 9, sol. (255,15-256,10); *De hom.*, I, 3, 5 (110,46-52); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, ad 2 (418a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 44, 1, 1, resp. (95va)

120 Alia ... 126 resurgent] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, sol. 3 (303a-b)

126 resurrectio ... 130 erunt] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 2, 3, sed contra 2 (300b)

*Alia uero est humiditas in uia transeundi de uia humoris in formam membri; et talis non resurget, quia post resurrectionem singule partes corporis sic stabilientur ut una non transeat in alteram,* quia cessabit tempus generationis et corruptionis. Quod autem dictum est de huiusmodi humoribus non est intelligendum sic quod huiusmodi 135 humores prius corrupti redeant iidem numero, set solum iidem in specie; si uero sanguis et ceteri humores qui fuerunt in Christo non fuerunt in triduo mortis corrupti, quod nec oportuit, cum huiusmodi humores non informentur anima rationali, tunc surrexerunt in Christo iidem humores secundum numerum, immo non surrexerunt, 140 quia non fuerunt corrupti, set fuerunt reassumpti.

Et per hoc patet responsio ad duas probationes minoris secundi argumenti, quia humores erunt in corporibus gloriosis, non ut in uia conuersionis in substantiam hominis nec quia iterum sint actu informati anima rationali, set quia habent ordinem ad ipsam, ut 145 quedam pertinentia ad integritatem secundo modo dictam.

## QVESTIO TERTIA

VTRVM CORPORA RESVRGANT SINE DEFORMITATIBVS QVAS HABVERVNT  
HIC

[1] Tertio queritur utrum corpora resurgant sine deformitatibus quas  
5 habuerunt hic. Et uidetur quod non, quia resurrectio Christi fuit  
exemplar nostre resurrectionis; set Christus resurrexit cum  
cicatricibus passionis quas ostendit Thome, ut habetur I o h. 20, et  
tamen cicatrices quandam deformitatem habent; ergo uidetur quod  
omnes alii cum suis deformitatibus resurgant.

10 [2] Item hic arguitur sic specialiter de reprobis, quia pena debet  
remanere remanente culpa; set aliqui mutilantur hic in penam  
peccati, de quo numquam postea penitent, et sic culpa numquam  
remittitur; ergo pena debet remanere.

[3] Item corpus debet coaptari anime; set anime reproborum  
15 numquam absoluentur a deformitatibus spiritualibus; ergo nec  
corpora eorum a corporalibus deformitatibus.

[4] In contrarium arguitur quia *deformitates contingunt* in corpore  
*ex errore uirtutis formatiue; set uirtus diuina reformans corpora* in  
resurrectione *non potest errare; ergo in corporibus resurgentibus non erit*  
20 *aliquo modo deformitas.*

[5] Responso. Deformitas in corpore potest contingere tripliciter:  
uno modo ex defectu alicuius conuenientis, sicut mutilatos uel nanos  
dicimus deformes, primos ex defectu membri conuenientis, secundos  
ex defectu debite quantitatis; secundo modo contingit deformitas ex  
25 appositione alicuius disconuenientis, ut est membrum superfluum, ut  
sextus digitus, uel macula superueniens oculo uel alia superfluitas in  
aliquo membro; tertio modo ex indebita membrorum dispositione  
quoad situm et positionem, ut in claudis et luscis uel in aliquo  
huiusmodi.

6 Christus ... 7 Thome] cf. *Iob.*, 20,26-29

10 pena ... 13 remanere] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, 1, arg. 1 (336a)

14 corpus ... 16 deformitatibus] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 4, 2, arg. 1 (421a)

17 deformitates ... 20 deformitas] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 4, 2, sed contra 2 (421a)

21 Deformitas ... 29 huiusmodi] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sol. 1 (337b); *Quodl.*, VII, 5, 2, resp. (26,14-25)

[6] Quantum ad primum modum questio est partim soluta in 30  
 questione precedenti, scilicet quantum ad deformitatem que  
 contingit ex defectu cuiuslibet membri, quia ostensum fuit quod  
 omnes boni resurgent cum integritate membrorum; secus autem est  
 de malis, ut dictum fuit, quamuis aliqui idem sentiant de utrisque  
 tam bonis quam malis, quod etiam MICH I quandoque fuit uisum. 35  
 Quantum ad deformitatem que contingit ex defectu quantitatis  
 dicitur communiter quod omnes tam boni quam mali resurgent in  
 debita quantitate, in illa uidelicet ad quam natura uniuscuiusque non  
 errans nata est perducere in termino augmenti. Et cum natura  
 humana dupliciter deficiat a debita quantitate, uno modo, quia 40  
 nondum eam consecuta est, ut in pueris, alio modo, quia ab ea iam  
 recessit, ut in senibus, in sola autem iuuenili etate habetur status  
 perfectionis et in quantitate et in uigore, ideo in illa conditione  
 reparabitur natura in resurrectione.

Auctoritas etiam est ad hoc Eph. 4, ubi dicit APOSTOLVS loquens 45  
 de resurgentibus: *Donec occurramus omnes in uirum perfectum, in*  
 π397ra *mensuram etatis plenitudinis Christi; set Christus | resurrexit in perfecta*  
*quantitate quam habuit in etate iuuenili, que circa triginta annos*  
*incipit, ut AVGVSTINVS dicit; ergo et alii in simili etate resurgent et in*  
*quantitate tali quam habuerunt aut habuissent si ad illam etatem* 50  
*peruenissent et non incidisset error nature. Non tamen propter hoc*  
*est intelligendum quod post resurrectionem omnes sint futuri*  
*eiusdem quantitatis, quia non omnes in etate iuuenili perueniunt ad*  
*eandem quantitatem, etiam natura non errante, set quidam ad*  
*minorem, quidam uero ad maiorem secundum diuersitatem humidi* 55  
*extensibilis per calidum et calidi extendentis humidum.*

[7] Quidquid sit de conclusione, auctoritas tamen APOSTOLI non  
 loquitur de omnibus resurgentibus, set solum de sanctis. Quod patet  
 per id quod precedit in dicta auctoritate; dicitur enim ibi sic: *Ipse*  
*dedit quosdam apostolos, quosdam prophetas, et subiungens: ad* 60

32 ostensum ... 33 membrorum] cf. supra, 44, 2, 6 (49-50)

39 Et ... 44 resurrectione] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 3, resp., 1° (174rb); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 3, sol. 1 (309b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 5, sol. 1 (421b)

46 Donec ... 47 Christi] *Eph.*, 4, 13

Donec ... 49 resurgent] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 1, 3, 1, sed contra 1 (308a); cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 3, sed contra (174rb)

47 Christus ... 49 incipit] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXII, 15 (834,1-24)

59 Ipse ... 63 Christi] *Eph.*, 4, 11-13

*consummationem sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei in uirum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi.* Ex quo uidetur quod illud dictum APOSTOLI quo dicit: Donec occurramus  
 65 omnes etc., non sit intelligendum de omnibus uniuersaliter, quia dicit in unitatem fidei, non omnes autem habent fidem. Item nec intelligitur de omnibus fidelibus, set de predestinatis et electis; dicit enim: Ad consummationem sanctorum; igitur ex predicta auctoritate non habetur nisi quod sancti resurgant in perfecta quantitate sicut et  
 70 Christus, quod omnes concedunt.

[8] De deformationibus autem contingentibus secundo modo et tertio modo dicunt quidam quod huiusmodi deformitates tollentur non solum ab electis, set etiam a dampnatis. Quod probant sic: effectus non deficit a sua integritate et debita perfectione nisi propter  
 75 debilitatem uirtutis actiue uel propter indispositionem materie; set resurrectio fiet uirtute diuina cui subest quando uoluerit, et quidquid uoluerit posse, nec respectu eius potest esse aliqua indispositio materie quam non possit pro libito tollere; ergo omnes resurgentes resurgent cum membrorum debita dispositione et integritate. Et  
 80 confirmatur, quia non minus faciet uirtus diuina in finali reparatione humane nature quantum ad ea que ad naturam pertinent quam fecerit in prima institutione nature; si enim Dei perfecta fuerunt opera in principio, ut dicitur *Gen. I*, fortiori ratione debent esse perfecta in fine quantum ad ea que ad naturam precise pertinent; set  
 85 in prima institutione nature creauit Deus homines in predicta integritate; ergo in resurrectione reparabit eos in consimili; et iste rationes tendunt ad hoc quod omnes tam boni quam mali resurgent sine ulla deformitate ex quacumque causa contingente, et de bonis, ut supra dictum est, omnes hoc concedunt. Et idem dicit beatus  
 90 AVGVSTINVS in *Enchiridion*, 62 cap., ubi dicit sic: *Resurgent sanctorum corpora sine ullo uitio, sine ulla deformitate sicut sine ulla corruptione*; set de reprobis dimittit sub dubio in 64 capite dicens: *Vtrum sane sane dampnati resurgent cum uitiiis et deformitate corporum, ex quacumque causa contingente quid opus est laborare illud inquirendo?*  
 95 *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo eorum, quorum erit certa et sempiterna dampnatio.* Hec AVGVSTINVS.

90 Resurgent ... 92 corruptione] Aug., *Enchir.*, XXIII, 91 (98,93-94)

93 Vtrum ... 96 dampnatio] Aug., *Enchir.*, XXIII, 92 (98,119-123)

[9] Qui uellet tenere quod reprobi resurgent cum deformitatibus quas hic habuerunt, maxime cum illis quas habuerunt a natiuitate, posset respondere ad rationes aliorum. Ad primam, cum dicitur quod effectus non deficit a sua integritate et perfectione nisi propter debilitatem uirtutis actiue uel propter indispositionem materie, dicendum est quod licet hec propositio posset concedi de agente ex necessitate nature, tamen non est uera de agente per liberam uoluntatem; tale enim agens non facit quantum potest, set quantum et quale uult, et congruit fini propter quam agit. Deus autem licet agat libere in omni opere circa creaturas, tamen aliud decuit fieri in opere creationis et aliud in opere resurrectionis propter alium finem ad quem ordinatur unum opus et aliud. Opus enim creationis per quod fuit natura instituta ordinabatur ad hoc quod per creaturas a Deo immediate factas alie propagarentur; et quia imperfecta sumunt originem a perfectis, ideo decuit quod omnes res a Deo immediate create essent perfecte in esse | nature; opus autem resurrectionis ordinatur ad remunerationem bonorum et ad punitionem malorum; et huic fini congruit quod in bonis sit perfectio nature et glorie quantum ad corpus et quantum ad animam. Congruuit etiam quod mali qui resurgent ad penam resurgant cum omni opprobriosa conditione quam habuerunt in presenti uita, ut impleatur prophetia DANIELIS prius allegata, quod *ipsi resurgent in opprobrium ut uideant semper*. He autem deformitates cum quibus resurgent reprobi erunt conditiones nature, ut prius hic habite, et non infligentur a Deo, ut pene peccatorum, quia multi magni peccatores, qui non habuerunt in presenti seculo tales deformitates, non habebunt eas post resurrectionem set solum illi reprobi qui eas hic habuerunt. Per idem patet responsio ad confirmationem prioris rationis. Ad rationes principales.

[10] Ad primam dicendum est quod cicatrices fuerunt in Christo resurgente ex speciali dispensatione ut per eas ostenderetur idemptitas Christi resurgentis; non sic autem erunt in aliis. Vel si sint in martiribus, hoc erit ad ostendendum titulum martirii et non ad deformitate, si qua fuit prius, set sic aptabuntur uirtute diuina ut sufficienter insinuent titulum martirii et tamen nichil continebunt dedecoris.



[11] Ad secundam dicendum quod *pena infligitur secundum conditionem fori*, et ideo *pene que in hoc iudicio temporali infliguntur*  
135 *pro aliquo peccato sunt temporales nec se extendunt ultra uite terminum*;  
punientur ergo dampnati pro peccatis hic non dimissis, set non per  
penam hic inflictam, set per aliam grauiorem secundum quod exiget  
rigor diuini iudicii.

[12] Tertium argumentum facit pro ILLIS qui dicunt quod  
140 dampnati resurgent cum deformitatibus quas hic habuerunt, quorum  
opinio uidetur satis probabilis. Argumentum alterius partis solutum  
est per ea que dicta sunt in corpore solutionis questionis.

## QVESTIO QVARTA

VTRVM CORPORA BONORVM SINT FVTVRA IMPASSIBILIA PER ALIQVAM  
FORMAM SIBI INEXISTENTEM

[1] Deinde queritur de conditione corporum gloriosorum et primo de dote impassibilitatis utrum corpora bonorum sint futura impassibilia 5 per aliquam formam sibi inexistentem. Et uidetur quod sic, quia gloria corporis correspondet glorie anime; set gloria anime est per aliquam formam sibi inherentem; ergo et gloria corporis, scilicet impassibilitas et cetere dotes. Maior de se patet. Minor declaratur, quia tam uisio quam fructio sunt per aliquas formas inherentes 10 anime, scilicet per ipsas operationes manentes in operante et per lumen glorie et caritatem, mediantibus quibus predictae operationes eliciuntur.

[2] Item perfectior est impassibilitas corporum gloriosorum quam fuisset impassibilitas tempore innocentie; set impassibilitas status 15 innocentie fuit per aliquam formam inherentem; ergo impassibilitas corporum in statu glorie erit per aliquam formam inherentem. Minor probatur, quia impassibilitas status innocentie fuit per iustitiam originalem, que fuit, ut uidetur, aliquis habitus uel aliqua forma positua. 20

[3] Item uerior est potentia qua aliquid potest non pati quam potentia qua aliquid potest pati, ut patet ex V M e t a p h i s i c e; set potentia qua aliquid potest pati est aliquid posituum inherens; ergo fortiori ratione potentia qua aliquid potest non pati. Set corpora gloriosa, si futura sint impassibilia, hoc erit per potentiam qua 25 possunt non pati; ergo illa erit aliquid posituum et inherens.

[4] Item, sicut bonis hominibus promittitur equalitas angelorum quoad animam iuxta illud quod dicitur M a t t h . 22: *Erunt sicut angeli Dei in celis*, sic eisdem promittitur quoad corpus equalitas uel similitudo cum corporibus celestibus iuxta illud quod dicitur 30 M a t t h . 13: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum*; set impassibilitas corporum celestium est per aliquam formam eis inherentem, ex eo quod forma terminat totum appetitum materie;

21 uerior ... 22 pati] cf. Auic., *Metaph.*, IV, 2 (194,88-89)

28 Erunt ... 29 celis] *Matth.*, 22,30

31 Fulgebunt ... eorum] *Matth.*, 13,43

ergo et impassibilitas corporum gloriosorum erit per aliquam formam  
 35 eis inherentem. |

*π397va*

[5] In contrarium arguitur, quia effectus priuatiuus non requirit  
 nisi causam priuatiuam; set esse impassibile est quidam effectus  
 priuatiuus; ergo non requirit nisi causam priuatiuam; non oportet  
 igitur quod corpora gloriosa sint impassibilia per aliquam formam eis  
 40 inherentem.

[6] Item aut beati possunt scire quantum ignis sit calidus aut non;  
 si dicatur quod non, contra, quia uidetur imperfectionis quod sensus  
 non cognoscat in patria quod cognoscit in uia; oportet ergo quod  
 tactus bonorum immutetur uel possit immutari a calore ignis  
 45 secundum suam excellentiam, quod non potest esse sine uera  
 passione.

[7] Responso. Cum passibilitas et passio sibi correspondeant ut  
 potentia et actus, sicut passio dicitur multipliciter, ita et passibilitas.  
 Accipitur autem passio uno modo large pro receptione forme,  
 50 quantumcumque conuenientis nature rei; alio modo sumitur stricte  
 pro amissione forme conuenientis secundum naturam et pro  
 receptione forme disconuenientis et contrarie secundum naturam. Et  
 simili modo passibilitas dicitur dupliciter, scilicet pro potentia  
 susceptiua prime passionis aut secunde. Loquendo de passione uel  
 55 passibilitate primo modo dicta, corpora sanctorum non erunt  
 impassibilia post resurrectionem, quia in corporibus glorificatis erit  
 usus sensuum; set talis non potest fieri sine receptione speciei  
 sensibilis uel actus sentiendi; ergo in beatis erit passio que est receptio  
 forme conuenientis. Secundo, quia corpora gloriosa assimilabuntur  
 60 corporibus celestibus, que sunt incorruptibilia per naturam; set  
 corporibus celestibus non repugnat passio que est receptio forme  
 conuenientis perficientis, sicut uidemus de luna que illuminatur a  
 sole et ceteris planetis et stellis, ut innuitur in libris *De*  
*proprietatibus elementorum*; ergo corporibus gloriosis  
 65 non repugnat passio que est receptio forme conuenientis.

47 Cum ... 52 naturam] cf. supra, III, 15, 2, 5 (239vb)

49 passio ... 52 naturam] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 4, resp. (175ra); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 1, sol. 1 (313b); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 44, 2, 1, resp. (95vb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 1, resp. 1 (477b-478a); *Auct. Ar.*, 6, 94-95 (182,52-57)

62 uidemus ... 63 stellis] cf. Ps.-Arist., *De prop. elem.* (89,49-52)

Si autem loquamur de passione et passibilitate que attenditur secundum abiectiōem forme conuenientis et receptionem disconuenientis, sic questio proposita difficultatem habet quoad conclusionem, si consideretur natura rei, et quoad modum, si inquiratur ratio talis impassibilitatis. 70

[8] Procedetur ergo sic in questione quia primo inquireretur per quid aliquid est passibile passione proprie dicta, et ex hoc uidebitur quomodo aliquid possit dici impassibile, eo quod priuatio cognoscitur per habitum; passibile autem et impassibile opponuntur priuatiue quantum ad illa que per nomina formaliter importantur. 75 Secundo applicabitur ad propositum, scilicet an corpora gloriosa sint impassibilia et per quid, utrum per formam inherētem uel solum per naturam extrinsecam impediētem passionem.

[9] Quantum ad primum sciendum est quod ex hoc dicitur aliquid passibile proprie, ut nunc loquimur, quia potest transmutari a 80 dispositione sibi conuenienti secundum naturam ad dispositionem innaturalem uel contrariam nature; posse autem transmutari conuenit alicui per solum principium passiuum uel per potentiam passiuam, sicut patet per diffinitionem potentie passiuę, que datur V Metaphisice, scilicet quod *potentia passiuā est principium* 85 *transmutandi ab altero*; ergo esse passibile conuenit alicui solum per potentiam passiuam. Hęc autem potentia passiuā non est potentia solius materie, quia illud quod indifferēter se habet ad omnem formam (nec una est magis ipsi essentialis quam altera) non est principium per quod aliquid sit passibile passione proprie dicta; set 90 materia quantum est de se indifferēter se habet ad omnem formam, nec una est magis ipsi connaturalis quam alia; ergo materia quantum est de se non est principium passionis proprie dicte. Maior declaratur, quia nos loquimur de passione per quam abicitur forma conueniens nature et inducitur disconueniens; et ideo quod indifferēter se habet 95 ad omnem formam, ita quod una non est magis conueniens ipsi quam altera, non potest esse causa talis passibilitatis uel passionis. Minor similiter manifesta est, quia materia prima de se non

66 passione ... 68 disconuenientis] cf. *Auct. Ar.*, 6, 94 (182,52-54)

79 Quantum ... 102 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 4, resp. (175ra-b)

85 potentia ... 86 altero] *Auct. Ar.*, I, 220 (133,87); cf. Arist., *Metaph.*, IX, I, 1046a11-13

70 impassibilitatis] *coni.*: passibilitatis π

determinat sibi aliquam formam substantialem, set indifferenter se  
 100 habet ad omnes, et per consequens non determinat sibi aliquam  
 formam accidentalem, cum determinatio formarum accidentalium sit  
 ratione substantiarum; quare etc.

[10] Restat ergo quod illud principium sit compositum ex materia  
 et forma cui ratione forme conueniens est aliqua | qualitas, alia uero π397vb  
 105 disconueniens; et tamen quia est in potentia ad utramque, potest  
 transmutari de qualitate conueniente ad disconuenientem et sic uere  
 pati; et sic patet a quo aliquid dicitur passibile passione proprie dicta,  
 quia a potentia passiuia qua aliquid est receptiuum dispositionum  
 diuersarum, quarum una est conueniens nature, alia uero  
 110 disconueniens.

Impassibile autem potest aliquid dici dupliciter: uel proprie et  
 simpliciter, scilicet per priuationem principii passiui, uel large per  
 solum impedimentum actualis passionis. Et primum quidem  
 impassibile dicitur impassibile simpliciter et absolute, quia negat  
 115 omnem passibilitatem; secundum autem non dicitur impassibile  
 simpliciter et absolute, cum non neget omnem passibilitatem, set  
 solum ex suppositione, quia stante impedimento uerum est dicere  
 quod talis non potest pati, sicut in actibus dicimus quod Sortes dum  
 currit non potest non currere, licet absolute possit non currere. Et sic  
 120 patet primum.

[11] Secundo est inquirendum an corpora gloriosa sint impassibilia  
 passione proprie dicta. Et patet ex dictis quod si sint impassibilia, hoc  
 erit uel per priuationem principii passiui uel per impedimentum  
 passionis. Primo modo dixerunt ALIQVI quod corpora gloriosa erunt  
 125 impassibilia, quia in eis non erunt passibiles qualitates elementorum  
 actiue et passiue, que sunt in corporibus mixtis causa actionis et  
 passionis; credebant enim quod post resurrectionem corpora humana  
 essent mixta ex elementis manentibus in eis secundum substantias  
 suas et non secundum qualitates actiuas et passiuas.

111 Impassibile ... 113 passionis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 1, sol. 1 (313b); Petr. de  
 Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 1, resp. 1 (477b-478a)

124 Primo ... 137 materie] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 4, resp. (1751b-va)  
 corpora ... 129 passiuas] cf. Auic., *Suff.*, I, 6 (62,78-63,80); *Metaph.*, VIII, 2 (384,65-66);  
 ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 1, sol. 1 (313b); *De mixt. element.* (155,3-8.53-57)

122 Et] *coni.*: ut π

Set illud non est uerum, primo quantum ad hoc quod dicit quod 130  
 elementa maneant quantum ad suas substantias in quocumque  
 mixto, quia quelibet pars mixti est mixta, ut habetur I De  
 generatione; si ergo elementa manerent in mixto secundum  
 formas suas substantiales, sequeretur quod in qualibet parte materie  
 mixti esset forma cuiuslibet elementi; quod est impossibile, cum 135  
 plures forme substantiales specificae sint impossibiles in eadem  
 parte materie.

Secundo deficit hec opinio in eo quod dicit quod qualitates  
 elementorum non remaneant in corporibus gloriosis, quia gloria non  
 tollit ea que sunt de perfectione nature; set qualitates elementorum 140  
 sunt de perfectione mixti saltem accidentali; ergo non tolluntur in  
 gloria uel per gloriam.

Tertio deficit in hoc quod ponit quod qualitates elementares in  
 mixto sunt causa actionis et passionis, eo quod agant in se inuicem;  
 istud enim non est uerum, sicut probatum fuit prius; et ideo de hoc 145  
 modo nichil plus dicitur.

Item elementa manebunt secundum suas qualitates, et tamen non  
 alterabuntur nec patientur mutuo alterum ab altero, quia cum post  
 resurrectionem cesset motus celi, oporteret quod illud quod semel ab  
 altero pateretur, semper ab illo pateretur; et sic procedente passione 150  
 finaliter sequeretur corruptio, quod non est uerum; ergo  
 impassibilitas elementorum et fortiori ratione corporum  
 resurgentium non erit propter carentiam qualitatum elementarium.

Quarto, quia dato quod omnia hec essent uera, non sufficerent  
 tamen ad propositum ostendendum, quia ex hoc solo dicitur aliquid 155  
 passibile quia habet principium passium quo potest transmutari de  
 qualitate conueniente secundum naturam ad disconuenientem; set  
 dato quod in mixto non essent qualitates elementares, esset tamen ibi  
 subiectum susceptibile earum; ergo adhuc esset passibile passione  
 illata ab extrinseco. 160

[12] Restat ergo quod corpora gloriosa non erunt impassibilia  
 simpliciter et absolute per priuationem principii passiuum, cum natura  
 corporum gloriosorum sit futura eadem que prius, set erunt  
 impassibilia per aliquid prestans impedimentum actualis passionis ne  
 fiat. 165

131 elementa ... 132 mixta] cf. Arist. *De gen. et corr.*, I, 10, 328a5-12

145 istud ... uerum] cf. supra, II, 30, 1 (181va-b)

[13] Quid autem sit illud, utrum sit aliqua forma inherens an solum uirtus diuina assistens, duplex est opinio. Dicunt enim QUIDAM quod talis impassibilitas erit per aliquam formam inexistentem. Quod probatur primo, quia anima non potest super  
 170 corpus habere aliquod dominium nunc aliud quam prius nisi corpus sit mutatum; set anima post resurrectionem habebit super corpus perfectum dominium, ita ut in corpore nichil possit accidere preter uoluntatem anime, alioquin anima non esset perfecte beata; ergo corpus erit mutatum; set mutatio terminatur ad aliquam formam;  
 175 ergo corpus gloriosorum reddetur impassibile per aliquam formam quam habebit. Secundo probatur per auctoritatem AVGVSTINI | ad <sup>π398ra</sup> DYASTORVM, qui dicit quod *in corporibus erit perpetua sanitas et incorruptionis uigor*; set sanitas est per aliquam formam inherentem; ergo et uigor et impassibilitas erunt per aliquam formam resistentem  
 180 actioni cuiuscumque contrarii, sicut durum suo modo resistit diuidenti.

[14] Alius modus est quod impassibilitas corporum gloriosorum non erit per aliquam formam inherentem, set solum per uirtutem diuinam assistentem beatis ad nutum et prohibentem actionem  
 185 cuiuscumque extrinseci inferentis passionem. Et confirmatur hec positio triplici ratione. Prima est quia sicut statui bonorum repugnat passio contra naturam, sic etiam motus localis contra uoluntatem; utrumque enim horum importat uiolentiam et displicentiam <in> cognoscentibus; set quod corpora beata non possint moueri ab aliquo  
 190 contra uoluntatem, non conuenit eis per aliquam uirtutem inherentem, set solum per diuinam uirtutem eis assistentem; ergo idem sentiendum est de passione que est contra naturam.

Probatio minoris: si enim inesset corporibus beatis per aliquam uirtutem intrinsecam quod non possint ab alio moueri contra  
 195 uoluntatem, oportet quod in quolibet beato esset tanta uirtus in resistendo quanta esset in quocumque alio in implendo. Illud autem non est uerum, quia secundum hoc oporteret in minimo beato ad

166 utrum...167 opinio] uide etiam Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 4, resp., 2° (175vb-176ra)

168 talis...169 inexistentem] uide Henr. de Gand., *Quodl.*, IX, 16, resp. (276,2-15; 277,37-43)

177 in...178 uigor] cf. Aug., *Epist.*, 118, 14 (122,341-346)

188 in] *suppl.: om. π*

hoc quod non posset moueri contra uoluntatem, esse tantam uirtutem quanta est in quocumque homine uel angelo (alioquin si non esset tanta, posset moueri contra uoluntatem ab aliis); ponere autem in minimo beatorum equalem uirtutem cum omnibus aliis, tam hominibus quam angelis, est inconueniens, cum angeli secundum naturam excedant homines et secundum gloriam sint gradus tam in hominibus quam in angelis.

[15] Secunda ratio talis est: passibilitas proprie dicta et corruptibilitas sibi inuicem correspondent, ergo impassibilitas et incorruptibilitas; set incorruptibilitas bonorum non erit per aliquam formam inherentem, ut probabitur; ergo nec impassibilitas. Probatio minoris: effectus communis requirit causam communem; set incorruptibilitas post resurrectionem erit communis bonis et malis; ergo eis inerit per causam communem; set in malis incorruptibilitas non inerit per aliquam formam inherentem; ergo nec in bonis.

Quod autem incorruptibilitas non sit in malis per formam inherentem, patet ex dictis ALIORVM qui tenent precedentem opinionem (hoc enim expresse concedunt) et per rationem, quia cum *passio proprie dicta sit uia ad corruptionem*, ut patet ex II De generatione, si aliqua forma prohiberet corruptionem in dampnatis, prohiberet etiam passionem in eis, quia ad utrumque se extendit uirtus eius, nec ageret libere ut unum prohiberet, alterum non permetteret. Cum igitur in dampnatorum corporibus non prohibeatur passio proprie dicta, patet quod non prohibetur corruptibilitas per aliquam formam inherentem.

Tertio patet idem per AVGVSTINVM in epistula ad Consentium, ubi dicit sic: *Sicut ab igne fornacis Chaldeorum abstulit Deus uirtutem comburendi quantum ad aliquid, quia scilicet ibi corpora puerorum illesa seruata sunt, set mansit quantum ad aliquid, scilicet quia ille ignis comburebat ligna, ita aufert ab humoribus corporum corruptionem et dimittet naturam modo predicto impediente excessum actionis et preseruando ab omni nociuo et extrinseco*. Ex quo patet quod intentio

216 passio ... corruptionem] Thom., *S.th.*, I-II, 22, 1, arg. 3; cf. Arist., *Topic.*, VI, 6, 145a3-4

223 per ... 228 naturam] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 1, 1, ad 4 (315); Aug., *Epist.*, 205, I, 4 (326-327)

in ... 229 extrinseco] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 4, resp., 2° (176ra)

220 non<sup>1</sup>] *coni.*: uero π



230 AVGVSTINI est quod impassibilitas et incorruptibilitas erunt in  
corporibus bonorum per hoc quod uirtus diuina beatis assistens  
prohibebit actionem cuiuscumque extrinseci inferentis passionem uel  
corruptionem. Et secundum hanc opinionem potest responderi ad  
rationes ante oppositas.

235 [16] Ad primam, cum dicitur quod gloria corporis correspondet  
glorie anime, dicendum quod uerum est quantum ad hoc quod  
corpus glorificabitur prout est anime conueniens pro statu illo quo  
corpus perficietur ab anima beata; set non oportet quod perfectiones  
anime et corporis correspondeant sibi quoad numerum uel quoad  
240 modum, set perficietur unumquodque secundum quod congruit sue  
nature. Nature autem anime, que est de se incorruptibilis et  
impassibilis, non congruit quod perficiatur per ablationem talium uel  
consimilium defectuum, quia natura sua caret talibus defectibus, set  
perficietur collatione donorum supernaturalium; corpus autem, quod  
245 natura sua subiacet corruptioni et passibilitati, indiget perfici  
ablatione istorum | defectuum; et quia hoc solum potest fieri per *π398rb*  
solam uirtutem diuinam assistentem beatis ad uotum, ideo non  
oportet quod fiat per formam inherentem.

[17] Ad secundam dicendum quod impassibilitas status innocentie  
250 non erat per aliquam formam inherentem, quia iustitia originalis, de  
qua arguebatur, si erat aliqua forma inherens, erat rectitudo  
uoluntatis ad Deum, que non perficit corpus, uel erat obedientia  
uirium sensitiuarum ad rationem, per quam non apparet quomodo  
ex hoc redderetur corpus impassibile; preseruabatur ergo homo in  
255 statu innocentie a passione et corruptione partim per propriam  
scientiam, qua preditus erat, per quam cauere poterat a nociuis,  
partim uero et per diuinam prouidentiam prohibentem ne ex  
improuiso aliquod nociuum hominem lederet.

[18] Ad tertiam dicendum quod nobilior est potentia qua aliquid  
260 potest non pati quam illa qua aliquid potest pati; et utraque est  
aliquid posituum inherens si sumantur proportionabiliter, quia sicut  
potentia qua aliquid potest pati est potentia qua aliquid potest  
transmutari a dispositione conuenienti secundum naturam in  
dispositionem contrariam, sic potentia qua aliquid potest non pati, si  
265 sit per priuationem potentie passiue, est aliquid posituum et nobilius  
potentia passiuia, non quantum ad formalem rationem priuationis, set

quantum ad fundamentum, quod uocamus potentiam non patiendi, sicut dicimus angelum immortalem uel impassibilem, quia est talis nature que non habet in se potentiam passiuam per quam possit sic transmutari, nec talem potentiam secum compatitur; nec dubium est 270 quod natura angeli est positua et potentior seu perfectior quacumque potentia passiu. Set illo modo corpora gloriosa non erunt impassibilia, scilicet per priuationem principii passiui, set solum per impedimentum passionis ne actualiter inferatur; et adhuc illud impediens erit nobilius quam sit potentia passiu in corporibus; 275 set non oportet quod sit inherens, quia passio impediri potest non solum per indispositionem patientis, set per omne extrinsecum quod potest resistere agenti uel suspendere eius actionem.

[19] Ad quartam dicendum quod corpora gloriosa assimilabuntur celestibus corporibus in incorruptione et impassibilitate quoad 280 effectum, set non quoad causam illius effectus, quia in corporibus celestibus est incorruptibilitas et impassibilitas per naturam, in aliis autem erit per gratiam; et ideo impassibilitas et incorruptibilitas corporum celestium inest eis ex eo quod natura eorum caret principiis corruptibilitatis et passibilitatis; set corpora gloriosa non sic 285 erunt impassibilia, set solum per impedimentum actualis passionis, quod non oportebit esse per aliquam formam uel naturam in eis existentem subiectiue, quia totum poterit fieri per solam diuinam prouidentiam eis continue assistentem.

[20] Tenendo hanc opinionem potest responderi ad rationes 290 opinionis opposite. Ad primam, cum dicitur quod corpus post resurrectionem erit subiectum anime nunc aliter quam prius: uerum est; set non oportet quod sit per nouam formam inherens, set sufficit quod fiat per diuinam prouidentiam assistentem, que prohibebit quod ea que immutant corpus ad corruptionem non fiant 295 tunc sicut nunc, et ita aliter se habebit corpus ad animam tunc quam nunc.

[21] Ad secundum dicendum: illa perpetua sanitas et uigor in corporibus resurgentibus poterit esse per solam prohibitionem uel impedimentum cuiuscumque extrinseci corruptentis uel passionem 300 inferentis.

291 corpus ... 292 prius] cf. supra, 13 (63,169-176)

298 secundum] cf. supra, 13 (63,176-181)

- [22] Secundum utramque opinionem oportet respondere ad duo argumenta in oppositum facta in arguendo principaliter ad questionem, quia unum eorum probat quod corpora gloriosa non  
 305 erunt impassibilia passione proprie dicta, aliud uero probat quod, dato quod sint impassibilia, illud tamen non erit per aliquam causam positiuam, neque inherenter uel assistentem, quorum utrumque negatur a qualibet dictarum opinionum. Videndum ergo ad primum, cum dicitur quod effectus priuatiuus non requirit causam positiuam,  
 310 uerum est formalem, immo nullam talem habet, set necessarium est quod habeat causam positiuam, tam efficientem quam finalem; numquam enim aliquid habet rationem cause nisi sit positiuum; set causa positua influit in effectum positiuum, et sic causat ipsum; set effectum priuatiuum non causat influendo directe, set per  
 315 subtractionem | influentie proprie, ut esset de Deo, si res  $\pi$ 398va annihilaret, et de nauta, si inter pericula maris nauem non regeret, uel impediendo influentiam alterius, sicut obstaculum positum in fenestra causat tenebras impediendo illuminationem solis et eodem modo *interposita terra inter solem et lunam causatur eclipsis*; similiter  
 320 impassibilitas non potest alicui conuenire nisi per naturam ad quam sequitur priuatio principiorum mediantibus quibus inest alicui passibilitas uel per naturam impediendam passionem, que ab aliquo posset inferri, et utroque modo impassibilitas est a causa positua, uel inherente uel assistente.
- 325 [23] Ad secundum dicendum quod boni numquam scient per experientiam in se quid est malum, nec hoc pertinebit ad imperfectionem, alioquin Deus esset ualde imperfectus, qui numquam sciuit malum per experientiam in se ipso; experientia enim, quatinus importat cognitionem, pertinet ad perfectionem, et  
 330 sic est in Deo et sic erit in beatis; set quatinus importat passionem, non erit in eis etc.

309 effectus ... positiuam] cf. supra, 5 (59,36-37)

319 terra ... eclipsis] cf. *Auct. Ar.*, 35, 108 (320,54)

325 secundum] cf. supra, 6 (59)

311 finalem] *coni.*: fundamentalem  $\pi$

## QVESTIO QVINTA

VTRVM PER ALIQVAM FORMAM SIBI INHERENTEM CORPVS GLORIOSVM  
POSSIT SIMVL ESSE CVM ALIO CORPORE GLORIOSO VEL NON GLORIOSO

[1] Secundo queritur de dote subtilitatis, utrum per aliquam formam sibi inherentem corpus gloriosum possit simul esse cum alio corpore 5 glorioso uel non glorioso. Et arguitur quod sic, quia dos subtilitatis quam habebit corpus gloriosum esset aliquis actus proprius; set ille actus non potest esse alius nisi penetrare et esse simul cum alio corpore; ergo etc.

Et confirmatur, quia si corpus gloriosum per dotem subtilitatis 10 non posset esse simul cum alio corpore, set solum per miraculum diuine uirtutis, sequeretur quod in eis subtilitas esset frustra, quia Deus potest per miraculum facere quod corpus non gloriosum sit simul cum alio corpore.

[2] Item quod competit alicui corpori per naturam potest 15 competere corpori glorioso per dotem glorie; set alicui corpori conuenit per naturam esse simul cum alio corpore; ergo etc. Probatio minoris, quia ferrum igitur non solum in superficie, set etiam in profundo, ita quod non est seorsum signare ignem sine ferro et ferrum sine igne, set oportet ferrum et ignem esse simul (quod patet 20 per operationem: habet enim ignire aliud approximatum); et similiter panis et uinum uidentur simul esse quando panis est totaliter imbibitus uino.

[3] Item corpus quod non potest esse simul cum alio corpore potest in motu suo impediri per aliquod corpus; set ad conditionem 25 bonorum pertinet quod non possint in motu suo impediri, alioquin posset eis accidere aliquid triste; ergo corpora gloriosa eo ipso quod sunt gloriosa, possunt simul esse cum alio corpore.

[4] In contrarium arguitur quia sicut se habent duo accidentia numero differentia ad idem subiectum, sic uidentur se habere duo 30 corpora ad eundem locum; set nulla uirtute creata potest fieri quod duo accidentia solo numero differentia sint in eodem subiecto; ergo nulla uirtute creata potest fieri quod duo corpora sint in eodem loco.

10 corpus... 11 miraculum] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 44, 3, resp. (95vb); 3, 2 (96ra)

18 igitur] *coni.*: igitur π 23 imbibitus] *coni.*: inhibitus π

[5] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt duo: primum  
 35 est quid sit subtilitas a qua corpora gloriosa denominabuntur subtilia;  
 secundum est an propter subtilitatem sit ibi aliqua forma inherens  
 corpori gloriosa, per quam possit corpus gloriosum simul esse in  
 eodem loco cum alio corpore.

[6] Quantum ad primum sciendum est quod subtile in corporibus  
 40 secundum generalem rationem nominis opponitur ei quod est esse  
 grossum; et utrumque istorum reperitur in corporibus tam ratione  
 quantitatis quam ratione qualitatis. Ratione enim quantitatis illud  
 dicitur subtile quod est paruus secundum latitudinem et  
 45 profunditatem, dato quod sit magnum secundum longitudinem;  
 grossum uero dicitur quod est magnum secundum latitudinem et  
 profunditatem. Ratione uero qualitatis dicitur aliquid subtile, quia  
 est rarum et paruus, ut aer, grossum uero dicitur quod est magnum,  
 densum et opacum, ut terra. In subtili autem et grosso, quocumque  
 50 istorum modorum accepto, hoc est commune quod subtile est facile  
 penetratiuum alterius, subtile quidem secundum quantitatem propter  
 figuram acutam quam habet si non sit latum nec profundum, | dato  $\pi$ 398vb  
 quod sit longum, ut stilus uel acus (talis enim figura est diuisiua et  
 facile penetratiua); subtile autem secundum qualitatem est facile  
 penetratiuum propter diuisibilitatem suarum partium in partes  
 55 paruas aliorum corporum poros subintrantes, ut aer, aqua et  
 huiusmodi. Et propter hanc conditionem <nomen> subtilitatis  
 tractum est ad potentias cognoscitiuas; ille enim dicitur habere  
 subtilem uisum qui penetrare potest ad uidendum parua uel  
 longinqua que alii non uident et subtilem intellectum qui penetrat ad  
 60 cognitionem occultorum. Iuxta etiam hunc modum substantie  
 spirituales dicuntur subtiles, quia maxime elongantur a grossitie  
 corporali, qualitercumque accipiat, et quia maxime penetrant ad  
 cognoscendum intima rei.

39 subtile ... 63 rei] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 5, 1, resp. (176vb-177ra)

57 ille ... 60 occultorum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. 1 (321b)

56 nomen] *suppl.*: om.  $\pi$

[7] Occasione autem istorum fuerunt duo errores circa subtilitatem corporum gloriosorum: unus quorundam dicentium quod post 65 resurrectionem *corpus uertetur in spiritum*, occasionem sumentium ex dicto APOSTOLI I C o r. 15: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*. Et hic error primo conuincitur ex eo quod forte non est possibile quacumque uirtute corpus conuerti in spiritum; secundo, quia, si esset et sic fieret, tunc homo non resurgeret, quia *homo dicit* 70 *quid compositum ex anima et corpore* et non alterum solum. Nec motium EORVM est sufficiens, quia sicut dicit APOSTOLVS quod *corpus resurget spirituale*, ita dicit quod *seminatur animale*; set nunc corpus non dicitur animale, quia conuersum sit in animam; ergo nec tunc dicitur spirituale eo quod uersum sit in spiritum. 75

[8] Alius error fuit ALIORVM dicentium quod post resurrectionem corpora beatorum erunt subtilia, quia erunt rara ad modum aeris. Quod patet esse erroneum, quia talia corpora non sunt palpabilia; corpus autem Christi post resurrectionem fuit palpabile; unde dixit discipulis: *Palpate et uidete* etc. 80

Item ueritas humani corporis requirit carnes et ossa, que non compatiuntur talem raritatem; et ideo hic error dampnatus est a GREGORIO, ut patet M o r a l i u m XIV.

[9] Dicendum est ergo aliter quod post resurrectionem corpus erit plene subiectum anime uel spiritui. Comparatur autem anima ad 85 corpus tripliciter: primo quantum ad esse, quia anima est actus et

64 Occasione ... 75 spiritum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. I (321b)

65 unus ... 75 spiritum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 5, 1, resp. (177ra)

post ... 66 spiritum] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XIII, 22-24 (405-414); *De Trin.*, IV, 19, 25 (457,11-14); *De fide et symbolo*, 6, 13 (15,18-19); Lomb., *I ad Cor.*, 15, 35 (1687B)

67 Seminatur ... 68 spirituale] I *Cor.*, 15,44; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, 1, sed contra I (318b)

68 Et ... 75 spiritum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. I (321b-322a)

70 homo<sup>2</sup> ... 71 corpore] cf. Thom., *S.th.*, I, 75, 4

76 Alius ... 80 etc] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 3, op. 2 (112ra)

Alius ... 83 XIV] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 5, 1, resp. (177ra); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. I (322a)

post ... 77 aeris] cf. Thom., *In De diu. nom.*, 9, 1, 810 (301-302); Ioh. Pecham, *Quaest. disp. de beat. an. et corp.*, 2-3, resp. (483,21)

80 Palpate ... uidete] *Luc.*, 24,39

82 error ... 83 Gregorio] cf. Greg., *Moralia*, XIV, 57, 77 (746)

84 post ... 91 impassibilitatis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. I (322a-322b)

post ... 108 spiritui] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 5, 1, resp. (177ra)

85 Comparatur ... 90 motor] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 1, ad 2 (395); IV, 43, 1, 1, 1, ad 3 (274); *Quaest. disp. de an.*, 3, sed contra 2 (25,181-183); *De malo*, 16, 1, ad 5 (284,413-424)

forma corporis; secundo quantum ad operationes quibus anima utitur corpore ut subiecto, sicut sunt operationes sensitiue; tertio quantum ad motum localem (*anima* autem non solum *est actus* 90 *corporis*, set aliquo modo *motor*). Prima ergo subiectio corporis ad animam quantum ad esse pertinet ad dotem impassibilitatis, ratione cuius nichil potest accidere in corpore quod sit uia ad separationem corporis ab anima; set perfecta subiectio corporis ad animam ut ad motorem pertinet ad agilitatem, ut postea dicitur; perfecta uero 95 subiectio eiusdem ad animam quoad operationes cognituias et appetituias uidetur pertinere ad subtilitatem; et hec subiectio potest intelligi uel quantum ad operationes sensitiuas precise, ut nichil sit in corpore per quod puritas talium operationum impediatur, sicut nunc fit in nobis frequenter propter grossitiem et impuritatem spirituum 100 deseruentium operationibus sensitiuis (omnis enim impuritas talis segregabitur a corporibus gloriosis). Vel potest intelligi talis subiectio propter obedientiam perfectam quam tunc habebunt uires sensitiue ad rationem, que obedientia modo non est in nobis quando *caro concupiscit aduersus spiritum*; et ob hoc corpus nunc dicitur animale 105 ab animalitate, quia motus animales magis sunt in nobis secundum impetum sensualitatis quam secundum dictamen rationis, set tunc dicitur corpus spirituale, quia omnes tales motus erunt plene subiecti spiritui; quamuis QUIDAM intelligant quod corpus nunc dicatur animale, quia indiget cibus, tunc uero spirituale, quia cibus non 110 indigebit, quod quamuis sit uerum, hoc tamen magis uidetur pertinere ad impassibilitatem et incorruptibilitatem quam ad subtilitatem.

[10] Quocumque autem dictorum modorum accipiatur subtilitas, non uidetur necessarium quod dicat aliquam qualitatem 115 supernaturalem inherentem corporibus gloriosis, quia subtilitas

89 anima ... 90 corporis] cf. *Auct. Ar.*, 6, 41 (177,57-58)

anima ... 90 motor] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 5, sol. 3 (533a); Rob. Kilw., *Quaest. in II Sent.*, 160 (443,54); 55.1 (160,82-89); *De ortu scientiarum* VIII, 35 (22,15-19); Bonau., *De scientia Chr.*, 5, ad II (31a)

90 Prima ... 96 subtilitatem] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 5, sol. 3 (533a)

93 perfecta ... 94 agilitatem] cf. infra, 7, 8 (88,74-75)

103 caro ... 104 spiritum] *Gal.*, 5,17

105 motus ... 106 rationis] cf. Bonau., *Breuioloq.*, 2, II (229a-b)

108 corpus ... 110 indigebit] cf. Lomb., *Sent.*, II, 29, 2, 1-2 (422-423)

90 modo] *coni.*: moto π

primo modo accepta, scilicet pro puritate operationum sensitivarum, potest esse per solam puritatem humorum et spirituum seruentium operationibus sensitivis; secundo modo accepta potest esse per diuinam prouidentiam assistentem. Nec apparet bene quomodo  
 π399ra possit | esse per aliquam qualitatem inherentem, quia actus 120  
 cuiuscumque qualitatis, siue naturalis siue supernaturalis, non est liber, set necessarius, et ideo semper ad idem inclinatur; set obedientia uirium sensitivarum ad intellectum non potest esse secundum inclinationem ad idem, quia quandoque secundum rectam rationem aliquid est appetendum, quandoque uero eius oppositum; ideo etc. 125

[11] Et quamuis secundum hanc uiam subtilitas non sit aliqua forma inherens, sicut nec impassibilitas, nichilominus tamen potest dici dos, quia dos sponse, ex qua nomen illud tractum est, secundum DOCTORES consistit non solum in hiis que sponsam ornant et circumstant quasi intrinsece, set etiam in hiis que assistunt extrinsece, 130  
 ut si ad tuitionem eius daretur certa custodia militum. Et sic patet aliquid aliter primum.

[12] Quantum ad secundum, scilicet an per dotem subtilitatis possit corpus gloriosum simul esse cum alio corpore, dicendum est quod non, siue dos subtilitatis sit aliqua qualitas naturalis superaddita 135  
 siue non. Quod probatur sic: dos subtilitatis consistit in puritate operationum sensitivarum et in subiectione earum ad rationem, ut dictum est. Ex hoc sic arguitur: illud quod secundum se nullam habitudinem ad locum <habet> nichil facit ad hoc quod unum corpus possit uel non possit esse cum alio in eodem loco; set dos 140  
 subtilitatis cum consistat in puritate operationum sensitivarum et appetitivarum et subiectione earum ad rationem secundum se nullam habitudinem habet ad locum, ut de se patet; ergo nichil facit ad hoc quod unum corpus possit uel non possit esse cum alio in eodem loco. Et confirmatur, quia in statu innocentie fuit et fuisset si durasset talis 145  
 puritas operationum sensitivarum et subiectio earum ad rationem, et tamen non propter hoc poterat unum corpus esse cum alio corpore in

126 subtilitas ... 131 militum] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 13, (h)-(i) (464a-b); *Report. Paris.*, IV, 49, 12, 9 (686a)

128 dos<sup>2</sup> ... 131 militum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 1, sol. (525a-b)

133 Quantum ... 135 non] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. 2 (322b)

139 habet] *suppl.*: om. π



eodem loco; quare etc. Item probatur sic: *illud quod non tollit a corpore glorioso quantitatem eius nec actum eius impedit*, non tollit a  
 150 corpore glorioso quin expellat aliud de loco suo; set quecumque  
 qualitas naturalis seu supernaturalis non tollit a corpore glorioso  
 suam quantitatem nec actum eius impedit; ergo subtilitas, si nominet  
 aliquam qualitatem, non tollit quin corpus gloriosum necessario  
 expellat aliud de loco suo, et sic non poterit esse simul cum alio.  
 155 Maior patet, quia id quod facit corpus distare ab alio corpore  
 secundum locum uel situm est sola quantitas; unde IV  
 Phisicorum dicit PHILOSOPHVS quod si a corpore cubico  
 circumscriberentur omnes qualitates et passiones, adhuc occuparet  
 locum, nec posset simul esse cum alio, set necessario distaret  
 160 secundum situm; ex parte ergo quantitatis est distantia corporum  
 quoad locum; quod ergo non tollit quantitatem nec eius  
 operationem, non tollit quin corpus unum expellat aliud de loco suo.  
 Minor probatur, scilicet quod nulla qualitas tollat a corpore glorioso  
 quantitatem nec eius actionem: de quantitate patet, quia si tolleretur,  
 165 corpus maneret indiuisibile; item non haberet qualitates sensibiles  
 que requirunt quantitatem pro immediato subiecto, que sunt  
 absurda; nec tollit actum eius, quia illud quod nullam habitudinem  
 habet ad locum nisi mediante quantitate, non tollit habitudinem  
 quantitatis ad locum, set potius accipit ex ea habitudinem ad locum;  
 170 set omnis qualitas est huiusmodi; ergo etc.

[13] Ad primum argumentum dicendum quod actus dotis  
 subtilitatis non erit facere quod corpus gloriosum possit esse cum  
 alio, set erit uel puritas operationum sensituarum uel subiectio  
 earum ad rationem uel utrumque simul; et ideo non erit frustra. Et  
 175 quod additur quod Deus potest facere quod corpus non gloriosum sit  
 cum non glorioso, et ita per miraculum tantum est de non glorioso  
 sicut de glorioso, concedatur, quod nulla gloria corporis, si sit  
 qualitas inherens, potest circa hoc aliquid.

[14] Ad secundum dicendum per interemptionem minoris quod in  
 180 ferro ignito non sunt simul ignis et ferrum. Cuius ratio est quia

148 illud ... 162 suo] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 5, 2, resp. (177va-b)

illud ... 170 etc] uide Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 3 (112ra-b)

157 si ... 160 situm] cf. Arist., *Phys.*, IV, 8, 216b6-11

160 ergo] *scr.*: ergo π

forma ignis non compatitur in materia quam perficit tantam densitatem quam requirit forma ferri, nec forma ferri compatitur raritatem quam requirit forma ignis. Quid ergo dicendum est, cum ferrum ignitur? Dicendum utique quod ignitio ferri non est nisi uehemens eius alteratio a qualitatibus ignis, ratione cuius potest aliud 185  
 π399rb  
 ignire, et sic ubi ferrum est, non est ignis, set ardor uel cauma; si que tamen sint porositates in ferro, nichil prohibet quod | ibi sit ignis uerus generatus, uel in materia aeris prius ibi existentis uel in subtilibus partibus, que resoluuntur a ferro. De pane autem intincto in uino uel aqua dicendum est quod ubi est porositas panis, ibi est 190  
 solum uinum uel sola aqua; ubi autem est panis solidus nichilominus humectatus, ibi est solus panis alteratus cum qualitatibus uini uel aque, quorum substantia corrupta est, et sic numquam sunt simul ferrum et ignis, panis et uinum.

[15] Ad aliud dicendum quod corpus gloriosum non potest 195  
 impediri a motu suo per aliud corpus, non propter aliquam uirtutem sibi inherentem, set propter uirtutem diuinam sibi ad nutum assistentem.

#### QUESTIO SEXTA

VTRVM VIRTUTE DIVINA CORPVS GLORIOSVM POSSIT ESSE CVM ALIO  
 CORPORE GLORIOSO VEL NON GLORIOSO

[1] Deinde queritur utrum uirtute diuina corpus gloriosum possit esse cum alio corpore glorioso uel non glorioso. Et arguitur quod non, 5  
 quia equaliter uidetur possibile quod idem corpus sit simul in diuersis locis circumscriptiue et quod duo corpora sint simul in eodem loco; set primum non potest fieri quacumque uirtute, ut communiter ponitur; ergo nec secundum.

[2] Item BOETIVS in lib. De Trinitate dicit quod *si animo* 10  
*cuncta accidentia a corporibus separemus, tamen locus est cunctis diuersus, quem unum fingere nullo modo possumus*; set illud non est

4 utrum ... 5 glorioso<sup>2</sup>] uide etiam *Quodl. Auen.*, I, 8 (99-110)

10 si ... 12 possumus] Boeth., *De Trin.*, I (168,59-61); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, 2, sed contra I (319a)

possibile quacumque uirtute quod non potest mente concipi (tale enim uidetur implicare contradictionem); ergo uidetur quod nulla  
15 uirtute possunt duo corpora simul esse in eodem loco.

[3] Item, sicut prius arguebatur questione precedenti, sicut se habent duo accidentia eiusdem speciei ad subiectum, sic duo corpora ad locum; set duo accidentia eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto; ergo nec duo corpora in eodem loco. Minor  
20 probatur, quia duo accidentia eiusdem speciei uel sunt equalis gradus uel inequalis, puta quia unum est intensius altero; si sint inequalis gradus, impossibile est quod sint simul in eodem subiecto, alioquin idem subiectum posset simul esse magis album et minus album, quod uidetur implicare contradictionem. Et iterum: termini motus uel  
25 mutationis et remissionis non sunt compossibiles; set huiusmodi accidentia possunt esse termini motus uel mutationis secundum alterationem intensionis et remissionis; quare etc.

Si uero sint eiusdem gradus, idem sequitur, quia subiectum non est in potentia ad aliquam formam nisi mediante mutatione; set  
30 subiectum habens aliquam formam non potest mutari ad consimilem eiusdem gradus priori manente, quia idem non potest simul esse tale formaliter in actu et tale in potentia; set illud sequeretur si subiectum habens aliquam formam posset mutari ad consimilem; ergo etc.

[4] In contrarium arguitur quia sicut se habent due nature  
35 complete quarum quelibet est nata constituere proprium suppositum ad unitatem suppositi, sic se habent duo corpora quorum quodlibet natum est occupare locum ad unitatem loci; set plures tales nature possunt esse simul in eodem supposito diuina uirtute, sicut fuit in Christo; ergo similiter duo corpora possunt esse in eodem loco simul  
40 diuina uirtute.

Ad idem est quod dicit DAMASCENVS in lib. IV cap. ultimo, ubi dicit quod *corpus gloriosum erit spirituale, quale fuit corpus domini post resurrectionem clausis ianuis pertransiens.*

[5] Responsio. Circa istam questionem est duplex modus dicendi.  
45 Primus est communior et magis concors dictis diuine Scripture quantum ad superficiem littere et secundum quod communius

16 sicut<sup>2</sup> ... 18 locum] cf. supra, 44, 5, 4 (68,29-31)

42 corpus<sup>1</sup> ... 43 pertransiens] Ioh. Dam., *De fide orth.*, IV, 27 (383,III-384,II4)

exponitur, scilicet quod quecumque plura corpora possunt esse in eodem loco simul uirtute diuina. Et illud probatur primo quantum ad conclusionem et secundo datur modus possibilitatis.

Primum probatur ex multis: primo, quia Christus natus est clauso 50  
matris utero (remansit enim uirgo post partum); set istud non potuit  
esse nisi corpus Christi nascendo simul esset cum corpore matris;  
quare etc. Secundo, quia Christus ponitur surrexisse clauso sepulcro,  
quod similiter non potuit esse nisi simul esset corpus Christi cum  
lapidibus sepulcri; et sic idem quod prius. Tertio, quia Christus *post* 55  
*resurrectionem intrauit | ad discipulos ianuis clausis, ut habetur Ioh.*  
*22; quare etc. Quarto, quia corpus celeste non potuit diuidi saltem*  
*quantum ad substantiam sperarum; unde dicitur Iob 3 quod celi*  
*solidissimi quasi ere fusi sunt; si ergo corpus gloriosum non posset simul*  
*esse cum alio corpore, numquam corpus Christi ascendisset ad celum* 60  
*empireum nec corpora sanctorum post resurrectionem illuc*  
*ascenderent, quod est erroneum. Quinto, quia corpus non impeditur*  
*esse cum alio corpore nisi ratione quantitatis, ut patet ex precedenti*  
*questione; set uirtute diuina fit quod in sacramento altaris corpus*  
*Christi sit simul cum quantitate panis; ergo eadem uirtute posset fieri* 65  
*quod esset simul cum substantia panis, et sic duo corpora essent*  
*simul.*

[6] Modus autem quo hoc est possibile est talis: quantitas enim, per quam corpus comparatur ad locum, habet duo facere, scilicet reddere corpus quantum et occupare locum, et primum est actus eius 70  
formalis, secundum est actus eius quasi cause efficientis. Ex quo potest tripliciter argui. Et primo sic: sicut se habet calor ad calefaciendum, sic quantitas ad occupandum locum; set uirtute diuina potest fieri quod calor presens calefactibili non calefaciat

47 quecumque ... 48 diuina] cf. Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 10, 4, ad 1 (121b-122a); Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 16, (n) (518b); uide etiam Henr. de Gand., *Quodl.*, IX, 32, ad 1 (337,12-338,17); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. 2 (323b); Alb., *De resurr.*, II, 8, 2, ad 8 (274,19-20); IV, 1, 15, 2, sol. (338,27-40)

50 Primum ... 67 simul] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 6, resp., com. op. (178rb)

55 Christus ... 56 clausis] cf. *Iob.*, 20,26

Christus ... 57 22] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, 2, arg. 1 (319a); 3, sed contra 2 (320a)

57 corpus ... 62 erroneum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, 2, arg. 3 (319a)

58 celi ... 59 sunt] *Iob.*, 37,18

62 corpus ... 63 quantitatis] cf. supra, 44, 5, 12 (72-73)

75 ipsum, ut factum fuit in fornace Babilonis respectu trium puerorum;  
ergo eadem uirtute potest fieri quod quantitas presens loco non  
occupet locum, et sic alia quantitas poterit esse cum ipsa.

Secundo sic: uirtute diuina potest fieri quod prius maneat amoto  
posteriori, cum hoc non implicet aliquam contradictionem seu  
80 aliquam repugnantiam intellectuum; set dare subiecto esse quantum  
per prius conuenit quantitati quam occupare locum, quia ille est  
actus formalis, qui simul est cum forma in subiecto, alius autem est  
actus eius ut efficientis respectu alterius, qui frequenter est posterior  
tempore; ergo uirtute diuina potest fieri quod corpus maneat  
85 quantum et non occupet locum, et sic idem quod prius.

Tertio sic: non uidetur quod duo corpora impediuntur simul esse  
in eodem loco, nisi quia non apparet per quid distinguerentur; set  
illud non impedit quia corpora suis quantitibus non distinguuntur  
per loca, quamuis per distinctionem locorum appareat uel  
90 manifestetur distinctio corporum; dato etiam quod corpora  
distinguerentur per loca, Deus tamen potest facere se solo quidquid  
potest facere cum causis secundis, et ita potest distinguere corpora et  
distinctionem eorum seruare absque distinctione locorum; quare etc.

[7] Secundus modus dicendi est huic contrarius, scilicet quod *nulla*  
95 *uirtute potest fieri quod plura corpora sint in eodem loco* proprio siue  
quod sint indistincta secundum situm. Quod declaratur sic: sicut  
acceptum fuit prius precedenti questione, corpus non impeditur esse  
in eodem loco cum alio corpore nisi ratione quantitatis, quia nichil  
potest prohibere quin corpus possit esse simul cum alio corpore in  
100 eodem loco nisi illud per quod corpus unum requirit distinctum  
situm ab alio (*nichil enim est impedimentum idemtitatis nisi quod est*  
*causa diuersitatis*); set sola quantitas est illud per quod unum corpus  
requirit distinctum situm ab alio; ergo sola quantitas secundum  
naturam impedit simultatem plurium corporum in eodem loco.

105 [8] Hoc supposito probatur quod duo corpora ex hoc quod habent  
duas quantitates non possunt simul esse eodem loco primo sic: non  
minus est necesse duo corpora distingui ab inuicem situ et positione

75 in ... puerorum] cf. *Dan.*, 3

86 non ... 93 locorum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 6, resp., com. op., 1° (178rb-va)

94 nulla ... 96 situm] cf. Alb., *Super Sent.*, IV, 44, 3, sol. (548b); 25, sol. (577b-578a)

nulla ... 135 parte] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 6, resp., op. 2 (178va-b)

97 corpus ... 104 loco] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, sol. 2 (323a); supra, 5, 12  
(72-73); 5 (76,62-63)

quam duas partes eiusdem corporis; set partes quantitatie eiusdem corporis sic necessario distinguuntur situ seu positione quod impossibile est eas simul esse simultate opposita huic distinctioni; 110 ergo similiter duo corpora adeo distinguuntur situ seu positione quod impossibile est ea esse simul simultate opposita illi distinctioni. Vtraque premissarum probatur et primo maior sic, quia actualis diuisio partium quantitatis non tribuit partibus diuisis quod possint esse plus simul quam ante diuisionem; set una quantitas efficitur due 115 sola diuisione; ergo simultas que repugnat partibus quantitatis eiusdem, repugnat quibuscumque duabus quantitibus.

Et iterum due quantitates inter se diuise possunt uniri et fieri partes eiusdem quantitatis, sicut econtrario partes unite possunt diuidi et fieri quantitates distincte, propter quod omnino uidetur esse 120 idem iudicium de quantitibus inter se diuisis et de partibus eiusdem quantitatis, precipue quia quelibet pars quantitatis est quantitas. Et sic patet maior, uidelicet quod quam impossibilitatem *π399vb* habent partes eiusdem quantitatis, ut sint | simul, eandem habent quecumque corpora. Minor probatur, scilicet quod partes eiusdem 125 quantitatis sic distinguuntur situ seu positione quod nullo modo possunt simul esse simultate opposita tali distinctione, quia de intrinseca et essentiali ratione quantitatis, sine qua non est possibile quantitatem esse uel intelligi, est quod habeat partem extra partem seu iuxta partem, quod uocatur ad presens distingui positioni uel 130 situ, que est ordo partium in toto, que distinctio secundum positionem et ordo repugnat simultati partis in parte uel partis cum parte; unde contra rationem quantitatis est quod partes eius sint simul; set semper una est extra aliam et non in alia uel cum alia, alioquin due non essent maiores una nec totum maius parte, quod est 135 impossibile. Et sic patet minor. Sequitur ergo conclusio principalis, scilicet quod duo corpora uel due quantitates necessario distinguuntur situ seu positione sic quod impossibile est ea esse simul; set necessario unum est extra aliud et non in alio nec cum alio positione uel situ indifferens. 140

[9] Secundo probant idem sic et est eadem uirtus rationis cum precedente: si duo corpora possunt esse simul ita quod quantitates eorum sint indistincte positione modo quo expositum est, per eandem rationem partes eiusdem quantitatis possunt super se replicari ita ut sint indistincte positione nec una sit extra aliam, et 145 tantum poterunt replicari ut tota replicatio fiat super unam minimam

partem, ita quod extra eam non sint alie, set in ea uel cum ea simul. Hoc autem uidetur impossibile, quia tunc *maximum corpus posset contineri localiter minimo loco*, uidelicet a solo loco illius partis super  
 150 quam esset facta replicatio, et sic maximus mons posset transire per foramen acus et totum celum esse posset in minima bursa saluata quantitate utriusque, montis scilicet et celi; quod non uidetur ISTIS possibile; quare etc.

[10] Tertio probant illud sic: sicut partes quantitatis successiue, ut  
 155 sunt tempus et motus, habent inter se ordinem durationis, sic partes quantitatis permanentis habent inter se ordinem positionis; set nulla uirtute potest fieri quod partes quantitatis successiue, ut partes temporis et motus, sint simul duratione, cum de ratione earum sit prius et posterius secundum durationem; ergo similiter nulla uirtute  
 160 potest fieri quod partes quantitatis permanentis sint simul positione; et per consequens nec due quantitates duorum corporum, cum utrobique sit idem iudicium pro eo quod quelibet pars quantitatis est quantitas, ut dictum fuit; quare etc. Nituntur etiam ISTI respondere ad rationes factas in oppositum.

[11] Ad primam respondent et dicunt quod uerissimum est beatam uirginem Mariam permansisse uirginem in partu et post partum sicut ante; fuit enim uirgo non solum ex carentia experientie delectationis uenerree, per quam experientiam uirginitas proprie amittitur, set etiam propter integritatem membri corporalis; nec tamen propter hoc  
 170 in natiuitate Christi fuerunt duo corpora simul, scilicet corpus Christi cum corpore matris, quia est alius modus possibilis, scilicet quod uirtute diuina fuerit facta dilatatio membrorum et meatuum naturalium, sine interruptione uel aliqua fractione, sicut secundum AVGVSTINVM XIV De ciuitate Dei hoc factum fuisset in  
 175 omnibus mulieribus si status innocentie durasset, quia tunc peperissent sine dolore qui nunc est pena peccati secundum sententiam diuinam, Gen. 3, unde proles nata fuisset per dilatationem membrorum naturalium et non per fractionem uel diuisionem, que in sentientibus non potest esse sine dolore.

148 Hoc ... 150 replicatio] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 2, 5, arg. 2 (320b)  
 maximum ... 149 loco<sup>1</sup>] cf. Arist., *Phys.*, IV, 6, 213b9-12; Auerr., *Phys.*, IV, 53 (149rD)  
 171 Christi ... possibilis] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XIV, 26 (449,17-22)  
 176 nunc ... 177 diuinam] cf. *Gen.*, 3,16  
 177 per ... 178 dilatationem] *Luc.*, 2,23

Et hanc opinionem uidentur tenere GREGORIVS et AMBROSIVS 180  
 super illo uerbo LUC. 2: *Omne masculinum* etc.; ibi enim dicit  
 GREGORIVS sic: *Hoc autem legis decretum in solo incarnato Deo*  
*singulariter et ab aliis differenter impleri uidetur; ipse namque solus*  
*ineffabiliter conceptus ac incomprehensibiliter editus uirginalem uterum*  
*aperuit, non autem connubio reseratum seruans et post partum 185*  
*mirabilem inuiolabiliter signaculum castitatis.* Et AMBROSIVS dicit  
 idem: *Non enim rursus coitus uulue uirginalis secreta reserauit, set*  
*immaculatum semen inuiolabiliter utero Spiritus sanctus infudit.* Et  
 subdit quod pertinet ad propositum dicens: *Qui ergo uuluam*  
*sanctificauit alienam ut nasceretur propheta, hoc est qui aperuit matris 190*  
*sue uuluam ut immaculatus exiret.*

[12] Ad secundum, de resurrectione Christi clauso tumulo,  
 dicendum est quod in nullo textu sacre Scripture habetur quod  
 π400ra Christus resurrexit clauso tumulo, et ideo assertio | contraria non  
 preiudicat fidei nec Scripture; quod si ex dictis aliquorum Sanctorum 195  
 habeatur quod Christus resurrexit clauso sepulcro, accipiendum est  
 pro opinione, et si hoc dictum esset approbatum per ecclesiam, tunc  
 respondendum est, sicut in tertia solutione dicitur statim.

[13] Ad tertium, cum dicitur quod Christus intrauit ad discipulos  
 post resurrectionem ianuis clausis, absolute dicendum est hoc esse 200  
 uerum, scilicet quod, cum fores essent clause, uenit Ihesus; set non  
 dicitur quod intrauit per ianuas clausas; cum enim corpus gloriosum  
 possit moueri per aerem sicut per terram et Christus uirtute diuina  
 potuit corpus suum ostendere et occultare prout uoluit, potuit enim  
 intrare ad discipulos per fenestras uel aliquem alium locum, et tunc 205  
 primo se ostendere quando fuit coram discipulis; et sic uere uenit  
 clausis ianuis, set non per ianuas clausas. Et si per ianuas intrauit,  
 potuerunt ianue, per quam subito aperiri et subito claudi, ita ut  
 apertio et clausio lateret discipulos, et quia res non dicitur fieri  
 quando non innotescit, ideo dicuntur fuisse clause, quia apertio 210

182 Hoc ... 186 castitatis] Thom., *Cat. aur. in Luc.*, 2, 7 (35a); cf. Ps.-Greg. Nyss., *De occurso Domini* (1158C)

183 et ... 184 uterum] Ambr., *Exp. eu. sec. Luc.*, II, 55 (55,760-762); cf. Thom., *Cat. aur. in Luc.*, 2, 7 (35a)

187 Non ... 188 infudit] Ambr., *Exp. eu. sec. Luc.*, II, 57 (56,774-776); cf. Thom., *Cat. aur. in Luc.*, 2, 7 (35a-b)

199 cum ... 212 legeretur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 6, 3, resp., ad 2 (179rb)

182 incarnato] *coni.*: incarnata π



earum nulli apparuit; et hoc modo posset dici surrexisse clauso sepulcro, si illud alicubi legeretur.

[14] Vel posset dici quod Christus ratione qua Deus habuit in sua potestate corpus et figuram corporis sui, ita quod potuit figuram  
 215 corporis mutare in angustam et sic intrare per quamcumque rimam ianuarum eis remanentibus clausis; et quamuis ALIQVI dicant hoc non fuisse conueniens, nullus tamen dicit quin fuerit possibile Christo inquantum Deus est; conuenientius autem uidetur ponere modum qui ab OMNIBVS conceditur possibilis quam ponere illum qui a  
 220 PLVRIBVS impossibilis reputatur. Beatus etiam AVGVSTINVS uidetur hunc modum tenere. Potest etiam aliter responderi ad tres predictas instantias, dicendo quod si Deus potest facere et facit quod idem corpus Christi sit simul in celo et in sacramento absque hoc quod sit in medio, multo fortius potest facere quod idem corpus sit successiue  
 225 in locis distantibus et non in medio; et sic potuit Deus facere quod corpus Christi primo fuisset in utero matris et postea extra absque hoc quod fuisset in medio simul cum corpore matris. Et idem potest dici de egressu corporis Christi de sepulcro clauso et de ingressu eius ad discipulos ianuis clausis, et istud est possibile Deo, quod prima  
 230 facie apparet possibilis quam id quod fide tenemus de simultate existentie realis corporis Christi in celo et in sacramento et de simultate eiusdem in pluribus sacramentis, tunc predictae instantie sumpte ex dictis scripture sunt clare solute, et omnes autoritates sanctorum et doctorum predicta loca Scripture exponentium.

[15] Ad quartum dicendum quod, siue ponatur celum diuisibile per naturam siue per uirtutem diuinam, non oportet corpus Christi in ascensu ad celos fuisse simul cum corporibus sperarum, set cessit corpus corpori. Et si dicatur quod omne diuisibile est corruptibile, dicendum quod non oportet, quia diuisio non arguit  
 240 corruptibilitatem illius in quibus est, set addit facilitatem, quia corruptibile diuisum in plures partes facilius corrumpitur quam si esset integrum, quia singule partes minus possunt resistere corruptenti quam totum integrum, diuisio tamen non dat eis corruptibilitatem, set supponit. Patet, quia si esset quantum  
 245 mathematicum certe, quantumcumque diuideretur, non

216 hoc ... 218 est] cf. Thom., *S.th.*, III, 54, 2, ad 1; *S.c.g.*, IV, 87

240 facilitatem] *coni.*: facilitate π

corrumperetur; non enim corrumperetur a contrario, quia quantitas contrarium non habet, nec corruptione subiecti, quia subiectum non habet, ut ponitur, nec diuisione ad minima, quia tale quantum secundum se diuisibile est in infinitum, nec est possibile peruenire ad minimum, neque coniunctum toto neque separatum a toto; patet 250 ergo quod diuisio non arguit corruptibilitatem, saltem illa que fieret uirtute diuina, nec celi dicuntur solidissimi taliter quin possint uirtute diuina diuidi et prebere transitum corporibus gloriosis ad celum empireum, set dicuntur solidissimi, quia naturaliter sunt incorruptibiles. Videtur etiam quod rationabiliter oporteat hoc 255 ponere, quia nisi celum sit secundum aliquid sui diuisibile, ita ut cedat corpori glorioso, necessarium est quod corpora gloriosa numquam possint esse in celo, nisi semper sint simul cum alio corpore, quod forte reputarent ALIQVI satis absurdum.

[16] Ad quintum dicendum quod corpus Christi prout spectat ad 260 genus substantie est uere in sacramento altaris; nec illud est contra dicta nisi ponatur quod in eodem sacramento | sit quantitas corporis π400rb Christi, quia sola quantitas impedit coexistentiam plurium corporum in eodem loco; sicut autem ostensum fuit prius, non est necesse quod quantitas corporis Christi sit in hoc sacramento, nec ex ui 265 conuersionis, ut omnes concedunt, nec ex concomitantia aliqua, quamuis unum ab altero non separetur, ut plenius fuit superius declaratum.

Item secundum omnes corpus Christi non est in sacramento altaris quantitatie, set sub qualibet parte hostie, quantumcumque minima 270 est totum corpus Christi. Vnde non potest ibi uideri, nec a seipso nec ab alio, ut declaratum fuit prius in precedentibus, nec ut sic competeat sibi aliquis motus uel actio seu passio; quando autem querimus utrum uirtute diuina unum corpus possit esse cum alio, intelligimus hoc de existencia quantitatiua utriusque corporis, 275 uidelicet utrum due quantitates duorum corporum sibi inuicem quantitatie comparate possint esse simul in eodem loco; sic enim uidetur procedere declaratio prime opinionis, que dicit quod sicut calor potest impediri ne calefaciat alterum, sic quantitas unius corporis potest impediri ne occupet locum alterius et ne pellat aliud 280 corpus ex eodem loco, quia hic est effectus quantitatis posterior ea et

249 se ... est<sup>1</sup>] cf. *Iob*, 37,18

264 non ... 267 separetur] cf. supra, IV, 10, 2, 7 (316ra)

eius diffusionem. Constat etiam quod motus localis non competit nisi quanto et quantitatie sumpto tam mobili quam medio; natiuitas autem Christi et egressus eius ex utero et ingressus eius ad discipulos  
 285 post resurrectionem et ascensus eius in celum fuerunt per uerum motum localem; ergo competebat Christo ut quanto; non sic autem competit ei esse in sacramento, et ideo non est simile hinc et inde. Qui ergo uellet tenere uiam istam, posset respondere ad rationes prime opinionis declarantis modum quo sit possibile duo corpora  
 290 quantitatie sibi inuicem comparata simul esse.

[17] Ad primam dicendum quod non est simile de calefactione respectu caloris et de occupatione loci respectu quantitatis, quia per calefactionem fit aliqua natura in calefacto, scilicet calor, qui uirtute diuina potest impediri ne fiat, conseruando qualitatem oppositam,  
 295 propter quod calidum presens calefactibili potest uirtute diuina impediri ne calefaciat; set ad occupare locum non sequitur aliqua natura absoluta ex presentia locati ad locum uel econuerso, set ex hoc solo occupatur locus a locato, quod locatum habet intra locum distentionem suarum partium; cum igitur hoc sit essenziale locato  
 300 prout est quantum, ut prius probatum est, impossibile est quod locatum sit in loco et non occupet ipsum, ac per consequens sit impossibile alteri superoccupanti.

[18] Ad secundam dicendum quod Deus potest facere quod corpus sit quantum et non occupet locum, quia potest facere corpus sine  
 305 loco; set supposito quod corpus sit localiter in loco, non potest fieri quod non occupet locum, quia occupare locum est habere in loco partes positione distantes a se inuicem et ab omni alia quantitate, et illud non est aliquid aliud quam esse quantum, ut declaratum fuit prius, nec in proposito facit difficultatem corpus continens aliud in  
 310 quo contentum dicitur esse in loco, quia si duo corpora ponerentur esse in eodem loco continente et postea corpus continens totaliter annihilaretur, non propter hoc precedentia corpora desinerent simul esse, et quamuis ista simultas non esset secundum locum, esset tamen secundum positionem partium que semper est impossibilis in  
 315 quantitate, cum distantia partium quantitatis sit essentialiter intrinseca quantitati.

[19] Ad tertiam dicendum quod Deus potest seruare distinctionem partium sine distinctione locorum, quia potest facere plura corpora

quorum neutrum sit in loco; non potest tamen facere quod duo  
 quanta sint distincta et partes earum sint positione indistincte, cum 320  
 hoc sit contra rationem intrinsecam quantitatis; et quia hoc  
 sequeretur, si ponerentur plura corpora in eodem loco, ideo illud non  
 est possibile. Ad formam ergo rationis dicendum quod non  
 prohibentur esse plura corpora in eodem loco, quia locus sit causa  
 distinctionis corporum, set quia distinctio corporum requirit 325  
 distinctam positionem eorum, quam non compatitur unitas loci; sic  
 ergo uidetur QVIBVSDAM quod duo corpora quantitatie sumpta nulla  
 uirtute possunt esse simul in eodem loco. Si autem alterum eorum  
 non comparetur ad aliud quantitatie, sicut est de corpore Christi in  
 sacramento uel alio modo Deo possibili, licet nobis ignoto, tunc 330  
 unum corpus posset esse cum alio simul in eodem loco; set alterum  
 π400va non | esset ibi localiter seu quantitatie. Vnde non est absolute et  
 simpliciter dicendum quod duo corpora nullo modo possunt esse  
 simul uirtute diuina, set solum quando sibi inuicem comparantur  
 quantitatie et ad locum; et huic conclusioni sic intellecte non 335  
 obuiant dicta Scripture nec auctoritates sanctorum quas usque nunc  
 uidimus. Et si quis contendat oppositum esse uerum, ego salua fide et  
 ueritate melius iudico alieno intellectui cedere quam contentiōibus  
 deseruire; et respondeo ad rationes utriusque partis sicut communiter  
 respondentur. 340

[20] Ad primum dicendum est quod non est simile de existentia  
 unius corporis simul in pluribus locis et de existentia plurium  
 corporum in eodem loco. Primum enim implicat expresse  
 contradictionem, quia illud quod est circumscriptiue in distantibus  
 locis oportet quod sit distinctum distinctione locorum, quia 345  
 quidquid est circumscriptiue in loco aliquo, totum continetur ab  
 ipso, ita quod nichil contenti est circumscriptiue extra continentem.  
 Propter quod illa que sunt in distinctis locis circumscriptiue  
 necessario distincta sunt; et quia est contra rationem unius quod sit  
 distinctum, ideo si unum corpus esset in pluribus locis 350  
 circumscriptiue, esset unum et non unum seu indistinctum, quod  
 implicat contradictionem; set ponere plura corpora in eodem loco  
 solum uidetur repugnari distinctioni eorum; non repugnat autem  
 quia prima distinctio corporum non est per loca, set per se ipsa uel  
 per quantitates suas, et ita uirtute diuina potest conseruari non 355  
 obstante unitate loci.

[21] Ad secundum potest dici quod non potest per ymaginationem fingi quod in uno loco sint plura corpora, quia ymaginatio non transcendit quantum, et ideo per ymaginationem semper capiuntur  
 360 plura quanta ut situ distincta; set intellectus, qui est altior ymaginatione, potest concipere quod licet quantum in se habeat partes positione distinctas, tamen comparando unum quantum alteri non oportet quod sic distinguantur, adeo quod unum expellat aliud de eodem loco uel situ, cum ille sit actus secundus quantitatis a quo  
 365 quantitas potest uirtute diuina priuari.

[22] Ad tertium dicendum quod non est simile de duobus accidentibus respectu unius subiecti et de duobus corporibus respectu unius loci, quia accidentia se habent informatiue ad subiectum, corpora autem se habent ad locum extrinsece.

370 Item, quamuis duo accidentia absoluta forte non possint esse in eodem subiecto, ut due albedines, tamen ab ALIQVIBVS ponitur quod duo accidentia respectiua possunt esse in eodem subiecto, sicut in uno patre due paternitates respectu duorum filiorum; nec est dubium quin in duobus subiectis sint duo accidentia relatiua per  
 375 comparationem ad unum, sicut in duobus filiis sunt due filiationes per comparationem ad unum patrem.

Et illud, ut uidetur, potest sufficere ad propositum, quia esse in loco dicit respectum corporis ad locum, propter quod nichil prohibet quin duo corpora simul habeant duo ubi respectu eiusdem loci.

380 [23] Ratio in oppositum, quamuis sit ad communem conclusionem, tamen solui potest, quia non est simile de duabus completis naturis respectu unius suppositi et de duobus corporibus respectu unius loci, quia natura constituit suppositum ratione modi essendi in se, qui, cum non sit de intrinseca ratione nature, potest ab  
 385 ea separari, et tunc talis natura non constituet suppositum, set alia a qua non separabitur dictus modus, et tunc erunt plures nature in eodem supposito; set occupare locum conuenit quanto ratione eius quod est de intrinseca ratione quanti, scilicet ex eo quod habet partes positione distantes; propter quod illud non potest a quanto separari,  
 390 nec per consequens potest separari quod non occupet locum in quo est.

372 duo ... 373 filiorum] cf. Thom., *S.th.*, III, 35, 5, resp.; *Super Sent.*, III, 8, 5, 55 (292)

370 absoluta] *coni.*: absolute  $\pi$

Ad auctoritatem DAMASCENI esset respondendum sicut ad dictum euangelii quod allegat.

QUESTIO SEPTIMA

VTRVM CORPORA GLORIOSA RATIONE SVE AGILITATIS POSSINT MOVERI  
IN INSTANTI DE LOCO AD LOCVM

[1] Deinde queritur de agilitate corporum gloriosorum et queritur  
utrum corpora gloriosa ratione sue agilitatis possint moueri in 5  
instanti de loco ad locum. Et uidetur quod sic, quia *omne quod*  
*π400vb mouetur aut mouetur in tempore aut in instanti; set corpora | gloriosa*  
*post resurrectionem non mouebuntur in tempore, quia tempus non erit*  
*eo quod motus celi cessabit; ergo ille motus erit in instanti.*

[2] Item illud *quod mouetur eque cito ad locum propinquum et ad 10*  
*distantem, mouetur in instanti; set corpus gloriosum mouebitur eque*  
*cito ad propinquum et ad distans; unde AVGVSTINVS dicit in*  
*Questionibus de resurrectione quod corpus gloriosum*  
*utraque interualla pari celeritate pertingit; ergo etc.*

[3] Item AVGVSTINVS dicit De ciuitate Dei XXII quod 15  
*ubicumque fuerit spiritus, ibi erit et corpus; set motus uoluntatis,*  
*secundum quem spiritus uult alicubi esse, est in instanti; ergo et motus*  
*corporis gloriosi erit in instanti.*

[4] In contrarium arguitur quia unum corpus non potest simul esse  
in pluribus locis, ut fuit dictum supra immediate; set si motus localis 20  
corporis gloriosi esset in instanti, tunc corpus gloriosum esset simul  
in pluribus locis, scilicet in qualibet parte medii et in termino; ergo  
impossibile est quod corpus gloriosum moueatur in instanti.

6 omne ... 9 instanti] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 3, arg. 5 (328a)

10 illud ... 14 pertingit] ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 7, arg. 4 (180ra)

illud ... 14 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 3, arg. 4 (328b)

13 corpus ... 14 pertingit] Aug., *Epist.*, 102, 1, 5 (11,76-79)

15 Augustinus ... 18 instanti] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 3, arg. 1 (328a); ap. Anon.

Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 7, arg. 1 (180ra)

16 ubicumque ... corpus] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXII, 30 (862,19)

20 si ... 22 termino] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, sol. 3 (331a)

[5] Item motus est actus imperfecti; set beati post resurrectionem  
 25 habebunt omnem perfectionem quam habere debent, etiam  
 secundum locum, quia iuxta sua merita habebunt locum  
 propinquorem uel minus propinquum ad Christum; ergo uidetur  
 quod omnino non mouebuntur, nec in tempore nec in instanti.

[6] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt tria. Primum  
 30 est an corpora gloriosa sint futura agilia; secundum est an quandoque  
 moueantur de loco ad locum et quali modo, an motu animali seu  
 processiuo, quo mouetur totum per partes, an alio motu quo  
 mouetur totum secundum se; tertium est an motus eorum possit esse  
 in instanti an necessario fiat in tempore.

[7] Quantum ad primum sciendum est quod in homine est duplex  
 35 motus: unus secundum naturam elementi predominantis, quo  
 mouetur naturaliter deorsum, sicut cetera grauia; alius est motus  
 cuius principium est anima, et est progressiuus. Et est triplex  
 differentia inter istos motus. Vna ex parte principiorum; nam  
 40 principium primi motus est mere a parte corporis et nullo modo ex  
 parte anime; nam si corpus esset sine anima, nichilominus moueretur  
 tali motu, si esset sursum et non esset aliquod detinens; set  
 principium secundi motus est aliqua pars corporis, non ut est mere  
 corporis, set ut animati; unde talis motus non competeret corpori  
 45 sine anima.

Secunda differentia est quia primus motus est ad determinatum  
 ubi et uniformiter, quia sequitur formam naturalem, secundus autem  
 motus est ad diuersa ubi et difformiter, quia sequitur  
 apprehensionem, que uariari potest secundum diuersa appetibilia; et  
 50 ideo homo uel aliud animal potest uariare motum progressiuum ad  
 diuersa ubi et diuersimode tarde uel uelociter.

Tertia differentia est quia homo uel aliud animal potest sistere  
 motum progressiuum; nam propter cognitionem qua informatur  
 ymaginatiua hominis uel alterius animalis potest homo uel aliud  
 55 animal suum motum sistere, set non alium, qui est ex natura  
 elementi predominantis; si enim homo esset sursum nec esset

30 an<sup>1</sup> ... agilia] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3 (327a-333a)

35 in ... 38 progressiuus] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 4, resp. 1 (481b)

in ... 58 casus] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 14, (b) (474b-475a)

31 quali] *coni.*: quasi  $\pi$

retinens ipsum, necessario caderet nec cadens posset sistere motum sui casus.

[8] Ex hoc ad propositum: agilitas dicit habilitatem in corpore ad faciliter mouendum secundum motum localem, non quidem 60 secundum motum quo animal mouetur secundum naturam elementi predominantis, quia sic corpus mortuum esset agilius quam uiuum, quia tamquam ponderosius citius mouetur deorsum quam corpus uiuum, et tamen nullus dicit corpus mortuum agile.

Item agilitas uidetur esse conditio mouentis se ipsum; sola enim 65 animata mouent se et solum secundum motum progressiuum, propter quod agilitas estabilitas in corpore ad faciliter et prompte se mouendum motu progressiuo. Hanc autem agilitatem rationabile est ponere in corporibus beatorum, quia, sicut dictum fuit prius, in beatis corpus est plene subiectum spiritui; spiritus autem uel *anima* 70 *comparatur ad corpus non solum ut forma, set etiam ut motor*; et ideo debet esse ei *subiectum* non solum ut formali perfectioni, set ut *motori*; propter quod sicut corpus per impassibilitatem | plene subicitur anime ut forme uel perfectioni, sic per agilitatem plene subicietur ei ut motori, adeo ut faciliter et prompte et sine fatigatione 75 celerrime moueatur secundum imperium uoluntatis.

[9] Per quid autem fit agilitas ista, non est omnino clarum, uidetur tamen quod fit per ablationem grauitatis a corporibus beatorum. Quod patet primo per auctoritatem AVGVSTINI XXII *De ciuitate Dei*, qui dicit quod omnipotens Deus abstulit a beatis grauitatis 80 pondus. Et arguitur per rationem quia talis agilitas uel erit per solam ablationem grauitatis uel per collationem alicuius qualitatis: si per ablationem grauitatis, habetur propositum. Si dicatur quod per collationem alicuius noue qualitatis, aut illa qualitas inclinabit ad motum aut solum faciet quod grauitas corporum non impediatur nec 85 retardet motum progressiuum beatorum: si inclinatur ad motum, tunc inclinabit ad determinatum motum et ad determinatum locum, quia inclinabit per modum nature et non per apprehensionem, cum non ponatur qualitas cognoscitiua uel appetitiua, et tunc beati non

59 agilitas ... 76 uoluntatis] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 14, (c) (475a-b)

65 agilitas ... 76 uoluntatis] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 7, 1, resp. (180ra-b)

69 in<sup>2</sup> ... 70 spiritui] cf. supra, IV, 44, 5, 9 (70-71)

70 spiritus ... 76 uoluntatis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, sol. I (329a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 4, resp. I (481b)

80 omnipotens ... 81 pondus] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXII, 11 (829,29-31)



90 possent moueri in contrarium nisi cum difficultate, quod est  
inconueniens. Si autem illa qualitas solum faceret quod inclinatio  
grauitatis non impediret alium motum, cum *melius sit facere aliquid*  
*per pauciora quam per plura*, ideo melius est dicere quod grauitas  
auferatur et per consequens inclinatio grauitatis uel quod uirtute  
95 diuina impediatur eius inclinatio actualis sicut impediretur in  
qualitatibus actiuus, quam quod ponatur aliqua qualitas que  
grauitatem non tollat, set inclinationem eius impediatur, quia illa  
qualitas non impediret, nisi quia ad oppositum inclinaret et tunc  
impediret agilitatem, que est ad omnem locum. Et confirmatur hoc,  
100 quia fatigatio et tarditas in motu progressiuo conuenit ex duabus  
causis: una est propter resolutionem membrorum seu organorum  
deseruentium motui ex qua debilitantur; alia est quia motus  
progressiuus non est secundum naturalem inclinationem corporis; ille  
enim est deorsum ratione grauitatis. Prima autem istarum causarum  
105 tolletur a corpore glorioso per impassibilitatem, ratione cuius organa  
motus nullam patientur resolutionem nec per consequens  
debilitationem. Secunda autem tolletur per agilitatem, non aliter  
quam per sublationem grauitatis uel per impedimentum sue actualis  
inclinationis, nec ex hoc deperibit aliquid pertinens ad suam  
110 perfectionem, quia grauitas non sic est de integritate corporum, ut  
sunt aliqua membra que in patria nullum habebunt usum, sicut nec  
grauitas, nec est necessaria corporibus, nisi ut per eam moueantur ad  
loca naturalia in quibus conseruantur; tali enim conseruatione non  
indigebunt corpora gloriosa; quare etc. Et sic patet primum.

115 [10] Quantum ad secundum tenendum est quod corpora gloriosa  
quandoque localiter mouebuntur, quod etiam de ipso Christo  
credibile est, quia uirtus procedens in actum exercitum potentior et  
perfectior apparet quam si non exiret in actum (actus enim  
manifestat uirtutem); cum ergo in beatis sit uirtus motiua perfecta ex  
120 parte anime et summa habilitas ex parte corporis, rationabile est  
quod quandoque <demonstretur per effectum, et ita probabile est  
quod quandoque> beati moueantur motu progressiuo, qui solus

92 melius ... 93 plura] Thom., *Sent. De sensu*, I, 3 (26,203-204); cf. etiam *In Phys.*, I, 9, 74 (38); *Auct. Ar.*, 2, 26 (141,39-40); 36, 124 (331,74-76); Arist., *Phys.*, I, 4, 188a17-18; *Topic.*, VII, 11, 162a24-26

100 fatigatio ... 114 gloriosa] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 7, 1, resp. (18orb-va)

121 demonstratur ... 122 quandoque] *suppl.: om. π*

apparet in nobis esse causatus ab anima per apprehensionem et appetitum et exercitus per motionem determinatarum partium corporis que organice huic motui deseruiunt. 125

[11] Vtrum autem competat eis alius motus quo moueatur corpus ab anima non organice, idest non pars per partem, sicut nunc fit, set totum simul et ex equo, quemadmodum graue descendit deorsum et leue fertur sursum, uidetur QVIBVSDAM quod sic.

[12] Quod probant, quia in anima est uirtus sic mouendi actiue et in corpore est uirtus passiuia optime disposita ut sic moueantur; ergo talis motus erit uel poterit esse in corporibus gloriosis. Consequentia patet, quia posito sufficienti motiuo et mobili sufficienter disposito, sequitur motus uel saltem potest sequi. Antecedens declaratur quantum ad duas partes eius. Primo, quod in anima sit talis uirtus motiua, quia inconueniens uidetur quod anima separata non posset se mouere ad ubi sibi conueniens, alioquin esset imperfectior quocumque corpore in | uniuerso; nam omne corpus naturale sibi derelictum mouetur per uirtutem quam habet ad ubi sibi conueniens; set talis motus anime separate non fieret organice; ergo in anima separata est uirtus ad mouendum non organice, nec illud repugnat sue perfectioni, quia angeli, qui sunt perfectiores animabus separatis, mouentur de loco ad locum et non organice. 130 135 140

[13] Item ex parte corporis uidetur esse conueniens dispositio ad talem motum; nam corpora beatorum secundum omnem partem sui sunt simpliciter et immediate subiecta anime et spiritui; et ideo possunt simul secundum omnem partem sui immediate ab anima moueri, et non una pars mediante alia. 145

[14] Istud autem mere uidetur fictitium et inopinabile, ponendo quod in homine non sit alia forma preter animam rationalem, quia secundum hoc pars essentialis hominis que distinguitur ab anima est sola materia; cum ergo mouens et motum primo sit aliud et aliud, quia nichil a se ipso mouetur primo, sequeretur quod sicut anima esset mouens tali motu, sic materia prima esset primo mota ab ipsa. Quod est impossibile, quia omne motum oportet esse ens actu; si uero in homine sit alia forma preter animam, per quam corpus sit actu ens, adhuc talis motus uidetur esse fictus, quia secundum ISTOS 155

130 in ... 148 alia] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 14, (d) (476b-478b)

128 totum] *coni.*: tamen  $\pi$  | equo] *coni.*: quo  $\pi$

in anima post resurrectionem non erit aliqua noua uirtus ad mouendum preter illam quam habuit dum esset in corpore corruptibili et quam retinuit dum esset separata; set constat quod  
 160 omnis uirtus motiua quam nunc habet anima est motiua corporis solum uno modo, scilicet organice, propter quod et natura dedit corpori partes organicas determinatas ad hunc motum et differentes secundum differentiam motus, sicut alie partes sunt in animalibus  
 165 progressibilibus et alie in auibus; ad alium autem motum qui est totius corporis secundum se totum nullam dispositionem dedit; propter quod uidetur fictitium quod uirtus anime aliquo modo se extendat ad illum motum.

[15] Nec ualent rationes quas IPSI adducunt. Cum enim dicunt  
 170 quod inconueniens est quod anima separata non moueat se de loco ad locum, absque dubio inconueniens est secundum omnem philosophiam quod aliquid moueatur localiter nisi corpus. Et si ab ALIQVIBVS THEOLOGIS ponatur anima separata moueri uel angelus, motus hinc et inde dicitur simpliciter equiuoce; et ex talibus non  
 175 potest sumi efficax argumentum.

Item, dato quod anima haberet talem uirtutem mouendi, non sequeretur quod haberet talem uirtutem ad mouendum corpus secundum illum motum, set potius oppositum, cum alterius rationis sit motus anime et motus corporis.

[16] Quod autem additur, quod in corporibus gloriosis erit perfecta dispositio ad illum motum, falsum est, immo nulla; sicut enim pro nunc et pro tunc corpus uiuificabitur ab anima, una tamen pars per prius quam alia, quia omnes alie mediante corde, sic et multo amplius corpus mouebitur ab anima, non secundum omnes partes  
 185 primo et ex equo, set secundum unam mediante alia, sicut ipsa dispositio organorum hoc ostendit. Et sic patet secundum.

[17] Quantum ad tertium dicendum quod motus corporum gloriosorum non erit in instanti, set in tempore, quia omnis motus corporis qui est ab extremo in extremum per medium necessario est  
 190 in tempore; set omnis motus corporum gloriosorum erit huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia ratio medii est quod prius attingatur a

158 in ... 160 separata] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 14, (d), 7 (478a)

170 inconueniens ... 171 locum] Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 14, (d) (476b)

188 omnis ... 190 tempore] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, sol. 3 (330b)

191 ratio ... 192 extremum] cf. Thom., *S.th.*, I, 53, 2, resp.; Arist., *Phys.*, V, 3, 226b23-25

mobili quam extremum, ut apparet ex V P H I S I C O R U M ; prius autem et posterius non sunt nisi in tempore. Minor probatur, quia nulla uirtus creata potest immutare cursum nature; set cursus nature in motu locali est quod sit de extremo in extremum per medium; 195 uirtus autem motiua corporum gloriosorum erit uirtus creata, scilicet uirtus anime; quare necesse est quod motus ille fiat in tempore.

[18] Ad rationes in oppositum. Ad primam dicendum quod licet post resurrectionem non sit tempus quod est passio primi motus, erit tamen tempus quod est mora continua et successiua motuum qui 200 tunc fient.

[19] Ad secundam dicendum quod corpora gloriosa non eque cito <sup>π401va</sup> attingent distans sicut propinquum. Et quod | dicit AVGVSTINVS, quod erit *par celeritas, intelligendum est quantum ad hoc quod erit quasi imperceptibilis excessus unius respectu alterius* propter miram 205 celeritatem motus, propter quam ALIQVI dixerunt quod talis motus fiet in instanti, quia fiet in *tempore quasi imperceptibili*.

[20] Ad tertiam dicendum quod illud quod modicum est *nichil habere uidetur*, ut dicitur II P H I S I C O R U M ; et ideo dicimus aliquid statim esse factum quia factum est post modicum; et sic per hunc 210 modum dicit AVGVSTINVS quod *ubi spiritus uoluerit, statim corpus erit*, quia cito post.

Iterum uoluntas beatorum erit ordinata ut non uelit se esse alicubi pro aliquo instanti pro quo non possunt ibi esse; et ideo quodcumque instans determinabit uoluntas, pro illo erit ibi corpus; 215 igitur etc.

203 quod ... 207 imperceptibili] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 3, ad 4 (333a)

204 erit! ... celeritas] cf. Aug., *Epist.*, 102, 5 (11,76-79)

206 talis ... 207 imperceptibili] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, sol. 3 (284a); 44, 2, 3, sol. 3 (331a); Ioh. Pecham, *Quaest. disp. de beat. an. et corp.*, 4-5, 31 (501,12-13); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 4, resp. 2 (482a)

208 quod! ... 212 post] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 3, ad 1 (331a)

illud ... 209 uidetur] cf. Arist., *Phys.*, II, 5, 197a29-30

illud ... 216 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 7, ad 1 (181ra)

211 ubi ... erit] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXII, 30 (862,19)

213 uoluntas ... 216 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 3, ad 1 (331a-331b)

206 aliqui] *coni.*: aliquid π

## QVESTIO OCTAVA

## VTRVM CORPORA GLORIOSA HABEANT CLARITATEM

[1] Postea queritur utrum corpora gloriosa habeant claritatem. Et arguitur quod non, quia *lux et color requirunt* in corpore *dispositiones*  
 5 *contrarias, quia lux* requirit corpus perspicuum non terminatum per opacum, color autem requirit perspicuum terminatum, ut patet ex lib. De sensu et sensato; set constat quod *corpora gloriosa erunt* terminata colore, cum color pertineat ad pulcritudinem corporis; ergo non erunt clara seu lucentia.

10 [2] Item *corpus lucens* non est peruium uisui, set *occultat quod est post se*, ut patet de corporibus astrorum et de igne apud nos; set corpora gloriosa erunt peruia uisui; dicit enim GREGORIVS XVIII *Moralium* exponens illud Iob 28: *Non adequabitur ei aurum uel uitrum* quod *patebit corporalibus oculis, ipsa etiam interior corporis*  
 15 *armonia; ergo, ut uidetur, illa corpora non erunt lucentia.*

[3] Item corpus clarum uel lucens presens uisui ex necessitate uidetur; set corpus Christi quod erat gloriosum presens uisui discipulorum euntium in Emaus non fuit uisum clarum nec lucens; ergo etc.

20 [4] In contrarium est Scriptura in quam plurimis locis. Dicitur enim Sap. 3 quod *fulgebunt iusti tamquam scintille in arundineto*, et Matth. 13: *Fulgebunt iusti sicut sol* etc., et I Cor. 15: *Stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum.*

[5] Responso. Aduertendum est quod nomen claritatis quantum ad suam primam impositionem importat proprietatem luminis, sicut et suum oppositum, scilicet obscuritas, importat conditionem seu

4 lux ... 9 lucentia] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 4, 1, arg. 3 (333b); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 4, 2 (112rb)

6 color ... terminatum] cf. *Auct. Ar.*, 7, 14 (196,57); Arist., *De sensu*, 3, 439b11-12; Thom., *Sent. De sensu*, I, 6 (38,269-272)

10 corpus ... 15 lucentia] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 4, 1, arg. 2 (333a-333b); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 4, 1 (112rb)

13 Non ... 14 uitrum] *Iob*, 28,17

14 patebit ... 15 armonia] Greg., *Moralia*, XVIII, 48, 78 (941,27-28)

16 corpus ... 18 lucens] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 1, arg. 3 (478b)

17 corpus ... 18 lucens] cf. *Luc.*, 24,13-53

21 fulgebunt ... arundineto] cf. *Sap.*, 3,7; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 4, sed contra I (333b)

22 Fulgebunt ... sol] *Matth.*, 13,43; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 4, sed contra I (333b)  
 Stella ... 23 mortuorum] I *Cor.*, 15,41-42

proprietatem oppositam contrarie uel priuatiue lumini; set quia mediante lumine perficitur in nobis prima et potissima cognitio sensitua quam habemus, scilicet uisiua, per quam res potissime nobis manifestantur et cuius natura transfertur ad omnes alias cognitiones, per quas aliqua ueritas nobis manifestatur, ideo nomen claritatis transfertur ad omnem manifestationem ueritatis; unde omnem ueritatem nobis manifestam dicimus esse claram, et per consequens omne quod est sui bene manifestatiuum dicimus esse clarum.

[6] Et secundum hoc potest dici quod claritas erit dupliciter in corporibus gloriosis: primo secundum ultimum modum, scilicet 25 inquantum clarum dicitur illud quod se ipsum bene manifestat tamquam habens puritatem nature sue speciei; sic enim corpora gloriosa erunt clara, quia qualitates eorum maxime ad uisum pertinentes, ut color et figura, erunt purissime nichil impuritatis habentes admixtum; et hoc nullus negat. Set quantum ad primum 30 modum potest dici quod claritas erit in corporibus gloriosis dupliciter: uno modo sicut est claritas in corporibus bene tersis et politis ex incidentia radiorum solis uel alterius corporis luminosi, que claritas est ualde magna, si corpus sit politum ualde et tersum, sicut aurum uel argentum uel gladius ualde limatus; constat autem quod 35 corpora gloriosa erunt ualde polita et tersa, propter quod ex incidentia radiorum solis et aliorum luminarium fulgebunt maxima claritate; nec adhuc est aliqua dubitatio.

[7] Alio modo ponitur in corporibus gloriosis claritas a QVIBUSDAM dicentibus quod sicut lux est intranea qualitas solis uel alterius 40 corporis luminosi, sic etiam erit intranea qualitas corporibus gloriosis.

[8] Et illud est difficilius ad intelligendum. Primo, quia talis claritas non uidetur ponenda in corporibus gloriosis propter hoc quod magis *π401vb* delectent uisum aspicientium, | quia nos experimur quod maior delectatio est in aspiciendo pulcritudinem coloris et figure hominis 45 quam in aspiciendo claritatem solis, etiamsi in eius aspectu non lederetur uisus; secundo, quia difficile est uidere quomodo color et lux intensa, qualis secundum hanc opinionem ponitur in beatis (ponitur enim equalis luci solis), possit stare cum colore;

25 primo ... 41 gloriosis] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 4, 2, resp. I (479a)

40 sicut ... 41 gloriosis] cf. Ioh. Pecham, *Quaest. disp. de beat. an. et corp.*, 6-7, resp. I (525,9-10)

50 nichilominus propter hoc non est negandum quin Deus possit dare talem claritatem corporibus gloriosis.

Cuius ratio est quia illa que secundum naturam possunt stare simul utroque uel altero existente in gradu remisso sue speciei, possunt uirtute diuina simul esse utroque existente in gradu  
55 intensissimo sue speciei; set lux et color sunt per naturam in eodem subiecto utroque uel saltem altero existente in gradu remisso; ergo uirtute diuina possunt esse simul utroque existente in gradu intensissimo. Maior patet, quia illa que sunt separatarum specierum et compatiuntur se in aliquo gradu non habent formalem  
60 oppositionem, quia formalis oppositio seruatur in toto ambitu; que autem non habent formalem oppositionem possunt secundum totum ambitum sue speciei simul esse uirtute diuina, quia ibi nulla implicatur contradictio loquendo de formis diuersarum specierum. Minor similiter declaratur, quia in noctilucis simul stant color et lux,  
65 ut apparet ad sensum, et sic uidetur quod uirtute diuina corpora gloriosa possunt simul esse colorata et lucentia.

[9] Ad argumenta in oppositum respondendum. Ad primum dicendum quod lux et color non requirunt necessario oppositas dispositiones in subiecto absolute, set per comparisonem ad causam  
70 naturalem effectiuam, que non potest causare colorem uel lucem in subiecto nisi mediantibus aliis que respectu coloris et lucis ponunt contrarias dispositiones; claritas autem que erit in corporibus gloriosis non erit a causa naturali, set immediate a Deo, et ideo non requirit in subiecto dispositionem colori contrariam. Et si quis querat quid  
75 istorum uidebitur in corpore glorioso, lux an color, dicendum est quod utrumque simul; quod enim ista simul non uideantur, in noctilucis causa est, quia de die, quando color eorum uidetur, lux seu claritas eorum, que est minima, non apparet propter presentiam maioris claritatis, scilicet solis; de nocte uero eorum lux uidetur et  
80 non color, quia color non percipitur nisi medium illuminetur, *est enim color motiuus uisus secundum actum lucidi, ut dicitur II De anima*. Lux autem talium non sufficit ad illuminandum medium sic ut color uideatur, quamuis sufficiat ad uisum quoad se ipsam.

80 est ... 82 anima] cf. Thom., *Quaest. disp. de an.*, 4 (32,45-47); Arist., *De an.*, II, 7, 418a31-b1

[10] Ad secundum <dicendum> quod corpora bonorum possunt esse peruia respectu oculi beati propter poros subtilissimos in eis 85 existentes, qui propter efficaciam oculi glorificati sufficiunt ad manifestandum interiora corporis quantum oportet, et nichilominus cum hac peruietate optime stat quod colorata uel lucentia, licet non bene appareat quomodo possent esse simul peruia, ut uitrum, et lucentia, ut sol. 90

[11] Ad tertium dicendum quod corpus clarum seu lucens presens uisui bene disposito necessario uidetur, nisi uirtute diuina impediatur actio uisibilis in uisum; set quia beatis ad nutum assistet diuina uirtus, ideo beati non ex se, set ex diuina uirtute assistente possunt facere quod claritas eorum presens uisui non immutet ipsum. Nec 95 bene apparet quomodo hoc posset fieri circa corpus gloriosum uirtute anime, quia non est in potestate uirtutis create suspendere actionem naturalem actiui in passiuum approximatum et dispositum, sicut non est in potestate hominis uel angeli quod ignis approximatus stuppe non comburat eam; et similiter non uidetur quod sit in potestate 100 anime quantumcumque glorificate quod corpus suum, si sit lucens et clarum et presens uisui, non immutet ipsum, quamuis hoc possit fieri diuina uirtute.

SENTENTIA HVIVS SECVNDA PARTIS DISTINCTIONIS XLIV IN GENERALI  
ET SPECIALI

Determinato de resurrectione bonorum hic determinat de resurrectione malorum. Et cum hoc sequitur illa pars superius diuisa, in qua determinat resurrectionem monstrorum ibi: *Illud etiam*. Et sic 5  
*π402ra* sunt due partes | principales quarum prima habet duas partes; primo enim determinat de resurrectione malorum quantum ad naturam, secundo quantum ad penam ibi: *Queri solet*. Et illa habet duas partes secundum quod duas questiones incidentes mouet, secunda ibi: *Cum autem constet*. 10



[2] Proponit ergo MAGISTER quod dampnati cum membris suis resurgent, set cum AVGVSTINO relinquit sub dubio, utrum resurgant cum deformitatibus, patientur tamen dampnati in corporibus penam, non tamen consumentur, sicut animus dolorem sentit et non corpus.  
 15 Deinde querit utrum demones corporali igne crucientur. Et respondet quod ille ignis corporalis erit, et miro modo alligabitur spiritibus demonum, sicut spiritus nostri miro modo alligantur corporibus, et cruciabit ille ignis aerea corpora demonum; et ponit unum modum quem tangit AVGVSTINVS Super Genesim quod  
 20 anime separate gerunt similitudinem corporum et corporalium membrorum, et sic patiuntur sicut patimur in sompnis dum sompniat se homo ambulare uel sedere uel uidere aliquod terribile. In fine dicit quod fetus abortiui qui uixerunt in utero matris et monstra resurgent natura in melius reparata.

## QVESTIO NONA

## VTRVM IGNIS INFERNI SIT CORPOREVS

[1] Hic queritur de hiis que pertinent ad dampnatos et primo utrum ignis inferni sit corporeus. Et arguitur quod non, quia ignis corporeus  
 5 agit ex necessitate nature, et equaliter in corpora eiusdem rationis si equaliter sint approximata; set ignis inferni non ponitur equaliter agere in corpora omnium dampnatorum, set differenter secundum modum culpe; ergo non est ignis corporeus. Minor probatur per GREGORIVM IV Dyalogorum qui dicit sic: *Vnus quidem est*  
 10 *gehennae ignis, set non uno modo omnes cruciat peccatores; uniusquisque in quantum exigit culpa, tantum sentiet de pena.*

[2] Item locus debet correspondere locato; set infernus non est locus corporeus; ergo nec ignis inferni. Minor probatur per AVGVSTINVM XII Super Genesim ad litteram, ubi dicit:

4 ignis<sup>2</sup> ... II pena] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, arg. 3 (340b)

9 Vnus ... II pena] Greg., *Dialog.*, IV, 45 (160,5-8)

*Spiritualem arbitror esse locum ad quem anima defertur post mortem, 15 non corporalem.*

[3] Ad idem est quod dicit DAMASCENVS lib. IV cap. ultimo: Tradetur dyabolus et demones eius et homo eius, scilicet Antichristus, et impii peccatores in ignem eternum, non materialem, qualis est qui apud nos est, set qualem utique nouit Deus. 20

[4] In contrarium est communis doctrina ecclesie et auctoritate beati GREGORII IV DIALOGORUM arguitur, qui dicit sic: *Ignem gehenne corporeum esse non ambigo, in quo certum est dampnatorum corpora cruciari.*

[5] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt duo: primum 25 est de igne inferni, an sit corporeus; secundum est de loco inferni, ubi sit positus.

[6] Quantum ad primum sciendum est quod non potest sciri per omnimodam certitudinem qualis sit ignis inferni. Vnde MAGISTER dicit in littera ex uerbis AVGVSTINI: *Ignis eternus cuiusmodi sit 30 neminem scire arbitror, nisi forte cui Spiritus diuinus ostendit.* Ex dictis enim sacre Scripture constat ignem ibi esse, set qualis sit non potest efficaciter ex illis dictis concludi. Vnum enim de precipuis dictis sacre Scripture, ex quo magis uidetur concludi quod ille ignis esset corporeus, uidetur esse illud quod habetur Luc. 16 de diuite 35 epulone, qui dicit ad Habraham: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma;* flammam enim nominat ignem corporeum.

Si quis tamen aduertat: 'Ex illo dicto potest efficacius concludi oppositum quam propositum sic: talis erat flamma que eum 40 cruciabat, qualis erat lingua quam habebat et qualis aqua quam petebat; set constat quod lingua quam habebat non erat corporea nec

15 Spiritualem ... 16 corporalem] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 1, arg. 2 (340b); cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 32 (427,28)

17 dicit ... 20 Deus] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 1, arg. 1 (340a-b)

18 Tradetur ... 20 Deus] Ioh. Dam., *De fide orth.*, IV, 27 (385,143-146)

22 Ignem ... 24 cruciari] Greg., *Dialog.*, IV, 30 (102,36-37); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 1, sed contra 1 (340b)

30 Ignis ... 31 ostendit] Lomb., *Sent.*, IV, 44, 6, 2 (520,13-15); cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 16 (726,10-13); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 2, arg. 1 (340b)

36 Mitte ... 38 flamma] Luc., 16,24; Lomb., *Sent.*, IV, 44, 7, 2 (521,5-7); Greg., *Dialog.*, IV, 30, 3 (102,20-22)

digitus Lazari corporeus nec aqua quam petebat corporea, quia nichil  
 ualuisset ei; ergo, ut uidetur, nec flamma que eum cruciabat erat  
 45 corporea, nichilominus tamen, quamuis ex dictis Scripture non  
 possit infallibiliter hoc conuinci, tenendum est tamen illum ignem  
 esse corporeum auctoritate GREGORII et ratione probabili. Auctoritas  
 GREGORII expresse est ad hoc IV Dyalogorum. Ratio etiam  
 probabilis est ad idem, quia pena reprobatorum debet  
 50 proportionabiliter respondere premio bonorum; set beati non solum  
 premiabuntur | in anima, set etiam in corpore; ergo mali non solum π402rb  
 punientur in anima, set etiam in corpore; set ille ignis, nisi esset  
 corporalis, non affligeret corpora dampnatorum. Ex quo ergo ignis  
 necessario ponitur per auctoritatem Scripture qui cruciabit  
 55 dampnatos, conuenientius est ponere ipsum esse corporeum eiusdem  
 speciei cum igne nostro, cum talis ignis ex se habeat corpus  
 sensituum affligere, quam fingere nouum ignem et nouam  
 afflictionem. Et hac de causa confitetur AVGVSTINVS in littera ignem  
 quo affliguntur corpora dampnatorum esse corporeum.

60 [7] Quantum ad secundum, scilicet de loco inferni, consimiliter est  
 dicendum quia non potest sciri per certitudinem ubi sit, ut patet per  
 AVGVSTINVM in littera; et GREGORIVS IV Dyalogorum dicit: *De*  
*hac re temere diffinire nichil audeo. QUIDAM tamen dicunt infernum*  
*esse in superficie terre, ex parte opposita terre nostre habitabili, quam*  
 65 *partem uocant orbem tristem; et hoc uidetur sensisse ISIDORVS, qui*  
*dicit quod sol et luna post resurrectionem in ordine in quo creati sunt*  
*stabunt, ne impii in tormentis positi fruantur luce eorum; que ratio*  
*nulla esset si infernus est infra terram, quia cum terra sit opaca,*  
*ubicumque starent sol et luna, impossibile esset lumen eorum ad*  
 70 *infernum pertingere.*

47 Auctoritas ... 48 Dyalogorum] cf. Greg., *Dialog.*, IV, 30, 5 (102,38-43); 30, 1 (100,1-3); Lomb., *Sent.*, IV, 44, 7, 2 (520,22-23)

58 ignem ... 59 corporeum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 6, 1 (520,9); Aug., *De ciu. Dei*, XXI, 10 (776,41-42)

60 de ... 70 pertingere] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 9, 3, resp. (183vb)

61 non ... sit] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 6, 2 (520,13-15); Aug., *De ciu. Dei*, XX, 16 (726,10-13)

62 De ... 63 audeo] Greg., *Dialog.*, IV, 44, 1 (156,1); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, sol. 3 (343b)

63 Quidam ... 68 terram] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, sol. 3 (344a)

66 sol ... 67 eorum] Lomb., *Sent.*, IV, 48, 5, 6 (547,15-17); cf. *Glossa ord. Is.*, 60, 19 (89a); Ps.-Isidor. Hisp., *De ord. creatur.*, 5, 6 (924B-C); cf. etiam *Hab.*, 3,11

[8] Ista tamen opinio communiter non tenetur, quin potius creditur quod ex opposito terre nostre habitabilis non sit nisi aqua que secundum naturam circulariter ambit terram, nisi quantum ex prouidentia diuina nostra terra habitabilis est aquis discoperta propter uitam hominis et aliorum animalium respirantium tuendam. 75 Vnde communiter tenetur quod infernus est infra terram, cui alludit dictum Scripture in pluribus locis; dicit enim Is. 14: *Infernus subtus conturbatus est in occursum tui*. Item articulus fidei dicit quod Christus descendit ad inferna, quem quasi exponens APOSTOLVS Eph. 3 dicit de Christo: *Quid est quod ascendit, nisi quia primum* 80 *descendit ad inferiores partes terre*, hoc est ad infernum, in quo insinuatur infernum esse infra terram.

Ipsum etiam nomen concordat; dicitur enim infernus uel inferus, *quia inferius iacet*. Persuadetur etiam hoc probabili ratione, quia *sicut* 85 *est grauitas et leuitas in corporibus, sic letitia et tristitia in spiritibus* (letitia enim et tristitia sunt quasi pondus et inclinatio spirituum); set per grauitatem corpora tendunt deorsum, per leuitatem uero sursum; ergo similiter locus conueniens spiritibus existentibus in perpetua letitia, maxime resumtis corporibus, debet esse sursum, locus uero conueniens spiritibus existentibus in perpetua tristitia debet esse 90 deorsum; beati autem et nunc et post resurrectionem erunt in perpetua letitia, dampnati uero in perpetua tristitia; propter quod sicut locus conueniens nature beatorum erit sursum in celo, sic locus conueniens nature dampnatorum erit deorsum in profundo terre, et istum locum communiter uocamus infernum. Hanc persuasionem 95 tangit beatus AVGVSTINVS Super Genesim ad litteram.

[9] Ad argumenta in oppositum. Dicendum ad primum quod sicut corpora beatorum erunt differentis glorie secundum differentiam

77 Infernus ... 78 tui] Is., 14,9; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 3, sed contra 2 (341a)  
 78 quod ... 79 inferna] cf. *Enchir. Symb.*, nn.16 (27); 27-30 (32-34); 76 (52); 369 (175); 587 (273); 801 (358); 852 (380)  
 80 Quid ... 81 terre] *Eph.*, 4,9  
 83 dicitur ... 84 iacet] Greg., *Dialog.*, IV, 44 (156,5); cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 9, 3, resp. (183vb); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, sol. 3 (343b)  
 84 sicut ... 95 infernum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, sol. 3 (343b-344a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 9, 3, resp. (183vb)  
 95 Hanc ... 96 litteram] cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 33 (428,7-10); *Retract.*, II, 24 (110,23-25)

79 descendit] *dub.* π

meritorum, sic corpora dampnatorum erunt magis uel minus  
 100 passibilia respectu pene secundum differentiam demeritorum. Et ideo  
 unus et idem ignis equaliter agens quantum est ex parte sua  
 inequaliter affliget corpora dampnatorum propter diuersam  
 passibilitatem eorum. Vel, sicut ALII dicunt, *ignis ille agit non* solum  
 ex uirtute nature sue, *set ut instrumentum diuine iustitie*, propter quod  
 105 actio eius modificabitur a principali agente, ut qui plus peccauerunt  
 plus crucientur.

[10] Ad secundum dicendum quod AVGVSTINVS loquitur de anima  
 separata que non exigit locum corporalem, nam Deus potuit tam  
 angelos quam animas separatas produxisse ante mundum corporeum;  
 110 et ideo, si sic semper remaneret anima, ita quod numquam corpori  
 reuniretur, non oporteret ad eius punitionem assignare locum  
 corporalem. Vel potest dici quod *locus ille ad quem anime deferuntur*  
*post mortem dicitur ab AVGVSTINO non esse corporeus*, non quidem  
 secundum se, set ratione continentie, *quia anima in eo corporaliter*  
 115 *non existit*. Vel dicendum secundum ALIQVOS quod AVGVSTINVS  
*loquitur opinando et non determinando*, quamuis uerba sua uideantur  
 sonare assertionem.

[11] Ad tertium dicendum quod forte DAMASCENVS hesitauit an  
 ignis inferni esset corporeus, et ideo fatetur se nescire | qualis sit. Vel <sup>*π402va*</sup>  
 120 potest dici quod *non negat simpliciter illum ignem esse materialem, set*  
*quod non est materialis sicut ille qui est apud nos*, quia non lucet neque  
 indiget fomentis sicut ignis noster, quamuis sit eiusdem speciei quoad  
 substantiam.

103 ignis ... 104 iustitie] cf. Alb., *Super Sent.*, IV, 44, 37, resp. (593a); Ioh. Pecham, *Quodl.*, III, 8 (150,53-55)

ignis ... 105 agente] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 1, ad 3 (342b); uide etiam 44, 3, 3, sol. 3 (350b); 44, 3, 3, 3, ad 2 (351b); 47, 2, 3, sol. 2 (433b); 47, 2, 3, 2, ad 4 (434a)

112 locus ... 116 determinando] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 1, ad 2 (342b)

120 non ... 121 nos] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 2, 1, ad 1 (342b)

## QVESTIO DECIMA

VTRVM CORPORA DAMPNATORVM POST RESVRRECTIONEM PATIANTVR  
AB IGNE PASSIONE PROPRIE DICTA

[1] Secundo queritur utrum corpora dampnatorum post resurrectionem patiantur ab igne passione proprie dicta. Et uidetur 5 quod non, quia nullum incorruptibile est passibile passione proprie dicta; set corpora dampnatorum post resurrectionem erunt incorruptibilia; ergo non erunt passibilia passione proprie dicta. Maior patet, quia secundum PHILOSOPHV M VI Th o p i c o r u m *passio magis et magis facta abicit a substantia* et tandem inducit 10 corruptionem, propter quod omne passibile est finaliter corruptibile. Minor probatur per illud quod habetur Ap o c . 9: *In diebus illis querent homines mortem, et non inuenient eam, et desiderabunt mori, et mors fugiet ab illis.*

[2] Item sublato eo quod est principium omnis realis actionis 15 cessabit et omnis realis actio; set post resurrectionem motus celi cessabit, qui est principium omnis realis actionis; ergo cessabit omnis realis actio, quare et omnis realis passio. Maior de se patet. Set minor probatur, quia sicut se habet motus cordis in animali ad alios motus animalis, ita se habet motus celi ad omnes motus inferiores; set 20 cessante motu cordis necessario cessant omnes motus animalis; ergo motu celi cessante necessario omnes motus cessabunt et etiam omnes actiones inferiores. Minor istius prosillogismi clara est. Set maior istius patet per ARISTOTILEM VIII P h i s i c o r u m in principio et per RABI MOYSEN, qui comparat motum celi motui cordis. 25

[3] Item omnis causa uniuoca reducitur ad equiuocam, alioquin posset esse processus in infinitum, cum inter uniuoca non sit ordo per se; set actio et passio, que inuenitur in istis inferioribus, sunt secundum uniuocationem, sicut cum calidum calefacit aliud, quia

10 passio ... 11 corruptionem] Arist., *Topic.*, VI, 6, 145a3-4.9; cf. Thom., *S.th.*, I-II, 22, 1, arg. 3; *Super Sent.*, 44, 3, 1, 3, arg. 1 (337a)

12 In ... 14 illis] *Apoc.*, 9,6; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, 2, sed contra 1 (336b)

24 Aristotilem ... Phisicorum] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 14, 1, 1, ad 2 (348); IV, 43, 1, 4, sol. 1 (286b); *S.th.*, I, 18, 1, ad 1; *In Phys.*, VIII, 1, 966[2] (500b); Auerr., *Phys.*, VIII, 1 (338vaH-I); Arist., *Phys.*, VIII, 1, 250b11-15

25 comparat ... cordis] cf. Maimon., *Dux neutr.*, I, 71 (31r)

23 prosillogismi] con.: pro simili π

30 forma agentis et terminus actionis sunt eiusdem speciei; oportet ergo quod reducantur in causam equiuocam, et non nisi in motum celi, ut uidetur; ergo eo cessante cessabit talis actio et passio; set non ponitur alia in dampnatis; ergo etc.

[4] In contrarium arguitur quia *sicut corpus cooperatur ad meritum, ita cooperatur ad demeritum*; set in bonis, in quibus corpus cooperatur ad meritum, *corpus* glorificabatur et *non solum anima*; ergo in malis, in quibus corpus cooperatum fuit ad demeritum, punietur non solum quoad animam, set etiam quoad corpus; hoc autem non feret, si corpus esset impassibile; ergo etc.

40 [5] Responsio. Questio ista apud fideles non est dubia quantum ad conclusionem, quia fides tenet quod dampnati grauissime affligentur non solum in anima, set etiam in corpore, et non solum una pena sensibili, set et pluribus, secundum illud Iob 24: *Ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium*. De modo autem passionis est  
45 diuersitas. Et ideo circa hoc sic procedetur, quia primo ponitur quedam distinctio de passione alia a predicta, saltem quoad uerba, et deinde ponentur diuerse opiniones circa modum patiendi.

[6] Quantum ad primum dicitur sic quod, *cum pati sit quoddam recipere, duplex est modus passionis secundum quod aliquid in alio dupliciter potest recipi*: uno modo naturaliter *secundum esse naturale, sicut calor ignis recipitur in aere uel in ligno; et secundum hunc modum receptionis est unus modus passionis, qui dicitur passio nature*. Alio modo *recipitur aliquid in altero per modum intentionalem, sicut similitudo colorum recipitur in aere uel in oculo; et secundum hunc modum*  
55 *receptionis est alius modus passionis, qui uocatur passio anime*.

[7] Hac distinctione supposita, sciendum est quod duplex est modus dicendi circa passionem dampnatorum. Vnus est quod corpora dampnatorum patientur ab igne passione animali, | non reali, π402vb  
qua aliquid transmutatur a sua naturali dispositione; unde non  
60 calefient ab igne, set solum intentionaliter immutabuntur recipiendo

34 sicut ... 39 impassibile] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sed contra 2 (337a-337b)

43 Ab ... 44 nimium] *Iob*, 24, 19

48 cum ... 55 anime] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sol. 3 (339a-b); cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 44, 3, (a) (250a); Aeg. Rom., *Quodl.*, II, 9 (72a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 10, resp. (184ra)

58 corpora ... 62 affligentur] Aeg. Rom., *Quodl.*, II, 9 (72a); Bonau., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 2 (934a-b); cf. Auic., *Metaph.*, IX, 7 (520, 71-85)

40 fideles] *coni.*: infideles π 43 24] 34? π

eius similitudinem; et quia apprehendent eum ut nociuum, ideo affligentur. *Corpora uero gloriosa, quamuis recipiant similitudinem ignis, non tamen erunt passibilia, quia nichil recipient per modum afflictiui uel lesiui.*

Ratio autem, per quam ISTI probant quod corpora dampnatorum 65 non immutabuntur naturali immutatione ab igne, set solum spirituali, est ista, quia *primum alterans, in cuius uirtute omnia alterantia agunt, quasi ab ipso mota, est corpus celeste per motum suum; set motus celi cessabit post resurrectionem; ergo tunc cessabit 70 omnis alteratio naturalis corporum inferiorum ab inuicem, ita ut nullum alterum possit transmutare a sua naturali dispositione; set quia cessante motu celi adhuc aer a sole illuminabitur et differentias colorum ad uisum deferet, ideo remanebit passio animalis que consistit in receptione specierum sensibilium, per quam sola affligentur corpora dampnatorum, quia sensibile non est natum solum delectare uel 75 affligere sensum secundum quod agit actione nature confortando uel corrumpendo organum, set etiam secundum quod agit actione spirituali seu intentionali, quia experimur quod quando sensibile est in debita proportione ad sentientem, delectat, econtrario autem quando <se> habet in superhabundantia uel defectu, ledit et 80 contristat; unde colores medii et uoces consonantes sunt delectabiles et inconsonantes offendunt auditum.*

[8] Contra modum istum arguitur ab ALIIS, primo contra conclusionem que ponitur et secundo contra causam que assignatur. Primo contra conclusionem arguitur primo sic: illud quod nichil 85 reale abicit, set solum ponit illud quod est nature conueniens, non affligit nec inducit ueram passionem, que sit uere afflictiva; set per immutationem spiritualem nichil reale abicitur, set solum ponitur id quod est nature conueniens, quia talis receptio est perfectio sensuum; ergo per talem immutationem nichil affligitur, nec talis receptio est 90 passio uere afflictiva. Vtraque premissarum de se patet.

62 Corpora ... 64 lesiui] Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sol. 3 (339b)

67 primum ... 71 dispositione] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sol. 2 (338b)

71 transmutare ... dispositione] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, 2, ad 1 (339b)

set ... 75 dampnatorum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sol. 3 (339b)

83 aliis] uide e.g. Guill. de Mara, *Corr.*, 26 (110,-111); 83 (336-342)

80 se] *suppl.: om. π*



[9] Secundo sic: per illud quod est commune beatis et dampnatis non potest poni afflictio dampnatorum; set immutatio spiritualis sensuum a sensibilibus erit communis beatis et dampnatis; ergo per  
 95 illam non potest fieri afflictio dampnatorum. Maior patet, quia posita causa communi ponitur effectus communis; et ideo, si causa afflictionis esset communiter in beatis et dampnatis, sequeretur quod afflictio esset eis communis, quod non est uerum. Minor similiter patet, quia sensus beatorum immutabuntur a sensibilibus  
 100 immutatione spirituali sicut sensus dampnatorum, alioquin non cognoscerent sensibilia que dampnati cognoscunt, quod est eis inconueniens.

[10] Si autem dicatur, sicut et tactum est, quod beati apprehendent ignem seu immutabuntur ab ipso spiritualiter sicut et dampnati, non  
 105 tamen apprehendent eum ut sibi nociuum uel lesiuum quomodo apprehendent eum dampnati, contra, quia aut ille ignis erit corporum dampnatorum uere lesiuus aut non: si non et tu dicis quod apprehendent eum ut lesiuum, ergo illa apprehensio erit falsa, et sic non affligentur secundum ueritatem ab igne, set solum ex sua falsa  
 110 apprehensione, quod est inconueniens. Et iterum unde ueniret dampnatis hec falsa existimatio quod iudicent ignem eis nociuum, si in ueritate non sit eis nociuus? Non potest dici quod a Deo, quia Deus nulli immittit falsum iudicium sicut nec peruersum appetitum; nec ex se ipsis, quia dampnati post resurrectionem erunt eque perfecti  
 115 seu perfectiores sicut nunc sunt, et ideo sicut nunc possunt recte iudicare de igne utrum sit eis nociuus uel non, ita tunc poterunt, ut uidetur.

Et iterum: quidquid sit de aliis sensibilibus aliorum sensuum, et maxime uisus, quod possint immutare sensum intentionabiliter sine  
 120 reali et naturali immutatione, quod non omnes concedunt, sensibilia tamen tactus, et maxime calor, non uidetur immutare sensum tactus nisi naturali immutatione, uel saltem non sine ea (calor enim non uidetur causare in medio uel in organo nisi calorem uel, si aliud  
 causet, non tamen sine calore); propter | quod non bene apparet *π403ra*  
 125 quomodo calor ignis possit sensum tactus immutare spiritualiter et non naturaliter.

Si uero ille ignis sit uere lesiuus, habetur propositum, scilicet quod dampnati affligentur uera passione naturali illata ab igne. Quod patet

sic, quia obiectum tempore uel natura precedit actum potentie; set ignis ut uere lesiuus et sub ratione qua lesiuus, immo ut actu ledens 130 est obiectum actualis apprehensionis et actualis afflictionis sequentis in dampnatis; ergo prius tempore uel saltem natura ignis ledit corpora dampnatorum quam apprehendatur et quam sequatur dolor in eis; set illa lesio, ex quo precedit omnem immutationem spiritualem, non potest esse nisi per immutationem realem et 135 naturalem; quare etc.

[11] Sic igitur apparet quod uerus dolor sensibilis, qualis ponitur in dampnatis, non potest causari per solam immutationem spiritualem seu intentionalem. Et quod dicitur quod sensibilia proportionata delectant, impropportionata uero offendunt, dato quod non immutant 140 immutatione naturali, ut colores et soni, non ualet, quia quamuis *tristitia* possit causari ex omnibus illis que nobis *noletibus accidunt*, ut dicit AVGVSTINVS IV De ciuitate Dei, dolor tamen sensibilis secundum eundem modum non est nisi ex lesione carnis proueniens; predicta igitur sensibilia quantumcumque impropportionata causare 145 possent tristitiam seu displicentiam; set dolorem sensibilem nichil potest causare nisi illud quod immutat corpus realiter.

[12] Contra rationem etiam quam ISTI assignant arguitur. Dicunt enim quod quia *celum per motum suum est primum alterans, ideo cessante motu celi cessabit* omnis alteratio. Illud autem non potest 150 teneri, saltem Parisiis, cum sit articulus condempnatus; dicit enim articulus quod dicere quod cessante motu celi, si ignis esset iuxta stuppam, non combureret ipsam, error est.

Item illa ratio uidetur repugnare positioni, quia primum alterans est causa omnis alterationis et non cuiusdam tantum; si ergo per 155 cessationem motus celi tamquam primi alterantis cessent alie alterationes, oportet dicere quod omnes cessent et non quedam sic et quedam non; quod est contra EOS qui dicunt quod *cessabit actio naturalis*, non autem intentionalis. Ista etiam distinctio alterationum seu immutationum est satis dubia, quia omnis alteratio quam facit 160

139 sensibilia ... 141 soni] cf. supra, 7 (104,78-82)

142 tristitia ... accidunt] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XIV, 6 (421,11-13)

143 dolor ... 144 proueniens] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XIV, 15 (438,52-64)

149 quia ... 150 alteratio] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 1, sol. 2 (338b); supra, 7 (104,67-70)

152 dicere ... 153 est] cf. *Articuli condempn. a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 156 (126)

158 cessabit ... 159 naturalis] Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, 1, ad 3 (861)

quodcumque sensibile in medium uel in sensum uidetur esse naturalis et realis: naturalis quidem, quia est ex principiis naturalibus et naturaliter agentibus, realis uero, quia per eam fit uera et realis forma in susceptiuo, que habet totum suum esse circumscripta omni  
165 operatione anime.

Verum est tamen quod hec immutatio talium sensibilibus non corrumpit aliquem sensum per se, set solum illa que fit a sensibilibus tactus, quia consistentia corporis per se dependet ex qualitatibus tangibilibus et non ex aliis sensibilibus; et ideo immutationes  
170 qualitatatum tangibilium possunt pertinere ad corruptionem corporis, non autem ille que fiunt ab aliis. Propter hoc tamen non debet dici quod immutatio que fit a qualitatibus tangibilibus sit naturalis et realis, illa uero que fit ab aliis sensibilibus non sit naturalis nec realis, set tantum intentionalis; omnes enim sunt naturales et reales et  
175 equaliter dependent a primo alterante; et ideo, si mutatio aliorum sensibilibus, puta coloris uel soni, potest esse cessante motu celi, eadem ratione poterit esse immutatio naturalis secundum qualitates tangibiles.

[13] Item nullo modo uidetur quod celum ratione sui motus localis  
180 sit causa alicuius alterationis, nec illius que est ab ipso immediate nec cuiuscumque alterius. Primo, quia principium quo alterans alterat naturaliter est aliqua qualitas alterantis, siue uniuoca cum termino alterationis siue equiuoca; set motus localis non est aliqua qualitas corporis celestis nec aliqua forma absoluta; ergo non potest esse  
185 principium seu ratio alicuius alterationis.

Maior patet, quia sola forma potest esse principium quo aliquid agit; illa autem respectu alterationis non potest esse forma substantialis, ut patet per ARISTOTILEM in lib. De sensu et  
s e n s a t o, nec quantitas, quia illa nullius actionis est principium,  
190 immo abstrahit ab omni actione et passione, nec relatio, ut patet ex V P h i s i c o r u m; relinquatur ergo quod sit aliqua qualitas. Et sic patet maior.

187 illa ... 188 substantialis] cf. *Auct. Ar.*, 7, 17 (197,61-63); Thom., *Sent. De sensu*, I, 9 (54,96-55,189); Arist., *De sensu*, 4, 441b12-15

189 nec ... 190 relatio] cf. Arist., *Phys.*, V, 2, 225b10-16

Minor de se manifesta est, et nichilominus habetur VIII  
 P h i s i c o r u m , ubi dicitur quod motus localis nichil uariat in celo;  
 et ideo ille solus motus ei attribuitur. 195

Secundo, quia impossibile est quod aliquid habens principium  
 π403rb agendi eque perfectum ut prius et | passum eque dispositum ut prius  
 non possit agere ut prius; set cessante motu celi ignis remanebit ita  
 calidus ut prius et stупpa eque disposita ut calefiat sicut prius; ergo  
 eis approximatis ignis necessario combureret stупpam sicut prius. Et 200  
 eodem modo, cum corpora dampnatorum sunt uere passibilia (carent  
 enim dote impassibilitatis quam habent corpora beatorum), poterunt  
 ergo uere calefieri et immutari ab igne sicut nunc immutantur;  
 cessatio ergo motus celi non impedit ueram et naturalem  
 alterationem corporum, quia motus celi ad eam non requiritur, 205  
 quamuis requiratur ad alterationem generationis et corruptionis et  
 aliarum mutationum per hoc quod adducit solem et alia astra,  
 respectu diuersarum partium terre, que sui presentia agunt ubi prius  
 non agebant, et propter absentiam suam non agunt ubi prius  
 agebant. 210

[14] Dicendum est ergo quod corpora dampnatorum uere  
 patientur ab igne per ueram et naturalem alterationem calefactionis,  
 que tunc esse poterit, ut probatum est, nichilominus tamen  
 numquam corrumpentur diuina uirtute faciente quod alteratio talis  
 precise maneat in limitibus suis, ita quod ad eam non sequatur 215  
 corruptio. Et quod hoc sit possibile, probatur sic, quia  
 quandocumque due actiones sunt diuerse et ad diuersos terminos,  
 uirtute diuina potest fieri quod una sit sine alia et maxime prima sine  
 posteriore; set alteratio et corruptio forme substantialis in materia  
 sunt due actiones habentes diuersos terminos, nam terminus 220  
 alterationis est qualitas, terminus uero corruptionis est priuatio forme  
 substantialis, alteratio etiam preuia est corruptioni; ergo uirtute  
 diuina potest fieri quod sit uera alteratio et non sequatur corruptio.  
 Et sic fiet in pena dampnatorum, ut perpetua uita nature sit eis ad  
 perpetuam durationem pene. 225

[15] Ad primum argumentum in oppositum patet responsio ex hoc  
 quod statim dictum est.

194 motus ... celo] cf. *Auct. Ar.*, 3, 220 (158,57-58); Thom., *In Phys.*, VIII, 15, 1098 (581); *In De caelo*, I, 6, 64 (31a); Arist., *Phys.*, VIII, 7, 261a27-b7

[16] Ad secundum dicendum per interemptionem minoris quia  
 motus celi non est principium per se alicuius realis actionis, set  
 230 requiritur ad alterationem actionum, puta generationis et  
 corruptionis, *quia adducit* et abducit *generans*, ut dicitur in fine II De  
 generatione. Et quia in tali alteratione stat consistentia mundi  
 secundum dispositionem quam uidemus, ideo motus celi comparatur  
 motui cordis in animali, et non propter hoc quod motus celi  
 235 secundum se sit per se causa alicuius actionis, quia nec motus cordis  
 talem causalitatem habet.

[17] Ad tertium dicendum quod causa equiuoca ad quam actiones  
 inferiores reducuntur non est motus celi, set ipsum celum, cuius actio  
 non totaliter cessabit cessante motu; nam si cessaret totaliter, forte  
 240 nichil corruptibile, saltem mixtum, posset remanere naturaliter  
 loquendo; et si remaneret, hoc non esset per naturam, set per  
 miraculum; et tunc sicut haberet naturam quam prius et non a celo,  
 posset agere et pati sicut prius, non obstante cessatione totalis  
 influentie celi, que non requiritur ad actiones inferiorum, nisi quia  
 245 conseruat uirtutes eorum.

## QVESTIO VNDECIMA

VTRVM ANIME DAMPNATORVM ANTE RESVRRECTIONEM CORPORVM  
PATIANTVR AB IGNE

[1] Tertio queritur utrum anime dampnatorum ante resurrectionem  
 5 corporum patiantur ab igne. Et arguitur quod non, quia nullum  
 corpus ponitur immediate pati passione proprie dicta a spiritu, ergo  
 spiritus non potest immediate pati passione proprie dicta ab ullo  
 corpore, quare nec ab igne. Consequentia patet, quia corpus magis  
 natum est pati a spiritu quam spiritus a corpore. Probatio  
 10 antecedentis, quia passio proprie dicta fit per ablationem qualitatis  
 conuenientis et per introductionem qualitatis disconuenientis, ut  
 patet ex precedentibus; set nullus spiritus potest aliquam formam seu  
 qualitatem immediate causare in aliquod corpus, ut ostensum fuit in

230 requiritur ... 231 generans] cf. Arist., *De gen. et corr.*, II, 10, 336a16-19  
 12 nullus ... 13 corpus] cf. supra, II, 7, 5, 5-7 (146vb)

lib. II; ergo nullum corpus potest pati a spiritu passione non solum proprie dicta, set etiam quacumque, cum omnis passio sit receptio 15 alicuius forme.

[2] Item AVGVSTINVS XII Super Genesim ad litteram  
 π403va dicit et ponitur in littera quod *non sunt corporalia, set corporalibus | similia, quibus anime corporibus exute afficiuntur, siue bene siue male;* set dicuntur affici dolore; ergo illud non fit ab igne inferni qui est 20 corporeus, ut uisum fuit.

[3] Item secundum EVNDEM et i b i d e m *agens est nobilius patiente; set nullum corpus nobilius est spiritu; ergo* nullus spiritus potest pati a corpore; set tam anima separata quam angelus spiritus sunt, ignis autem inferni est corporeus, sicut patuit supra; ergo anima uel 25 angelus non potest pati ab igne inferni.

[4] Item corpus non agit in distans nisi mediante propinquo; set tam demones quam anime separate sunt quandoque extra locum inferni circa nos, cum quandoque hominibus appareant, nec tamen sunt sine pena sibi debita, quia sicut gloria bonorum numquam 30 interrumpitur, ita nec pena dampnatorum, nec tamen uidemus quod omnia intermedia ab igne inferni patiantur; ergo non uidetur quod pene quas patiuntur demones uel anime dampnatorum fiant ab igne.

[5] In contrarium est quod dicitur L u c . 16 et allegatum fuit prius de anima diuitis epulonis, que dicit se cruciari in flamma, et 35 Matth. 15 dicitur: *Ite maledicti in ignem eternum, qui paratus est dyabolo et angelis eius.*

[6] Ad idem est quod dicit AVGVSTINVS XXI De ciuitate Dei: *Adherebunt spiritus, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, accipientes ab ignibus penam, non dantes ignibus uitam.* 40

[7] Responso. Tenendum est sine ulla dubitatione quod tam demones quam anime separate punientur in igne inferni; set modum

18 non ... 19 male] Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 32 (427,13-15); cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 7, 2 (521,15-17); Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 3, 3, arg. 1 (346b)

20 qui ... 21 corporeus] cf. supra, 9 (97-101)

22 agens ... patiente] cf. *Auct. Ar.*, 6, 150 (187,57); Arist., *De an.*, III, 5, 430a18-19; Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 16 (402,7-8); Thom., *Quaest. disp. de an.*, 21, arg. 8 (177,50-51); *Sent. De an.*, III, 4 (220,76-77)

agens ... 24 corpore] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, arg. 1 (185ra)

24 ignis ... 25 corporeus] cf. supra, 9 (97-101)

35 de ... flamma] cf. *Luc.*, 16,19-31; supra, 9, 6 (98,35-38)

36 Ite ... 37 eius] *Matth.*, 25,41

39 Adherebunt ... 40 uitam] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XXI, 10 (776,19-25)

totalem punitionis puto latere omnem hominem cui Deus non reuelauit.

45 Procedetur ergo sic circa questionem istam quia primo ponitur unus modus, secundum quem non est dubium alicui docto fideli demones et animas dampnatorum posse pati; set quia istum modum non credo esse totalem et perfectum quo demones et anime patiuntur, ideo illo posito ponentur quidam alii modi, qui tanguntur  
50 a DOCTORIBVS, secundum quos demones et anime separate ponuntur pati ab igne.

[8] Quantum ad primum modum, non excludendo alios, dicendum est quod *aliter patitur anima separata ab igne corporeo et aliter demon. Cuius ratio est quia ignis inferni non ponitur corporeus nisi quia afflictorum est corpora dampnatorum post resurrectionem; si enim post mortem premiaretur homo uel solum puniretur in anima et nullo modo in corpore, nullus ignem inferni posuisset corporeum*; set adhesissent omnes illi rationi quam fecimus prius: *Qualis lingua talis flamma* etc. (propter resumptionem enim corporum ponit  
60 AVGVSTINVS, et habetur in littera; etiam GREGORIVS IV DIALOGORUM cap. 24 dicit ignem illum esse corporeum); congruum est ergo ut spiritus qui corpori ad penam reuniuntur, quales sunt anime dampnatorum, aliter ab igne corporeo patiantur, aliter demon, qui numquam corpori unitur ut forma – illi quidem  
65 secundum ueritatem, hic autem secundum adaptationem.

Primum patet sic: *sicut se habent spes et delectatio ad bonum, sic se habent tristitia et timor ad malum (sicut enim delectatio est de bono presenti, spes uero de futuro, sic tristitia de malo presenti, timor uero de futuro)*; set *secundum quantitatem delectationis que estimatur esse de bono presenti, precedit gaudium spei de futuro; ergo secundum quantitatem tristitie que estimatur de malo cum presens fuerit, precedit dolor timoris de ipso futuro*; hinc est quod adiudicati morti ex consideratione future mortis quandoque mortem incurrunt. *Cum*

53 aliter ... 57 corporeum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., op. 4 (186va)

58 Qualis ... 59 flamma] cf. supra, 9, 6 (98,40-41)

59 propter ... corporum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 6, I (520); Aug., *De ciu. Dei*, XXI, 10 (775-776)

61 ignem ... corporeum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 44, 7, 2 (520,22-521,9); Greg., *Dialog.*, IV, 30 (100,1-14)

66 sicut ... 78 adiudicatas] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 1° (186va); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, op. 4 (111va)

67 sicut ... 69 futuro] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 25, 4, resp.

*igitur anime dampnatorum sciant infallibiliter quod resumptis corporibus igne cruciabuntur per ueram immissionem, ex ipsa 75 consideratione ignis nociui futuri uerissime cruciantur mentaliter, et hoc quidem plus uel minus secundum quod maiori uel minori afflictioni corporali sciunt se resumptis corporibus adiudicatas.*

Et confirmatur hoc, quia pena reproborum *per oppositum* se habent ad premium beatorum; set premium beatorum ante resurrectionem 80 corporum consistit in gaudio rei de diuina uisione et gaudio spei de corporis glorificatione; ergo pena reproborum consistit in uehementi tristitia de amissione uisionis diuine et uehementi timore de afflictione corporis futura. Sic igitur patet quod anime dampnatorum, que corporibus reunientur ad penam, patientur ab igne corporeo 85 secundum ueritatem, quia ille ignis ante resurrectionem uere  
 π403vb timorem et horrorem et per consequens tristitiam anime ingerit, | qui post resurrectionem corpora cum animabus uere exuret.

[9] Secundum patet, scilicet quod *spiritus angelicus, qui numquam unitur corpori ut forma, affligitur ab igne per quandam similitudinem et 90 adaptationem; spiritualis enim tristitia et delectatio, cum sint ignote multitudini, oportet quod per delectationes et tristitias corporales figuraliter exprimentur, et sic cum summus dolor sensibilis sit ab igne, qui est maxime actiuus, tristitia et dolor spiritualis in angelis propter suam uehementiam, si non esset ab igne secundum rem, diceretur tamen 95 ab igne esse per quandam similitudinem et adaptationem.*

Et hoc potest probari dupliciter: primo, quia *afflictio demonum sumenda est per oppositum ad delectationem beatorum spirituum, que est in consecutione sui finis et non in aliqua re corporali; et si aliqua de eorum delectatione dicantur que uideantur ad delectationem corporalem 100 pertinere, sicut quod reficiantur aut rideant, per similitudinem debet intelligi; ergo afflictio demonum consistit in tristitia quam habent de separatione a fine in quo summe perficerentur et delectarentur, si ipsum attingerent, et non in aliqua re corporali; et si aliqua de eorum afflictione uideantur sonare in corporalem punitionem, debent intelligi 105 per quandam adaptationem et similitudinem, sicut quod igne ardeant uel fetoribus affligantur.*

79 pena ... 84 futura] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 2° (186va)

pena ... 88 exuret] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2 (111va)

89 spiritus ... 96 adaptationem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 2° (186vb)

97 afflictio ... 107 affligantur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 1° (186vb-187ra); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2 (111va-b)



Secundo *pena debet respondere culpe; set culpa demonum non fuit cum aliqua delectatione* sumpta ex rebus corporalibus, set ex  
 110 inordinata complacentia sui cum interpretatio contemptu Dei; ergo  
 pena eorum debet esse in tristitia quam habent de carentia uisionis  
 diuine, quam incurrunt propter contemptum Dei et in displicentia  
 sui; *hec autem pena grauissima est et maior quacumque pena sensibili,*  
 sicut et delectatio a qua se excluderunt, maxima est et maior omni  
 115 delectatione sensibili. Vnde dicit AVGVSTINVS et habetur in IV  
*Sententiarum dist. 46: Alienari a regno Dei, carere magna*  
*multitudine dulcedinis Dei, tam grandis pena est, ut nulla possint ei*  
*tormenta que nouimus comparari. Et CRYSTOSTOMVS Super*  
*Mattheum: Ponamus, inquit, ante oculos quanti doloris est excludi*  
 120 *et prohiberi a regno celorum, quia, ut michi uidetur, ipsa grauior est*  
*gehenna. Item multi gehennam horrent, ego uero casum illius glorie*  
*multo maiorem autumo. Item mille gehennas ponat quis, nichil tale*  
*dicet quale excludi a gloria et odio haberi a Christo.*

[10] *Nobis autem uidetur contrarium propter tria: primo, quia*  
 125 *sensibilia sunt nobis magis nota; secundo, quia delectationes sensibiles,*  
*cum sint passiones appetitus sensitiui, sunt cum aliqua corporis*  
*transmutatione, et ideo fortius hic sentiuntur; tertio, quia delectationes*  
*corporales appetuntur tamquam medicine contra tristitias corporales,*  
*quibus superuenientibus magis sentiuntur et acceptantur. Non sic autem*  
 130 *est de delectationibus spiritualibus, et tamen simpliciter sunt maiores.*  
*Vnde homines a maximis delectationibus abstinent et maximas tristitias*  
*corporales sustinent ne perdant honorem, qui est quoddam bonum*  
*intellectuale; dignus enim honore regis prius uellet quamcumque penam*  
*sensibilem extra mortem et quandoque mortem sustinere quam honorem*  
 135 *amittere; propter uehementiam igitur pene quam habent de amissione*  
*uisionis diuine dicuntur per quandam similitudinem affligi ab igne.*

108 pena ... 113 sui] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 2° (187ra)

113 hec ... 123 Christo] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 1°-3° (187ra)

116 Alienari ... 118 comparari] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 46, 1, 4 (531,13-15); Aug., *Enchir.*, XXIX, 112 (110,66-70)

119 Ponamus ... 121 gehenna] Ioh. Chrys., *De comp. cordis*, I (234aB)

121 multi ... 122 autumo] Thom., *Cat. aur. in Matth.*, 7, 8 (129a); cf. Ioh. Chrys., *In Iob. homil.*, 23(24), 7 (317)

122 mille ... 123 Christo] Thom., *Cat. aur. in Matth.*, 7, 8 (129a); cf. Ioh. Chrys., *In Iob. homil.*, 23(24), 8 (317-318)

124 Nobis ... 136 igne] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp. (187ra-b)

[11] Hic autem occurrit quedam dubitatio. *Si enim carentia uisionis diuine maxima pena est qua precipue demones affliguntur, cum decedentes in originali uisione diuina careant, sequitur quod peccato originali debeat maxima pena et par pene que debetur demonibus pro peccato actuali; quod est inconueniens, quia pena decedentium in solo originali est mitissima* secundum AVGVSTINVM et alios SANCTOS. 140

Et dicendum ad hoc quod sicut non delectat bonum nisi cognitum, sic malum non affligit nisi cognitum; decedentes autem in solo originali nullam cognitionem habuerunt nec habere potuerunt de beatitudine, cum fidem non habuerint nec sacramentum fidei susceperint nec ad eam cognoscendam se extendat cognitio naturalis; et ideo de eius carentia non tristantur. Demones uero qui gratiam habuerunt et fidem, sine qua impossibile fuit eos gratiam habere, cognitionem habent de illo fine quem suo demerito amiserunt; et ideo summe de hoc tristantur. 150

Et si dicatur ultra quod decedentes in originali, saltem in iudicio et per consequens post iudicium, habebunt de beatitudine | aliquam cognitionem, quia, ut infra dicitur, omnes cognoscent iudicium Dei iustum esse quoad penas dampnatorum et premia beatorum et quantum ad meritum et demeritum utrorumque, et ideo scient quare ipsi ad beatitudinem sanctorum non admittentur, [12] dicendum quod tales cognoscent quod boni, qui per baptismum uel per proprium meritum cum gratia Christi meruerunt, habebunt pro premio aliquod donum a Deo et aliquam cognitionem maiorem quam sit illa quam possint habere ex naturalibus, et de se scient quod ad illud premium non pertingent, quia scient se non fuisse baptizatos nec Christi gratiam percepisse; non oportet tamen quod se sciant illo dono priuatos esse propter culpam originalem; et ideo non dolebunt, quia in eis non erit aliqua obliquitas uoluntatis ita ut irrationabiliter doleant de quocumque (dolerent autem irrationabiliter de carentia uisionis diuine), set solum cognoscent quod ad eam non admittuntur, 160 165

137 Si ... 150 tristantur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 5°, dub. I (187rb); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 4° (111vb)

141 pena ... 142 mitissima] cf. Aug., *Enchir.*, XXIII, 93 (99,133-135); uide etiam Iulian., *Prognosticon*, III, 42 (113,3-4); Beda, *In Cant.*, Prol. (179,482-484); *In Luc.*, IV, 12 (260,1183-1185); Petr. Abael., *In epist. ad Rom.*, II, 5, 19 (169,543-544); *Sic et Non*, 158, I (527,3-5); Lomb., *Sent.*, II, 33, 2, 4 (520,4-5); Thom., *Cat. aur. in Luc.*, 12, 12 (189a); *Super Sent.*, II, 33, 2, 1, sed contra I (859); IV, 45, 1, 2, 3, arg. 2 (361); *S. th.*, I-II, 87, 5, arg. 2

151 Et ... 171 sciant] cf. supra, II, 23, 3, 7-8 (169rb)

153 omnes ... 156 admittentur] cf. infra, IV, 47, 2, 6 (168,69-77)

quia non fuerunt participes gratie Christi, nec per baptismum nec per proprium meritum.

Si autem cognoscerent quod ab ea deficerent propter demeritum  
 170 primorum parentum, forte possent de hoc rationabiliter dolere; non  
 tamen oportet quod sciant, ut dictum fuit in II lib. Patet igitur quod  
 demones affliguntur ab igne per quandam similitudinem et  
 adaptationem, anime uero dampnatorum per ueram tristitiam quam  
 concipiunt de hoc quod sciunt se resumptis corporibus in illo igne  
 175 eternaliter cruciandas.

[13] *De animabus uero que dicuntur esse in purgatorio, que quidem  
 corporibus in resurrectione unientur, set non ad penam, quia post  
 resurrectionem purgatorium non erit, idem tenendum est, scilicet quod  
 affligantur per hoc quod retardantur a diuina uisione, quedam plus,  
 180 quedam minus; sicut enim penale est ab ea excludi, sic ab illa retardari,  
 et tanto plus quanto diutius ab illa retardantur.*

*Item, sicut grauitas et leuitas inclinant ad suum locum naturalem, sic  
 finalis caritas ad beatitudinem; set si in graui impedito a loco naturali  
 esset cognitio, penale esset ei impediri a loco suo naturali; ergo  
 185 similiter est penale anime separate existenti in caritate et cognoscenti se  
 propter culpam prius commissam et penam ei debitam a beatitudine  
 retardari. Propter ergo uehementiam huius pene possunt secundum  
 quandam similitudinem et adaptationem dici pati ab igne; et huic  
 consonat dictum APOSTOLI I C O R. 3: Saluus erit, sic tamen quasi per  
 190 ignem, in quo innuitur similitudo et adaptatio.*

[14] *Set dicet aliquis: anime sanctorum patrum qui precesserunt  
 aduentum Christi retardabantur a uisione Dei, et tamen erant in  
 caritate nec affligebantur, sicut ponimus animas in purgatorio affligi,  
 quod tamen oportuisset, si dictus modus esset uerus.*

195 Et dicendum ad hoc quod ante aduentum Christi *non erat tempus  
 perueniendi ad uisionem diuine essentie, cum non esset solutum debitum  
 nature quod in morte Christi solutum est; nunc autem post mortem*

176 De ... 187 retardari] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 5°, dub. 2 (187rb)

182 sicut ... 183 beatitudinem] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 26, 2, resp.

189 Saluus ... 190 ignem] I *Cor.*, 3, 15

191 Set ... 204 impedimenti] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp. (187rb-va)

anime ... 193 affligebantur] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, I, 3, arg. 10 (363a), sol. (363b) et  
 ad 10 (364a)

178 purgatorium] *scr.*: purgatorum π      182 ad] *coni.*: ab π

*Christi est tempus perueniendi ad eam, nisi propria culpa uel obligatio ad penam impediatur; et ideo non peruenire nunc est penale, prius autem non fuit. Et ponitur exemplum: quod enim filius regis ad honorem non perueniat uiuente patre, non est ei penale, quia nondum est tempus quod perueniat; set si mortuo patre impediatur ad tempus ne ad regnum perueniat, ualde dolorosum esset ei; et hoc secundum plus uel minus secundum quantitatem impedimenti.*

Patet ergo unus modus qualiter anime dampnatorum et demones <et> anime que sunt in purgatorio dicuntur affligi ab igne inferni existente corporeo; set quia, ut prius dictum fuit, ille non est precisus modus quo demones et anime separate affliguntur, ideo tangendi sunt alii modi qui traduntur a DOCTORIBVS.

[15] Et est unus modus quo demones et anime separate affliguntur ab igne inferni per ueram immissionem, et isti uariantur. QUIDAM enim eorum dicunt sic quod ignis inferni potest considerari dupliciter: uno modo secundum se, et sic non potest agere in spiritum, alio modo ut est instrumentum diuine iustitie, et sic potest agere in spiritum et ipsum uere affligere per immissionem ueram.

Quod probant per rationem et per simile. Ratio talis est: instrumentum preter suam uirtutem naturalem uidetur habere aliquam aliam uirtutem a principali agente, sicut calor naturalis, qui est instrumentum anime preter suam uirtutem calefactiuam quam | habet a se, habet ab anima, cuius instrumentum est, uirtutem conuertendi in substantiam aliti alimentum, sicut dolabra habet ab artifice uirtutem introducendi formam arche, ad quam non posset ex se attingere; ergo similiter ignis inferni ut instrumentum est diuine iustitie habet aliquam uirtutem per quam potest attingere ad aliquid ultra uirtutem proprie nature. Tunc arguitur sic: *quidquid Deus potest*

207 ille ... 208 affliguntur] cf. supra, 9-10 (97-109)

212 ignis ... 215 ueram] cf. Alb., *Super Sent.*, IV, 44, F, 37, resp. (593a); *De resurr.*, II, 10, 5, sol. (295,22-32); Ioh. Pecham, *Quodl.*, III, 8 (150,53-55); *Quaest. de beat. an. et corp.*, I, resp. (467,24-25); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 9 (592a-b); Bonau., *Super Sent.*, IV, 44, 2, 3, 2 (934a-b); Henr. de Gand., *Quodl.*, VIII, 34 (339fV)

213 uno ... 232 nature] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (111ra)

217 instrumentum ... 218 agente] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 1° (185rb)

instrumentum ... 232 nature] cf. Aeg. Rom., *De resurr. mort.*, 5 (11vb)  
225 quidquid ... 229 corpore] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 2° (185rb)  
quidquid ... 232 nature] cf. Aeg. Rom., *Quodl.*, II, 9 (74a); *De inferno*, 13 (37rb); *De resurr. mort.*, 5 (11vb)

206 et] *suppl.: om. π*

facere mediantibus causis secundis potest facere sine eis; *set Deus potest affligere animam* mediante corpore, sicut nunc affligitur sensibiliter dum est in corpore; ergo potest eam consimiliter affligere sine corpore; si sic, ergo et ignis ut est instrumentum diuine iustitie,  
 230 cum in instrumento, ut dictum est, sit aliqua uirtus principalis agentis per quam potest in aliquid in quod non posset ex conditione sue nature.

Per simile probatur idem sic: sicut sacramenta sunt instrumenta diuine misericordie iustificantis, sic ignis inferni est instrumentum  
 235 diuine iustitie punientis; *set sacramenta*, quatinus sunt instrumenta diuine misericordie, agunt iustificando animam per alicuius immissionem; ergo ignis ut est instrumentum diuine iustitie affligit animam per ueram immissionem.

[16] Hec autem opinio non uidetur posse stare: primo, quia  
 240 nullum instrumentum potest agere circa aliquid in uirtute alterius, nisi possit circa illud ponere suam propriam actionem, sicut calor agens ut instrumentum anime potest de se ponere suam actionem naturalem, scilicet calefactionem circa alimentum quod conuertit uirtute anime in carnem, et securis suam actionem naturalem habet  
 245 circa lignum in quo ut mota ab artifice inducit formam arche; *set ignis de se non potest aliquam habere actionem circa animam uel demonem, ut ISTIMET confitentur*; ergo non potest circa eam habere actionem ut instrumentum diuine iustitie.

[17] Secundo, quia principium passionis que est per immissionem  
 250 semper est aliqua forma ipsius agentis; sicut enim *passio per immissionem fit per receptionem alicuius forme in patiente, sic principium talis actionis est aliqua forma in agente; illud ergo quod non dat alicui nouam formam, non dat ei quod possit affligere per immissionem forme; set quod ignis agat ut instrumentum diuine iustitie,*  
 255 *non ponit in eo aliquam nouam formam, neque accidentalem neque*

233 sicut ... 238 immissionem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 3° (185rb)

239 Hec ... 248 iustitie] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 1° (185rb)

primo ... 248 iustitie] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., reprob., 1° (IIIIra-b)

240 nullum ... 241 actionem] Aeg. Rom., *De resurr. mort.*, 5 (IIrb)

246 ignis ... 247 demonem] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 33, 2, 1, ad 3 (860); IV, 44, 3, sol. 3 (350b); *Quaest. disp. de an.*, 21, arg. 14 (178,123-124)

249 Secundo ... 257 iustitie] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., reprob., 2° (IIIIrb)

250 passio ... 257 iustitie] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 2° (185va)

substantialem; ergo per hoc *non potest* animam affligere, quia dicitur *agere ut instrumentum diuine iustitie*.

[18] Tertio, quia si anima uel demon affligeretur per ueram immissionem, tunc forma immissa aut esset corporalis aut spiritualis: non corporalis, *quia anima separata non est susceptiua alicuius forme* 260 *corporalis*; nec spiritualis, quia illa non potest affligere, *quia nichil abicit* quod sit nature conueniens, eo quod non habet contrarietatem ad aliquam formam naturalem; ergo nullo modo affligitur demon uel anima ab igne per immissionem. *Si dicatur quod ignis non immittit aliam formam nisi afflictionem, hoc non potest esse, quia afflictio uel* 265 *dolor non est aliud quam renisus appetitus contra nociuum presens et cognitum; obiectum ergo afflictionis est nociuum presens et cognitum; set obiectum precedit actum ordine nature; oportet ergo quod prius ordine nature ignis sit anime nociuus et deinde cognoscatur ut nociuus quam sequatur afflictio* in anima. *Si ergo ignis affligit animam separatam per* 270 *ueram immissionem* per quam est ei nociuus, oportet quod prius aliquid immittat quod nocet, quod cognitum causat afflictionem. Item afflictio uerius consistit in abiectioe forme conuenientis quam in receptione cuiuscumque forme, quia receptio cuiuslibet forme non est disconueniens nec per consequens afflictiua, nisi quatinus abicit 275 aliam formam nature conuenientem.

In assignando ergo quomodo anima patitur ab igne uera et reali passione per immissionem, potissime deberet dici que est forma uel perfectio anime separate conueniens, que aufertur per formam ab igne immissam; hoc autem non fit, nec est facile hoc fingere; quare 280 etc.

[19] Ad rationes EORVM respondendum est. Et primo ad illud in quo fundatur prima ratio. Dicunt enim quod omne instrumentum preter suam naturalem uirtutem habet aliam uirtutem a principali agente, per quam potest in ulteriorem effectum quam posset ex 285 conditione sue nature. Istud enim non est uerum, si intelligatur quod

258 Tertio ... 270 anima] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., reprob., 3° (111rb)

si ... 272 afflictionem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., 3° (185va-b)

273 in ... 274 forme] cf. *Auct. Ar.*, 6, 94 (182,52-54)

283 omne ... 286 nature] cf. supra, 15 (185,218-186,227); Aeg. Rom., *De resurr. mort.*, 5 (11rb)

262 abicit] *coni.*: adicit π

ab agente principali | fiat noua forma in instrumento; unde in calore π404va  
 qui est instrumentum anime, nulla forma est ab anima, et tamen  
 conuertit instrumentaliter cibum in carnem altero duorum  
 290 modorum: aut quia disponit et anima cui calor est coniunctus  
 formam carnis inducit, aut, ut ALII dicunt, calor et anima se habent  
 sicut unum agens perfectum quod inducit formam carnis, ad quam  
 inducendam alterum solum non sufficeret, sicut in securi acuties et  
 durities sunt unum principium secandi nec alterum sufficeret. Simili  
 295 modo non est dicendum quod in dolabra fit aliqua forma influxa a  
 principali agente preter motum localem quo dolabra mouetur ab  
 artifice, quia forma arche uel cuiuscumque artificiatu non est nisi  
 determinatus ordo partium, qui potest fieri per solum motum  
 localem diuisionis uel incisionis, prout competit tali uel tali ordini  
 300 partium seu dispositioni.

Cum ergo primo arguitur quod Deus potest agere sine causis  
 mediis quidquid facit mediantibus eis, uerum est de causis agentibus  
 uel finalibus, que sunt cause extrinsece; de causis uero formalibus uel  
 materialibus non est uerum; *non enim potest Deus facere hominem sine*  
 305 *anima aut sine corpore*, quia hoc implicat contradictionem. Anima  
 autem non patitur ab igne mediante corpore ut a causa agente; non  
 enim ignis agit in corpus et corpus in animam, immo illud quod  
 immediate ab igne patitur est corpus animatum includens intrinsece  
 corpus et animam, et istud patitur a Deo mediante igne in quantum  
 310 uirtus per quam ignis agit in corpus animatum, causatur a Deo et  
 conseruatur.

Propter quod bene sequitur quod sicut Deus mediante igne ut  
 causa efficiente affligit corpus animatum, sic potest affligere ipsum  
 sine igne; set quod Deus uel ignis possit animam separatam a corpore  
 315 affligere simili afflictione, sicut affligebatur totum compositum a Deo  
 mediante igne uel sine igne, non probatur, quia ad afflictionem  
 anime, dum est in corpore, non se habet corpus nec totum

287 in<sup>2</sup> ... 288 anime] cf. Thom., *Sent. De an.*, II, 9 (106,269-273)

294 Simili ... 300 dispositioni] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., ad  
 reprob., 2<sup>o</sup> (111rb)

301 Cum ... 305 contradictionem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, II, resp., ad 2  
 (185vb)

Cum ... 311 conseruatur] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, ad 2 (111rb)

Deus ... 302 eis] cf. supra, 15 (116,225-226); Aeg. Rom., *Quodl.*, II, 9 (74a); *De inferno*, 13  
 (37rb); *De resurr. mort.*, 5 (11vb)

compositum ut agens; dato etiam quod Deus posset animam separatam affligere sicut affligitur in corpore, non oportet tamen quod hoc possit competere igni quantumcumque diceretur 320 instrumentum, quia non omne quod Deus facit per se ipsum potest facere per instrumentum.

[20] Ad secundum dicendum, sicut ALIQUI dicunt, quod *sacramenta non causant aliquid in anima* nisi sicut *causa sine qua non*, set totum facit uirtus diuina assistens; et iterum: perfectio consistit in 325 sola receptione, uera autem passio non; et ideo non sufficit ad assignandum causam afflictionis anime dicere quod aliquid immittitur ei ab igne ut instrumentum diuine iustitie, set oportet ulterius dicere que est illa forma conueniens que per illud immissum abicitur. Adhuc *non est simile* de sacramentis et de igne, *quia* 330 *sacramenta non agunt in animam separatam, set in totum coniunctum, circa quod possunt* ponere suam *operationem naturalem* prout pertinet ad agens instrumentale; ignis autem nullam actionem naturalem potest habere circa animam separatam quam dicitur affligere, et ideo non est simile. 335

[21] Secundus modus EORVM qui dicunt *animam separatam affligi per ueram immissionem* est talis: *dicunt enim ISTI quod uirtute diuina superadditur et infunditur anime separate* aliqua qualitas seu habitus supernaturalis, *ratione cuius anima separata uel demon potest pati* ab igne inferni, quamuis secundum se non posset ab eo pati. *Ratio istius* 340 *opinionis est sola fuga inconuenientium, quia cum ISTI non possint ostendere qualiter anima separata* posset secundum se aliud recipere per quod affligeretur, adinuenerunt *quod hoc poterat fieri mediante aliquo sibi diuinitus addito.*

[22] Istud autem dictum est minus probatum quam primum, quia 345 *illud additum anime aut est corporeum aut spirituale: si spirituale, equalis dubitatio est qualiter anima separata, que est spiritus, potest pati ab igne corporeo mediante illo sicut sine illo, quia utroque est*

324 sacramenta... 325 assistens] cf. L. Hödl, *Die Grundfragen der Sakramentenlehre*, 115-116 (praecipue 116, n.3); supra, I, 4, 19 (29orb); Henr. Gand., *Quodl.*, IV, 37, resp. (437,92-438,131)

sacramenta ... 333 instrumentale] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 11, resp., ad 3 (185vb) 325 perfectio ... 330 abicitur] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, VIII, 34, resp. (339rV)

336 Secundus ... 361 dubium] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 11, resp., op. 2 (185vb-186ra); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp., op. 2 (111rb-va)

337 uirtute ... 340 pati] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, VIII, 34 (339rV); Duns Scot., *Ord.*, IV, 44, 2, (c) (209b)



eadem ratio; *si autem istud additum sit corporeum, aut facit unum*  
 350 *suppositum cum anima aut non: si non, tunc ratione ipsius anima non*  
*poterit pati, quia distinctorum secundum suppositum sunt distincte*  
*actiones et passiones; si uero sint unum secundum suppositum, aut*  
*illud est subiectum anime aut anima est subiectum illius: non potest*  
 355 *dici quod sit subiectum anime, quia subiectum anime non est nisi sua*  
*materia uel suum corpus, ex quibus coniunctis resultat homo, et sic*  
*non esset anima separata de qua loquimur; si uero dicatur quod*  
*anima | sit subiectum illius additi quod ponitur corporali, tunc* *π404vb*  
*equalis dubitatio est quomodo anima posset recipere illud corporale*  
*accidens, sicut dubitamus qualiter posset recipere caliditatem uel*  
 360 *quamcumque qualitatem corpoream. Et ideo ista positio in nullo*  
*declarat propositum, set assumit equale dubium.*

[23] Alius modus est quod in anima separata uirtute diuina possunt  
 remanere potentie sensitiae. Quod probatur, quia uirtute diuina  
 accidens absolutum potest separari a suo subiecto; set secundum  
 365 ISTOS potentie sensitiae sunt quedam accidentia absoluta; ergo  
 uirtute diuina possunt separari a composito in quo sunt tamquam in  
 subiecto et remanere in anima separata. Tunc arguitur sic: uerus  
 dolor sensibilis perficitur in actu appetitus sensitui preuia cognitione  
 sensitua; set remanentibus potentiis sensituis in anima separata  
 370 potest in eis esse sensitua cognitio et appetitus consequens; ergo in  
 eis potest esse uerus dolor sensibilis et uera afflictio.

[24] Set nec istud ualet, quia dato quod Deus posset separare  
 accidens absolutum a subiecto, non tamen posset ipsum ponere in  
 quocumque alio subiecto, sicut quantitatem separatam a substantia  
 375 panis in sacramento non posset ponere subiectiue in angelo et eodem  
 modo potentiam sensituiam, que est accidens organi corporei, non  
 posset ponere in anima separata. Dato etiam quod posset ponere,  
 adhuc non sufficeret ad hoc quod anima sensibilis pateretur ab igne,  
 quia obiectum huius passionis est aliquid nocens; set non potest dari  
 380 modus quomodo ignis noceret anime separate, etiamsi haberet  
 potentias sensituias plus quam si non haberet (non enim nocet ex hoc

363 uirtute ... 367 separata] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 3, sol. 1 (347b)

365 potentie ... absoluta] cf. Thom., *Super Sent.*, I, 3, 4, 2, sol. (116)

373 posset] *dub.* π

solo quod cognoscitur quacumque cognitione); et ideo hoc modo non potest assignari causa passionis anime ab igne.

[25] Alius modus assignatur quod *spiritus* incorporeus, scilicet anima separata uel angelus, *patitur ab igne solum per detentionem* per 385 hunc modum *quia spiritus* incorporei secundum ISTOS *diffiniuntur loco, ita quod existunt sic in uno loco quod non in alio*; res igitur corporea habet ex natura sua quod spiritum diffiniat; set non habet ex natura sua quod spiritum detineat quin alibi spiritus possit diuertere, set hoc superadditur; igitur *ignis* corporeus *inquantum est* 390 *instrumentum diuine iustitie* habet quod detineat spiritum sic quod alibi non diuertat, et ita *efficitur ei penalis retardando ipsum ab executione proprie uoluntatis ne operetur ubi uult* et secundum quod *uult, et tanto amplius cruciatur quanto superior est.*

[26] Hec autem opinio probabilis est ponendo quod anima 395 separata uel angelus sit in loco secundum suam essentiam, quia tunc potest uirtute diuina detineri in loco ne moueatur ad alium ad quem uellet; non bene tamen apparet quomodo uirtus detentiu sit in igne. Hoc tamen non obstante posset dici detineri ab igne, quia detinetur in igne, et sic ab eo patitur eo modo quo desiderans mortem et 400 fastidians uitam dicit quod anima sua patitur a suo corpore in quo detinetur. Et nichilominus graue uidetur ALIQUIBVS quod iste totus modus quo anima uel demon patiuntur, quia secundum hunc modum equaliter pateretur anima uel demon si detineretur in pulcherrima camera et optime ornata, sicut patiuntur ab igne, quia 405 non ponitur pati nisi quatinus detinetur.

Hoc autem non reputatur communiter adeo graue seu penale, sicut predicamus grauem esse penam dampnatorum hominum uel demonum. Et confirmatur, quia sicut anime dampnatorum detinentur in inferno, sic anime puerorum decedentium in originali 410 detinentur in limbo. Si ergo sola detentio est afflictio, sequitur quod anime decedentium in solo originali tantum affliguntur quantum demones uel anime dampnatorum, quod non uidetur conueniens.

[27] Si uero spiritus ponatur esse in loco solum per operationem, tunc non bene apparet qualiter patiatu a loco per detentionem, quia

384 spiritus ... 387 alio] cf. Thom., *Quaest. disp. de an.*, 21, resp. (181,324-334) et ad 16 (181,377-182,380); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 1, 1, resp. 1 (431a-b)  
spiritus ... 394 est] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 11, resp., op. 3 (186ra); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, op. 3 (111va)

*operationum quedam manent in agente, ut intelligere et uelle, et per istas non potest spiritus magis esse in loco quam per essentiam; alie uero sunt que transeunt in materiam exteriorem, ut mouere, et per has solas potest spiritui competere esse in loco quatinus mouet uel facit aliquid circa locum uel circa corpus existens in loco. Hec autem operatio, licet posset conuenire angelis, non conuenit tamen animabus separatis, quia anima | separata nec mouet ad formam, quod est sibi commune et angelis, nec potest mouere aliquod corpus ad locum, quia cum habeat determinatum mobile, scilicet corpus cui unitur ut forma, mediante quo mouet quidquid mouet, ideo separata ab eo nichil aliud potest mouere. Si ergo spiritus non est in loco nisi per operationem, et nullam talem potest habere anima separata, sequitur quod ipsa non sit in loco, et per consequens quod ibi non detineatur nec per detentionem affligatur.*

Item probatur de anima separata et angelis simul, quod esto  
 415 utrique conueniat operari circa locum, quod tamen non affligantur per detentionem in loco, quia si esse in loco est operari in loco, ideo esse et detineri uiolenter in loco seu contra uoluntatem est operari in loco uiolenter seu contra uoluntatem; set illud non potest competere anime separate uel angelo; quare etc.

420 Maior de se patet. Minor probatur, quia magis potest homo cogi ad operandum quam angelus uel anima separata; set homo non potest cogi coactione simpliciter ad operandum ea que dependent ex libero arbitrio, quamuis possit impediri ne faciat quod uellet facere; nam si per uiolentiam manus alicuius hominis applicetur ad  
 425 percutiendum alium, talis non percutit actiue, quia principium actiuum percussiois non est in ipso, set mere passiuum, et multo magis uidetur quod anima separata uel angelus non possit cogi ad aliquam actionem dependentem a libero arbitrio; talis autem est  
 430 omnis actio quam habet uel habere potest anima separata uel angelus circa locum; ergo angelus uel anima separata non potest cogi ad operandum in loco uel circa locum, quare si esse in loco est operari in illo, patet quod nec angelus nec anima separata possunt uiolenter

413 operationum ... uelle] cf. Arist., *Metaph.*, IX, 8, 1050a21-b1; cf. etiam Thom., *S.c.g.*, II, 73, 1505; *In Metaph.*, VI, 1, 1152 (296); IX, 8, 1862 (447); XI, 7, 2253 (535)

operationum ... affligatur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 11, resp., 4<sup>o</sup> (186rb)

413 alie ... mouere] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 31, 5, resp.; *In Metaph.*, I, 1, 34 (11); IX, 2, 1788 (428); XI, 7, 2253 (535); *Super Sent.*, I, 40, 1, 1, ad 1 (942)

414 Item ... 419 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 44, 11, resp., 6<sup>o</sup> (186va)

detineri in loco, nec per consequens affligi per uiolentam detentionem.

[28] Si uero dicatur quod non sunt in loco nec detinentur in loco per actionem suam in loco, set potius per actionem quam recipiunt a loco, contra: detineri a loco supponit esse in loco; si ergo passio spiritus in loco est per detentionem in loco, sequitur quod passio in loco supponit esse in loco; set posterius supponens suum prius non est causa eius; ergo pati a loco non est ratio angelo uel anime quod sit in loco.

Igitur isti sunt modi quibus DOCTORES nituntur ostendere qualiter anima separata uel angelus patiatur ab igne, et tamen, ut uisum est, nullus satisfacit intellectui. Nec mirum, quia, ut dictum fuit in I lib. q. 1, ea que sunt fidei non possunt scientificè probari nec rationes in contrarium scientificè solui, pro eo quod fides est de hiis que excedunt omnem rationem naturalem. 435 440

[29] Tenendum est ergo absque ulla dubitatione quod anima separata patitur ab igne secundum modum primum assignatum; set totalem modum nullus adhuc docuit, nec puto quod docere possit nisi ei reueletur.

[30] Ad primum argumentum dicendum quod sicut nullum corpus potest pati a spiritu passione proprie dicta, que est abiectio forme conuenientis et receptio forme disconuenientis, sic nullus spiritus potest pati a corpore consimili passione; et ideo ille modus passionis qui ponitur esse per immissionem non tenetur communiter. 445

[31] Ad secundum dicendum est quod AVGVSTINVS loquitur inquirendo unum et alium modum ponit XXI De ciuitate Dei, ubi dicit quod *sicut in conditione hominis anima iungitur corpori ut dans ei uitam, quamuis unum sit corporale et aliud spirituale, et ex tali coniunctione concipit anima uehementem amorem ad corpus, sic anima separata ligatur igni ut accipiens ab eo penam*, in quo innuit penam anime esse per detentionem in igne. 450 455

434 Si ... loco] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 44, 2, resp. (111va)

438 ea ... 440 naturalem] cf. supra, I, Prol., 1 (passim)

446 passione ... 447 disconuenientis] cf. *Auct. Ar.*, 6, 94 (182,52-54)

452 sicut ... 456 igne] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 3, sol. 3 (351a); Aug., *De ciu. Dei*, XXI, 10 (775-776)

438 q] *coni.*: quod (*comp.*) π 451 unum] *coni.*: unde π

Vel dicendum quod AVGVSTINVS intelligit quod ea quibus immediate anima afficitur ad dolorem uel penam sunt spiritualia, quatinus ignis non affligit animam nisi mediante apprehensione uel  
 460 se ipso ut apprehenso, quod est quoddam esse spirituale, quamuis illa responsio non uideatur multum efficax, quia per hunc modum posset dici quod quidquid affligitur, affligatur non per corporalia, set per similitudinem corporalium, quia nichil affligit nisi ut apprehensum.

[32] Ad tertium dicendum quod principale agens oportet esse  
 465 nobilius patiente; set non oportet quod instrumentale agens sit nobilius; nullus autem ponit quod ignis sit principale agens in afflictione anime, et ideo non oportet quod sit nobilior anima.

[33] Ad quartum dicendum quod argumentum illud bene probat quod ignis ille non affligit demones uel animas separatas per  
 470 immissionem, set non probat quin affligat per | detentionem; detenti *π405rb* enim in carcere non solum affliguntur dum actualiter detinentur, set etiam dum exeunt scientes se iterato retrudi, ita quod afflictio semper est per detentionem uel deputationem ad locum detinentem, sicut econtrario electi gaudent de celo empyreo, quod quodammodo in  
 475 eorum cedit gloriam non solum quando sunt ibi, set etiam quando recedunt scientes illum locum sibi deputatum.

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XLV IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Preterea sciendum est.* Determinato in precedentibus de resurrectione, hic determinat de finali omnium remuneratione. Et primo de remuneratione iudicium precedente, secundo de precedentibus ipsum iudicium, dist. 46 ibi: *Set queritur hic.* Prima 5 pars est principalis lectio et habet duas partes; primo enim proponit intentum; secundo agit de suffragiis mortuorum ibi: *Set forte querit.* Prima habet tres; primo enim ostendit mortuos suffragiis adiuuari; secundo incidenter agit ad quid prosunt exequiarum pompe; tertio mouet incidentes questiones circa modos sepultorum: secunda ibi: 10 *De pompis uero,* tertia ibi: *Solet moueri.* Et ista habet duas et secundum duas questiones mouet duas. Secunda pars principalis in qua agit de suffragiis uiuorum habet tres; primo enim proponit intentum; secundo confirmat; tertio confirmationem ad propositum applicat: prima ibi: *Set forte queris,* secunda ibi: *Sicut enim angelis,* 15 tertia ibi: *Si autem angeli.*

[2] Proponit ergo primo Magister quod anime post mortem diuersa receptacula habent iuxta meritum usque ad diem iudicii, post etiam iudicium earum pena uel gloria augebitur. Deinde subdit mortuos uiuorum suffragiis posse adiuuari, si tamen hoc dum 20 uixerunt meruerunt. Et subdit quod summe mali non iuuantur, *pompe* autem que fiunt ad *uiuorum* sunt *solatium,* non autem ad suffragium *mortuorum.* Deinde queritur utrum suffragia communia et spiritualia facta pro bono diuite plus prosint ei quam suffragia

5 Set ... hic] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 46 (529-537)

7 Set ... querit] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 6 (527-529)

11 De ... uero] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 3 (525-526)

Solet moueri] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 4-5 (526-527)

15 Set ... queris] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 6 (527)

Sicut ... angelis] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 6, 2-5 (527-528)

16 Si ... angeli] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 6, 6-7 (528-529)

20 mortuos ... 21 meruerunt] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2 (523-525)

21 summe ... 23 mortuorum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 3 (525-526)

25 communia que fiunt pro paupere; et respondet dupliciter: primo  
 quod tantum prosunt *sola generalia pauperi* quantum generalia et  
 spiritualia diuiti, quia *ex pluribus causis* iuuatur diues quam pauper;  
 secundo dicit quod diues citius liberatur, set non plenius. Deinde  
 querit de illo qui suffragiis indiget et morietur in consummatione  
 30 seculi; et respondet quod talis *per ignem* futurum et suffragia *ecclesie*  
*saluabitur*. Deinde querit utrum sancti preces nostras audiant; et  
 respondet quod sancti angeli diuinam faciem uidentes ea que apud  
 nos aguntur cognoscunt quantum ad eorum gaudium pertinet et  
 nostrum auxilium; et angeli dicuntur orationes Deo offerre non quod  
 35 Deum instruant quid circa nos agendum fit, set preces offerunt; ideo  
 preces nostre dicuntur exaudiri, quia curie celesti innotescit eorum  
 exauditio.

## QVESTIO PRIMA

## VTRVM SVFFRAGIA VIVORVM PROSINT DEFVNCTIS

40 [1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum suffragia  
 uiuorum prosint defunctis. Et arguitur quod non, quia mala facta per  
 uiuos non nocent defunctis; ergo bona facta per eos non prosunt  
 defunctis; consequentia de se uidetur manifesta, set antecedens  
 probatur per illud *Ezech. 16: Filius non portabit iniquitatem patris*.

45 [2] Item ualor unius suffragii debet esse unus; si ergo suffragium  
 alicuius uiuentis prodesset defuncto, sequeretur quod non ipsi  
 facienti; quod est contra illud *PSALMISTE: Oratio mea in sinu meo*  
*conuertetur*.

[3] Item secundum *GREGORIVM* in *Pastorali: Cum is qui*  
 50 *displicet ad intercedendum mittitur, sepe irati animus ad deteriora*

25 primo ... 28 plenius] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 4, 2 (526)

30 talis ... 31 saluabitur] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 5, 2 (527)

32 sancti ... 35 offerunt] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 6, 2 (527)

36 preces ... 37 exauditio] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 6, 6 (528-529)

44 Filius ... patris] *Ezech.*, 18,20

47 Oratio ... 48 conuertetur] *Ps.*, 34,13

49 secundum ... 54 defunctis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 1, 3, arg. 2 (365b)

Cum ... 51 prouocatur] Greg., *Reg. pastoral.*, I, 10 (164,35-37)

*prouocatur*; set peccator Deo displicet; ergo intercessio peccatoris ad Deum pro aliquo defuncto magis prouocat ipsum ad iram quam prouocet ad misericordiam; et sic suffragia uiuorum saltem peccatorum non uidentur prodesse defunctis.

[4] In contrarium est quod dicitur II Mac. 12: *Sancta et salubris* 55  
*est cogitatio pro defunctis exorare*; set non est salubris nisi eis prodesset  
 π405va aliquid; ergo etc. |

[5] Responsio. Sciendum est quod suffragia uiuorum ualere defunctis potest intelligi dupliciter: uno modo quantum ad remissionem culpe, alio modo quantum ad diminutionem uel 60  
 totalem solutionem pene. Primo modo suffragia uiuorum non possunt prodesse defunctis, quia culpa in qua aliquis decedit uel est mortalis uel uenialis; si sit mortalis, decedens in ea non est capax remissionis; talis enim, cum sit simpliciter dampnatus, obstinatus est in malo, ita ut non sit capax reuersionis ad Deum. 65

Si uero culpa sit uenialis, decedens in ea non indiget iuuari, quia talis dimissio culpe consistit in reordinatione uoluntatis per quam bene displicet quod male placuit; talis autem reordinatio uoluntatis est in decedentibus in gratia cum peccato ueniali, statim ut de corpore recesserunt, quia, sicut dictum fuit prius questione 70  
 precedenti num. 13, sicut grauitas et leuitas inclinant ad determinatum locum, sic finalis caritas inclinatur ad beatitudinem; set decedentes in solo ueniali habent finalem caritatem; ergo statim ut decesserunt inclinantur per eam ad finalem beatitudinem; propter quod et eius dilatio est eis tristabilis et penosa, ergo et causa 75  
 dilationis; set causa dilationis est non solum pena debita pro mortalibus prius commissis, set etiam culpa uenialis, si quam tunc habeat, ergo omnis talis culpa displicet; in qua displicentia reordinatur uoluntas que in complacentia fuit deordinata.

[6] Restat ergo quod suffragia solum prosint defunctis quantum ad 80  
 diminutionem pene uel totalem solutionem. Et quantum ad hoc probabuntur due conclusiones. Prima est quod suffragia uiuorum prosint defunctis, secunda que et quot sunt illa suffragia. Primum patet, quia plus ualet apud Deum amor caritatis inter fideles quam

55 In ... 57 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 1, 2, sed contra I (365a)

Sancta ... 56 exorare] II *Mac.*, 12, 46

71 sicut ... 72 beatitudinem] cf. supra, 44, II, 13 (115, 182-183); Thom., *S.th.*, I-II, 26, 2, resp.

80 suffragia ... 122 sint] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, resp. I (435a-b)



85 ualeat apud homines amor ciuilis inter conciuēs; set amor ciuilis ualet  
 tantum apud homines quod unus ex amore potest apud iudicem  
 alium liberare a debito pene uel rogando uel satisfaciendo; ergo amor  
 caritatis inter fideles tantum ualet apud Deum quod unus potest  
 alium liberare uel in toto uel in parte a debito pene orando uel  
 90 satisfaciendo. Et etiam differentia est inter illas duas uias, quia prima,  
 scilicet uia orationis, impetrat remissionem pene ex sola liberalitate  
 Dei, qui oratur; set secunda, scilicet uia satisfactionis, impetrat idem  
 per modum meriti, quale meritum potest esse hominis ad Deum,  
 supposita diuina acceptatione. Et utroque istorum modorum possunt  
 95 uiui prodesse defunctis, non autem defuncti uiuis nisi sint beati, nec  
 unus defunctus alteri, quia status merendi de congruo uel de  
 condigno solum est in hac uita.

Et quod suffragia uiuorum prosint hoc modo defunctis,  
 confirmatur per auctoritatem AVGVSTINI in lib. De cura pro  
 100 mortuis agenda, ubi allegat consuetudinem ecclesie dicens sic:  
*Non parua est uniuerse ecclesie que in hac consuetudine claret auctoritas,*  
*ut in precibus sacerdotis, que Domino ad altare offeruntur, locum suum*  
*habeat commendatio mortuorum.* Et hec consuetudo ab ipsis apostolis  
 sumpsit initium, ut dicit DAMASCENVS in quodam sermone et  
 105 DYONISIVS in ultimo cap. Celestis hierarchie. Et sic patet  
 primum.

[7] Quantum ad secundum sciendum est quod *suffragia uiuorum*  
*prosunt defunctis* ex duobus: unum est *inquantum caritate uniuntur*  
*ad inuicem*; aliud est *secundum quod intentio uiuorum refertur ad*  
 110 *mortuos*. Ratione primi *illa opera uiuorum nata sunt magis mortuis*  
*suffragari que maxime ad communionem fidei et caritatis pertinent*; et  
 illud est eucharistie sacramentum, *quod est sacramentum ecclesiastice*  
*unionis continens illud in quo omnes fideles uniuntur sicut membra*  
 sub uno capite. Post hoc *precipuus effectus caritatis uidetur esse*  
 115 *elemosinarum largitio*, et ideo ponitur inter suffragia que ratione  
 communionis caritatis prosunt defunctis; *set ex parte secundi, scilicet*

98 quod ... 105 hierarchie] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 1, 2, sed contra 2 (365a)

101 Non ... 103 mortuorum] Aug., *De cura*, 1, 3 (623,18-624,2)

103 consuetudo ... 104 initium] cf. Ioh. Dam., *De iis qui in fide dormierunt*, 3 (250B-C);  
 Ps.-Dionys., *De eccl. hier.*, 7 (1409a-c)

107 suffragia ... 122 sint] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, sol. 1 (375b)

91 pene] *coni.*: pena π

*intentionis directe ad mortuos, preualet oratio* per quam orans directe Deo recommendat illum pro quo orat. Propter quod illa tria, scilicet oblatio sacrificii altaris et eleemosine et oratio, tam publica quam priuata, sunt principalia suffragia quibus defunctorum anime 120 releuantur, *quamuis omnia alia bona* que pro eis fierent *eis ualere credenda sint*.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de malis uiuorum et de bonis, quia *auferre alicui quod debetur repugnat iustitie; set dare aliquid quod sibi non debetur, non est iustitie* 125 *contrarium, set est liberalitatis*; et uirtus non | contrariatur uirtuti; et ideo si quis nolens puniretur pro peccato alterius auferretur ipsi aliquod debitum, cum punitio sit ablatio alicuius conuenientis, et sic esset iniustum; set quando confertur ei aliquid ex facto alterius, fit ei gratia; propter quod primum non est apud Deum, qui nichil iniuste 130 agit, set secundum, in quantum ex gratia acceptat orationem uiui pro defuncto uel satisfactionem.

[9] Ad secundum dicendum quod ualor unius suffragii est unus in uno genere, set non simpliciter; ualet enim uno modo quatinus est bonus et uoluntarius, et sic ualet soli operanti qui ex illo dicitur 135 bonus et laudabilis, et ob hoc acceptatur ut dignus uita eterna; et per hunc modum actus unius non potest ualere alteri, quia ex actu unius alius non redditur bonus nec commendabilis.

Alio modo ualet quatinus est penalis, et sic ualet per modum satisfactionis, et sic potest ualere uel operanti uel alii, si fiat pro eo. Si 140 tamen tale opus est equatum reatui alterius pro quo fit, tunc satisfacit tantum pro eo et non pro satisfaciente, quia pena que equatur reatui unius non equatur reatui duorum; satisfactio autem, cum sit actus iustitie, consistit in quadam equalitate.

[10] Ad tertium dicendum est quod inter suffragia que fiunt per 145 peccatores est distinguendum, quia si illud suffragium sit sacrificium altaris, tantum ualet si offeratur per bonum sacerdotem sicut per malum; illud enim quod habet efficaciam ex opere operato non uitiat per demeritum operantis; set tale est sacrificium altaris; quare etc. 150

Si uero sit oratio, aut est publica aut priuata; si publica, ualet, licet fiat per malum ministrum, quia oratio non innititur meritis persone,

124 auferre ... 126 liberalitatis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 1, ad 4 (367a)

145 inter ... 158 peccatore] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 1, sol. 3 (367b-368a)

set meritis ecclesie, que una et eadem est qualiscumque sit minister; puto tamen quod plus ualet quando fit a bono ministro, quia cum  
155 generalibus meritis ecclesie concurrat deuotio specialis ministri; propter quod missa, que non solum includit sacrificium, set orationes precedentes et sequentes, plus ualet, cum dicitur a iusto sacerdote quam a peccatore. Si autem sit oratio priuata, sic non uidetur ualere quando fit a malo ministro, nec facienti ad meritum de condigno nec  
160 ei pro quo fit ad suffragium; et sic est intelligendum dictum GREGORII. Si autem illud suffragium sit eleemosina, sic potest ualere per accidens, set non per se; per se non propter statum dantis, per accidens tamen ualet tam danti quam illi pro quo datur in quantum bonus cui datur orat pro utroque.

## QVESTIO SECVNDA

## VTRVM SVFFRAGIA PROSINT EXISTENTIBVS IN INFERNO

[1] Secundo queritur utrum suffragia prosint existentibus in inferno. Et uidetur quod sic, quia beatus AVGVSTINVS dicit, et habetur in littera, quod *quibus prosunt suffragia ad hoc prosunt ut plena sit* 5 *remissio uel tollerabilior sit eorum dampnatio*; set dampnati non dicuntur nisi illi qui sunt in inferno; ergo suffragia ecclesie prosunt illis.

[2] Item, sicut se habent beati ad gloriam, sic dampnati ad penam; set beatis, saltem usque ad diem iudicii, possunt prodesse suffragia 10 ecclesie ad gloriam augmentandam; ergo dampnatis possunt prodesse ad penam minuendam. Minor probatur per illud quod dicit GREGORIVS in collecta: *Sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis proficiant ad medelam*.

[3] Item DAMASCENVS recitat in quodam sermone quod Traianus, 15 qui per multos annos *fuerat in inferno, quia multorum martirum necem amaram instituit*, ad preces Gregorii ueniam consecutus est, et *caput cuiusdam sacerdotis gentilis* dixit Machario se et alios iuuari precibus Macharii, ut idem DAMASCENVS dicit et habetur similiter in *Vitis patrum*; ergo uidetur quod dampnati in inferno possint 20 per orationes sanctorum iuuari.

[4] In contrarium est quia in inferno nulla est redemptio secundum quod dicitur Iob 7: *Qui descendit ad infernos non ascendet nec reuertetur ultra in domum suam*. Et DYONISIVS dicit 67 cap. Ecclesiastice hierarchie quod *summus sacerdos pro* 25 *immundis non orat, quia in hoc auerteretur a diuino ordine; ubi dicit*

4 beatus ... 8 illis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, arg. 2 (368b); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 2, arg. 1 (188va)

5 quibus ... 6 dampnatio] Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (109,29-31); Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 2 (524,16-18)

13 Sicut ... 14 medelam] Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 4, arg. 1 (370a); cf. *Corpus orationum*, 4199a-b (220); 5484 (256)

15 Damascenus ... 21 iuuari] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 1, arg. 4-5 (369a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 2, arg. 2 (188va); Ioh. Dam., *De iis qui in fide dormierunt*, 10 (255A-B); 16 (262D-263A); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 1 (597a-b)

22 in ... 24 suam] ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 1, 2, arg. 3 (432a)

23 Qui ... 24 suam] *Iob*, 7,9-10

25 summus ... 26 ordine] cf. Ps.-Dionys., *De eccl. hier.*, 7 (1452a-b)

summus ... 28 illis] Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 1, sed contra 1 (369a)

*Commentator quod pro peccatoribus non orat remissionem, quia non audiretur pro illis; igitur suffragia ecclesie non prosunt dampnatis. |* *π406ra*

[5] Responso. Questio ista non est dubia pro tempore quo dampnati erunt in inferno post generale iudicium, quia pro tunc non fient aliqua suffragia que possint quoscumque iuuare, set *finem habebunt ciuitates due, una Christi, altera dyaboli*, scilicet paradus et infernus, set solum dubia est de hiis que sunt in inferno ante diem iudicii.

35 [6] De quibus QUIDAM dicunt quod aliqui eorum iuuantur per suffragia uiuorum, non tamen omnes. Distingunt enim de mortuis iuxta sententiam beati AVGVSTINI in *Enchiridion*. Quidam enim eorum sunt ualde boni, alii ualde mali, alii mediocriter boni, alii mediocriter mali; pro ualde bonis non est orandum, quia non  
40 indigent sic ut sunt beati; unde AVGVSTINVS: *Iniuriam facit martiri qui pro martire orat*; et idem habetur *Extra de celebratione missarum* cap. *Cum Marthe*.

Item nec ualde malis prosunt suffragia, set mediocriter bonis prosunt ut citius liberentur ab igne purgatorio; mediocriter malis  
45 prosunt ad hoc ut minus puniantur in inferno, a quo tamen numquam liberabuntur.

[7] Hec est sententia ALIQVORVM *IVRISTARVM*, que expresse ponitur in glossa 12 q. 2 super illud cap. *Tempus*. Et arguunt ISTI contra SE IPSOS sic: pone quod aliquis det eleemosynam pro eo qui decessit in  
50 mortali peccato, qui secundum EOS est mediocriter malus; talis eleemosyna prodest ei ad diminutionem pene; aliquid ergo de pena eius est sublatum, ponatur quod centesima pars; tunc si dentur tales

27 pro ... 28 illis] cf. Max. Conf., *Scholia in De eccl. hier.*, 7, 6 (178D-179A)

31 finem ... 32 dyaboli] Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (109,26-29); uide etiam *De ciu. Dei*, XI-XIV (321-452)

37 Quidam ... 39 mali] cf. Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (109,26-29); Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 2 (524,14-16); Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 3, exp. text. (385-386)

39 pro ... 40 beati] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 4 (525)

40 Iniuriam ... 41 orat] cf. Aug., *Serm.*, 159, 1, 1 (868); Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 4 (525,12-13); Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 3, exp. text. (386)

41 idem ... 42 cap] cf. *Decretal. Gregor. IX*, III, 41, 6 (639)

43 mediocriter ... 46 liberabuntur] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 4 (525,5-9); Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (109,26-29)

48 glossa ... Tempus] cf. Gratian., *Decr.*, II, 13, 2, 23 (728)

40 sic ut] *coni.*: sicut π

centum eleemosyne, tota pena erit dimissa et ille totaliter liberatus, quod IPSI negant.

Ad hoc respondent dicentes quod si prima eleemosyna tollat 55 centesimam partem pene, secunda tollet tantam penam non in quantitate, set in proportione, et sic ibidem semper aliquid remanebit de pena, sicut in diuisione contingit, aliquid semper remanebit diuidendum, cum diuisio non fit semper in partes eiusdem 60 quantitatis, set eiusdem proportionis.

[8] Quidquid sit de conclusionem, de qua postea dicitur, solutio tamen ad obiectionem nulla est primo, quia *non est aliqua ratio quare secunda eleemosyna, si sit equalis ualoris* cum prima et ex equali deuotione data, *diminuat minus de pena quam prima*; et ideo fiet diminutio pene secundum equalitatem quantitatis, prout in talibus 65 possumus loqui, et non secundum equalitatem proportionis; secundo, quia si diminutio pene fieret secundum partes eiusdem proportionis quemadmodum diuisio linee, adhuc sequeretur idem, quia diuisio linee tantum potest procedere quod peruenietur ad partem linee insensibilem; ergo similiter tot eleemosyne poterunt dari 70 pro dampnatis quod peruenietur ad penam insensibilem uel imperceptibilem; set talis pena non est pena, cum omnis pena sequatur cognitionem; ergo nullo modo potest dici quod pena dampnatorum potest minui per suffragia, quin sequatur quod possit tolli totaliter, quod ISTI negant. 75

[9] ALII tamen hoc concedunt, ut PREPOSITVS et eius SEQVACES, qui dixerunt quod dampnati per suffragia ecclesie possunt totaliter fieri *immunes a pena usque ad diem iudicii*; set post diem iudicii resumtis corporibus *destrudentur in ignem eternum sine spe cuiuscumque uenie*. 80

Istud autem, cum non probetur, eadem facilitate potest contempni qua dicitur. Ipsum etiam dictum est ualde irrationabile, quia plus debet ualere unicuique illud quod ipse facit pro se ipso dum uiuit uel alius pro ipso quam illud quod facit, scilicet uiuens pro mortuo; set id quod facit uiuens in peccato mortali, de quo non penitet nec 85

62 non ... 64 prima] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, sol. 1 (371a)

69 diuisio ... 70 insensibilem] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, sol. 1 (371a)

77 dampnati ... 80 uenie] Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, sol. 1 (370b); cf. Guill. Altissiod., *Summa*, IV, 18, 4, 1 (529,53-54)

71 penam] *coni.*: partem  $\pi$

penitere proponit, aut quod facit alius pro ipso, nichil omnino ualet ad diminutionem pene tali peccato debite, quamuis possit ualere ad hoc ut talis disponatur ad penitendum de illo peccato; ergo fortiori ratione illud quod faciunt uiuentes pro mortuis dampnatis qui de  
 90 peccatis suis non penitent nec penitere proponunt, set in eis obstinati sunt, non prodest eis ad aliquam pene diminutionem; et absque dubio contra omnem iustitiam et rationem uidetur esse quod impenitenti et perseueranti in impenitentia remittatur aliquid de pena debita.

95 [10] Dicendum est ergo quod suffragia ecclesie nullo modo prosunt dampnatis. Cuius ratio licet statim assignata sit, alia tamen potest adduci, quia suffragia unius prosunt alteri quatinus sunt membra unius corporis; set dampnati, qui iam obstinati sunt in malo, iam non sunt membra corporis ecclesie, cum sint precisi irreuocabiliter  
 100 per finalem sententiam; ergo suffragia ecclesie uel cuiuscumque membri de ecclesia non possunt eis prodesse.

Nec ualet illud in quo IURISTE fundant se, quia illa distinctio beati AVGVSTINI, licet sit quadrimembris quoad | uocem, est tamen solum  
 105 iidem sunt, scilicet illi qui decedunt in gratia cum peccato ueniali uel cum debito pene pro peccatis mortalibus, de quibus statim ante mortem penituerunt. π406rb

Et quod ita sit, probatur sic, quia mediocriter bonus uel omnino non est malus uel est ualde malus uel est mediocriter malus; non  
 110 potest dici quod omnino non sit malus ita quod nichil malitie habeat, nec secundum actum nec secundum reatum, quia talis quando decedit, *statim euolat ad gloriam*, quia non habet culpam secundum actum nec reatum pene culpe debite; qui autem statim euolat ad celum est ualde bonus et non mediocriter bonus; nec potest dici  
 115 quod sit ualde malus, quia ualde malis secundum ISTOS non prosunt suffragia; prosunt autem mediocriter bonis; igitur mediocriter boni non sunt ualde mali nec omnino <non> mali, ut probatum est; ergo sunt mediocriter mali. Simili modo potest probari quod mediocriter

111 talis ... 113 debite] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 1, 1, sol. 2 (358a-b); *Super Matth.*, III, 2, 298 (46a); Guill. Altissiod., *Summa*, IV, 18, 4, 1 (530,87-88)

115 ualde<sup>2</sup> ... 116 bonis] cf. Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (109,26-29); Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 2 (524,14-16); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, sed contra 1 (369b)

117 non<sup>2</sup>] *suppl.*: om. π

mali sunt mediocriter boni, quia mediocriter malus aut omnino  
 nichil habet de bonitate aut est ualde bonus aut est mediocriter 120  
 bonus; non potest dici quod nichil habeat de bonitate, quia sic esset  
 ualde malus, cum *malum non sit <nisi> priuatio boni*; et ideo ualde  
 malus est qui nichil boni moralis uel meritorii habet; ISTI etiam  
 mediocriter malos dicunt esse illos qui fidem habuerunt, set alia  
 peccata mortalia commiserunt, licet non maxima nec enormissima; 125  
 igitur mediocriter mali non omnino nichil habent de bonitate. Nec  
 potest dici quod sint ualde boni, quia illi non indigent suffragiis,  
 mediocriter autem mali indigent. Relinquitur ergo quod mediocriter  
 mali sint mediocriter boni et econuerso; unde et beatus AVGVSTINVS  
 utrisque idem attribuit, scilicet quod possint iuuari suffragiis 130  
 uiuorum.

[11] Magis autem absurdum est quod IPSI dicunt per ualde malos  
 illos intelligi qui fidem non habuerunt; constat enim quod paruuli  
 decedentes in solo originali non habuerunt fidem, et tamen  
 absurdum est dicere eos esse magis malos quam sint dampnati qui 135  
 fidem habuerunt et multa peccata mortalia habuerunt et  
 commiserunt, quia cum *pena correspondeat culpe*, ille est magis malus  
 cui debetur pena dampni et pena sensus quam ille cui debetur pena  
 dampni tantum; set dampnatis fidelibus debetur pena dampni et  
 pena sensus, decedentibus uero solum in originali non debetur nisi 140  
 pena dampni, que secundum AVGVSTINVM est mitissima omnium  
 penarum; ergo fideles dampnati sunt magis mali quam decedentes  
 solum in originali.

[12] Quod si quis dicat quod per ualde malos intelliguntur non  
 omnes infideles, set solum adulti qui cum infidelitate sua multa 145  
 peccata mortalia commiserunt, igitur decedentes in solo originali non  
 sunt ualde mali; set non ualde malis prosunt suffragia secundum  
 AVGVSTINVM; ergo talibus debent suffragia ecclesie prodesse: istud  
 autem est falsum, quia cum pena eorum non sit nisi carentia uisionis

122 malum ... boni] cf. Aug., *Enchir.*, III, 11 (53,34-35); VIII, 24 (63,9-10); *Contra aduersarium*, I, 5, 7 (40,150)

130 idem ... 131 uiuorum] cf. Aug., *Enarr. in Ps.*, CVIII, 4 (1586,27-1587,30)

132 per ... 133 habuerunt] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, sol. 1 (370b)

137 pena ... culpe] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 1, 3, arg. 1 (433a)

141 mitissima ... 142 penarum] cf. Aug., *Enchir.*, XXIII, 93 (99,133-135)

122 nisi] *suppl.: om. π*



150 beate, que carentia non potest minui aliquo modo nisi aliquid  
 oppositae uisionis eis conferatur, quia priuatio non tollitur nisi per  
 habitum, sequeretur quod, si iuuarentur per aliquod suffragium,  
 quod per illud conferretur eis aliquid uisionis beate; et sic unico  
 suffragio expedirentur de inferno, quod est erroneum, cum nec per  
 155 unum suffragium nec per multa possint a limbo liberari uel diuinam  
 uisionem pertingere. Intentio ergo beati AVGVSTINI est quod illi soli  
 sunt mediocriter boni et mediocriter mali qui sine peccato mortali  
 decedunt, set tamen habent uel peccata uenialia uel sunt debitores  
 pene pro peccatis mortalibus de quibus ante mortem penituerunt, et  
 160 istis solis prosunt suffragia et non dampnatis in inferno; et quod hec  
 sit intentio AVGVSTINI patet per illud quod dicit in littera quod *qui  
 sine fide operante per dilectionem eiusque sacramentis de corpore  
 exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis officia impenduntur.*  
 Constat autem quod omnes qui decedunt in peccato mortali,  
 165 decedunt absque fide operante per dilectionem; ergo talibus suffragia  
 non prosunt secundum AVGVSTINVM.

Ad idem est quod scripsit GREGORIVS Bonifacio archiepiscopo, ubi  
 dicit quod *pro impiis, quamuis christiani fuerint, tale quid, scilicet  
 oblationes et suffragia, facere non licebit*; liceret autem si talia suffragia  
 170 possent eis prodesse; ergo etc. Idem etiam dicit 34 *M o r a l i u m* sic:  
*Sancti de hiis utique quos eterno iam dampnatos supplicio cognouerunt,  
 ante illum iudicis iusti conspectum orationis sue meritum quassari  
 refugiunt.* |

π406va

[13] Ad primum argumentum in oppositum dicendum quod *ibi*  
 175 *accipitur dampnatio large pro quacumque punitione, ut sic includat  
 etiam penam purgatorii*; dicitur etiam aliquis quandoque dampnatus  
 ad certam penam pecuniariam soluendam uel ad aliquod supplicium  
 sustinendum, quamuis talis dampnatio non sit ad mortem.

[14] Ad secundum dicendum quod non est simile de dampnatis et  
 180 beatis, quia beati bene participant cum uiuentibus in caritate, in qua

161 quod<sup>1</sup> ... 166 Augustinum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 1, sed contra 3 (369b)  
 qui ... 163 impenduntur] Aug., *Serm.*, 172, 2, 2 (937); Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 3 (524,28-29)  
 168 pro ... 169 licebit] Greg., III, *Ep. 'Magna nos habuit' ad S. Bonifatium episc.* (272);  
 Gratian., *Decr.*, II, 13, 2, 21 (728)  
 171 Sancti ... 173 refugiunt] Greg., *Moralia*, XXXIV, 19, 38 (1760,79-83); *Dialog.*, IV, 46, 8  
 (164,60-63); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 1, sed contra 2 (369a)  
 174 ibi ... 176 purgatorii] Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 1, ad 2 (372a)  
 ibi ... 178 mortem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 2, ad 1 (189va)

fundatur ualor suffragiorum, set existentes in inferno a tali communicatione preclusi sunt; et iterum quamuis beati de bonis que uiuentes faciunt letentur et sic aliquid glorie accidentalis eis accrescat, illud tamen non est propter aliquem fructum suffragii quem percipiunt, set propter perfectam caritatem quam habent, per quam 185 congaudent omni homini beato.

[15] Ad tertium dicendum quod aut Traianus fuit uite miraculose restitutus, et tunc remissionem peccatorum consecutus est, nec prius erat sententia finali dampnatus, set conditionaliter. Vel dicendum quod illud fuit singulare priuilegium diuine gratie, quod non est 190 trahendum ad consequentiam, quia de lege communi fit oppositum.

Ad illud de Machario dicendum quod non aliter iuuabantur dampnati per preces Macharii, ut i b i d e m dicitur, nisi quia mutuo se uidebant in tormentis, de hoc non poterant habere uerum gaudium nisi falsum et fantasticum, sicut solatium miserorum est 195 socios uidere in pena, sicut demones gaudere dicuntur quando homines ad peccata pertrahunt; pena tamen inflicta tam hominibus dampnatis quam demonibus in nullo minuitur.

### QUESTIO TERTIA

#### VTRVM SVFFRAGIA FACTA PRO ALIQVO SIBI SOLI VALEANT ET NON ALIIS PRO QVIBVS NON FIUNT

[1] Tertio queritur utrum suffragia facta pro aliquo ipsi soli ualeant et non aliis pro quibus non fiunt. Et uidetur quod non, quia in littera 5 dicitur ex uerbis AVGVSTINI quod *suffragia prosunt illis mortuis qui cum uiuerent meruerunt ut talia possent eis prodesse post mortem*; set multi pro quibus suffragia non fiunt magis meruerunt ut suffragia possent eis post mortem prodesse quam meruerint multi pro quibus

187 Traianus ... 191 oppositum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 2, 1, ad 5 (372a-b); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 2, ad 3 (189va)

192 non ... 198 minuitur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 2, ad 2 (189va)

5 in ... II fiunt<sup>2</sup>] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, arg. 2 (377b)

6 ex ... II fiunt<sup>2</sup>] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, arg. 2 (190ra)

suffragia ... 7 mortem] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 2 (523,22-23); Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (108,7-9)

10 suffragia fiunt; ergo uidetur quod suffragia magis prosint aliquibus pro quibus non fiunt quam illis pro quibus fiunt.

[2] Item spiritualia sunt magis communicabilia quam corporalia; set aliqua corporalia, exhibita pro aliquo specialiter, tantum uel magis prosunt aliis pro quibus non exhibentur, sicut lectio que legitur pro  
15 aliquo specialiter prodest non solum illi, set omnibus audientibus et magis illis qui habent meliorem intellectum, similiter lumen positum in mensa ad reuerentiam alicuius prodest omnibus astantibus et magis illis qui habent meliores oculos; ergo fortiori ratione suffragia, que sunt quedam spiritualia, prosunt non solum illis pro quibus  
20 fiunt, set omnibus aliis qui sunt capaces suffragiorum, et magis illis qui sunt melius dispositi.

[3] Item HIERONYMVS dicit: Quotiens *pro centum animabus psalmus uel missa* cantatur, tantum prodest cuilibet quantum *si pro quolibet* caneretur; set missa uel psalmus non amittit ualorem suum  
25 per hoc quod pro uno specialiter dicitur; ergo non solum prodest illi pro quo dicitur, set pluribus aliis.

[4] In contrarium arguitur quia nichil fit frustra in ecclesia; set si suffragia facta specialiter pro aliquo tantum prodesent aliis quantum illi pro quo fiunt, frustra fierent pro aliquo specialiter et tamen fiunt  
30 secundum consuetudinem ecclesie; ergo etc.

[5] Responso. Circa questionem istam sunt tres modi dicendi, quorum duo primi sunt ad inuicem oppositi, tertius autem nititur concordare utrumque. Primus modus est quod suffragia facta pro aliquo specialiter, non solum ualent ei, set etiam aliis, et plus illis qui  
35 magis sunt dispositi ad suscipiendum fructum suffragii; et rationes huius opinionis posite sunt in arguendo ad questionem.

[6] Secundus modus est quod suffragia solum prosunt illis pro quibus fiunt et non aliis. Et ratio huius est duplex. Prima est quia

12 spiritualia ... 21 dispositi] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, arg. 1 (190ra); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, arg. 1 (436a)

16 similiter ... 18 oculos] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, arg. 1 (377b); Bonau., *Breuiolq.*, 7, 3 (284b)

22 Hieronymus ... 26 aliis] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, arg. 2 (436b)

Quotiens ... 24 caneretur] cf. Gratian., *Decr.*, III, 5, 24 (1418)

27 nichil ... 30 ecclesie] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, sed contra 3 (436a)

33 suffragia ... 35 suffragii] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., op. 1 (190ra)

37 Secundus ... 38 aliis] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., op. 2 (190ra)

*iustitia humana exemplata est a diuina; set secundum iustitiam*  
 π406vb humanam, *si aliquis soluat debitum | pro aliquo alio*, ille solus 40  
 liberatur pro quo debitum soluitur et nullus alius; ergo secundum  
 iustitiam diuinam ille pro quo fit suffragium ad soluendum debitum  
 pene solus liberatur et non alius; ergo illi soli et nulli alii prodest.

Secunda est quia sicut satisfacit uiuens pro uiuo, ita uiuens pro  
 mortuo; set quando uiuens satisfacit pro uiuo, satisfactio illa solum 45  
 prodest illi pro quo fit; ergo similiter quando uiuens satisfacit pro  
 mortuo, satisfactio solum prodest illi pro quo fit et non aliis; ergo etc.

[7] Tertius modus concordans utrumque est talis quod ualor  
 suffragiorum est duplex. Vnus est gaudium uel consolatio quam  
 habent omnes existentes in caritate de aliquo bono opere, quia *caritas* 50  
*congaudent omni ueritati*, ut dicitur I C o r. 13; et sic suffragium plus  
 ualet illi qui plus habet de caritate, dato quod pro eo non fiat, quia  
 ratione maioris caritatis magis congaudet.

Alius ualor est per modum satisfactionis et recompensationis  
 alicuius pene; et sic suffragium non ualet nisi illi ad quem applicatur 55  
 per intentionem satisfaciens, quia fructus alicuius operis cuius  
 operans est dominus et qui totus cederet in utilitatem operantis, nisi  
 per eius intentionem in alium transferretur, non prodest nisi illi in  
 quem operans ipsum transfert; set opus suffragii est huiusmodi, quia  
 procedit ex libero arbitrio, per quod *homo est dominus suorum* 60  
*actuum*; totus etiam eius fructus esset operantis nisi in alium ipsum  
 transferret; ergo tale suffragium non prodest ad satisfactionem pene  
 nisi illi cui applicatur per intentionem facientis.

[8] Et hic modus nichil continet dubium nisi unum, hoc scilicet  
 quod ille qui est in maiori caritate plus gaudeat de suffragio facto pro 65  
 aliquo quam gaudeat ille pro quo fit; hoc enim uno modo est uerum  
 et alio modo est falsum; suffragium enim est bonum facientis

39 iustitia ... 43 prodest] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, sed contra 1 (378a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., ualor 2, 1° (190rb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, sed contra 1 (436a)

44 sicut ... 47 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, sed contra 2 (378a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., ualor 2, 2° (190rb)

48 Tertius ... 63 facientis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, sol. 1 (379a)

49 Vnus ... 53 congaudet] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., ualor 1 (190ra-b)

50 caritas ... 51 ueritati] cf. I C o r., 13,6

54 Alius ... 55 pene] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., ualor 2 (190rb)

60 ex ... 61 actuum] cf. Thom., *De uerit.*, 5, 10, resp. (169,87-89)

65 ille ... 79 caritate] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, resp., dub. (190va)

inquantum est actus eius bonus, reddens ipsum bonum et laudabilem et Deo acceptum, et est bonum eius pro quo fit inquantum pro eo  
 70 satisfacit. Quantum ad primam bonitatem plus gaudet de suffragio ille qui est in maiori caritate quam ille pro quo fit, quia cum illo modo suffragium non sit magis bonum unius defuncti quam alterius, set sit bonum solius facientis, de eo tamquam de equali bono plus gaudet ille qui plus habet de caritate; set quantum ad secundum  
 75 ualorem, cum ille ualor sit bonum illius solius pro quo fit, et unicuique est magis amabile bonum proprium quam alienum, ideo quantum ad illam considerationem plus gaudet de suffragio illo pro quo fit existens in minori caritate quam ille pro quo non fit, dato quod ille sit in maiori caritate.

80 [9] Ad primum argumentum in oppositum dicendum quod dictum AVGVSTINI est intelligendum conditionaliter, scilicet quod suffragia illis prosunt post mortem qui meruerunt in hac uita, quod eis possent prodesse, si tamen pro eis fiant; si autem non fiant pro eis, set pro aliis, non oportet quod eis magis prosint, quamuis magis  
 85 meruerunt, quia non meruerunt quod eis prodesse nisi pro eis fierent.

[10] Ad secundum dicendum quod lumen corporale et uox doctoris agunt ex necessitate nature et non secundum intentionem applicantis lumen uel proferentis uocem, et ideo quilibet presens  
 90 fructum utriusque recipit, plus uel minus secundum quod est magis uel minus dispositus, et non solum ille pro quo talia applicantur uel ponuntur; set ualor suffragii quantum ad expiationem pene non transfertur in aliquem nisi secundum quod applicatur per intentionem operantis, et ideo solum illi prodest cui applicatur.

95 Et si dicatur quod pauperes, pro quibus non fiunt talia suffragia, secundum hoc sunt deterioris conditionis quam diuites, pro quibus dicta suffragia fiunt, quod uidetur esse contra illud *Luc. 6: Beati pauperes quoniam uestrum est regnum celorum*, dicendum quod nichil

81 dictum ... 86 fierent] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, ad 2 (379a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, ad 2 (191rb-va)

87 lumen ... 94 applicatur] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, ad 1 (379a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 3, ad 1 (191rb)

95 pauperes ... 98 celorum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 4, 1, arg. 3 (377b-378a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 45, 1, arg. 1 (96rb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, arg. 3 (436a)

97 Beati ... 98 celorum] *Luc.*, 6,20

prohibet diuites quantum ad hoc esse melioris conditionis quam pauperes, set simpliciter pauperes propter Christum sunt melioris 100 conditionis, tum propter maius meritum uite eterne quod incomparabiliter excedit expiationem pene, tum quia caminus paupertatis hic eos ieiunos purgat, quamuis multo tempore, quam quecumque pena purgatorii purget diuites etiam pauco tempore.

[II] Ad tertium dicitur quod illud dictum HIERONYMI potest 105  
 π407<sup>ra</sup> intelligi quantum ad effectum acceptationis et congratulationis | seu consolationis, quam habent omnes defuncti in caritate existentes de missa uel alio suffragio inquantum est bonum opus ipsius facientis et ad honorem Dei; set non est equalis ualoris quantum ad effectum satisfactionis uel liberationis a pena, quia cum ualor unius misse 110 finitus sit, impossibile est quod pluribus distribuatur ita quod quilibet habeat totum, set oportet necessario quod ualor diuidatur in plures ex quo pro pluribus fit; propter quod missa dicta pro pluribus non tantum prodest cuilibet sicut si fieret pro ipso specialiter.

#### QUESTIO QVARTA

##### VTRVM SANCTI COGNOScant ORATIONES NOSTRAS QVAS AD EOS DIRIGIMVS

[I] Quarto queritur utrum sancti cognoscant orationes nostras quas ad eos dirigimus. Et uidetur quod non, quia sancti perfectiores sunt 5 in caritate quam essent dum hic uiuerent; set quanto quis est in caritate perfectior, tanto magis subuenit proximo in necessitatibus suis; ergo si sancti cognoscerent necessitates nostras et defectus quos in oratione exprimimus, magis essent parati nobis subuenire quam amici uiuentes; hoc autem non experimur; ergo uidetur quod non 10 cognoscant nostras orationes.

106 effectum ... 110 pena] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 2, 3, resp. 2 (437b)  
 5 sancti ... 11 orationes] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, arg. 3 (380b-381a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, arg. 3 (437b); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., arg. 1 (112va)

[2] Item orationes nostre sunt quandoque solum mentales; set *solus Deus nouit occulta cordium*; ergo uidetur quod saltem tales orationes sancti non cognoscant.

15 [3] Item super illud Is. 54: *Habraham nesciuit nos*, dicit glossa AVGVSTINI quod *mortui etiam sancti nesciunt quid agunt uiuentes etiam eorum filii*, nesciunt igitur orationes uiuentium; et idem uidetur dicere AVGVSTINVS in lib. *De cura pro mortuis agenda*.

20 [4] In contrarium est quod dicit Raphael Thobie 12: *Quando orabas cum lacrimis et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino*.

[5] Item, si sancti orationes nostras nescirent, per consequens nescirent necessitates nostras et ita pro eis amouendis non orarent; hoc autem falsum est et contra Scripturam, II Mac. 15, ubi dicitur: *Hic est qui multum orat pro populo et pro ciuitate sancta*, HIEREMIAS propheta et II Petr. 1 cap., ubi dicitur: *Dabo operam frequenter habere uos in memoria post obitum meum* etc.

[6] Responsio. Circa questionem istam facienda sunt duo: primum est utrum debeamus orationes nostras ad sanctos dirigere, secundum est utrum sancti illas orationes cognoscant.

[7] Quantum ad primum dicendum est quod conueniens est quod orationes nostras dirigamus ad sanctos. Cuius ratio est quia *secundum DYONISIVM* lex diuinitatis est *infima per media ad suprema reducere*;

12 orationes ... 14 cognoscant] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, arg. 1 (191va); Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, arg. 5 (381a); Duns Scot., *Ord.*, IV, 45, 4, arg. 2 (375b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, arg. 4 (437b)

solus ... 13 cordium] cf. *Corpus orationum*, 3738 (18,3-4)

15 super ... 17 uiuentium] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, arg. 2 (191va); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, arg. 1 (437b)

super ... 19 agenda] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, arg. 1 (380b); Duns Scot., *Ord.*, IV, 45, 4, arg. 1 (375b); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., arg. 2 (112va)

Habraham ... nos] cf. *Is.*, 63,16

16 mortui ... 17 uiuentium] cf. Aug., *De cura*, XVI, 19 (652,10-12); *Glossa ord. Is.*, 63, 16 (92c)

20 Quando ... 22 Domino] *Tob.*, 12,12

26 Hic ... sancta] II *Mac.*, 15,14; ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 5, 1, resp. (193vb)

27 Dabo ... 28 etc] II *Petr.*, 1,15; ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 5, 1, resp. (193vb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 2, sed contra 3 (438b)

33 secundum ... 52 unius] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 5, 1, resp. (193vb-194ra)

34 infima ... reducere] cf. Thom., *In De diu. nom.*, XI, 2, 910 (337a); Ps.-Dionys., *De diu. nom.*, II (505c-506b)

15 nesciuit] *coni.*: nesciunt π

set quantum ad dona gratie beati sunt medii inter Deum et uiatores; 35  
 ergo eis mediantibus uiatores debent reduci in Deum; et quia illa  
 reductio non est per actiones nostras coactas, set liberas, que sole sunt  
 Deo accepte ut remunerande per beatitudinem, ideo decet ut uiatores  
 uota sua et orationes dirigant ad sanctos ut, eis mediantibus et sua  
 intercessione iuuantibus, bonitas diuina refundatur in uiatores; sunt 40  
 autem sancti orandi a nobis non solum maiores, set etiam mediocres  
 et minores *propter quinque rationes: prima, quia aliquis quandoque  
 habet maiorem deuotionem ad minorem sanctum quam ad maiorem, ex  
 deuotione autem dependet effectus orationis. Secundo ad tollendum  
 fastidium, quia assiduitas eiusdem rei fastidium parit; per hoc autem 45  
 quod alternatim diuersos sanctos oramus quasi in singulis nouus feruor  
 deuotionis excitatur. Tertio, quia quibusdam sanctis datum est in  
 aliquibus specialibus casibus patrocinari, ut sancto Anthonio ad  
 extinguendum ignem, qui dicitur infernalis, et quibusdam aliis  
 sanctis in aliis specialibus infirmitatibus. Quarto ut omnibus 50  
 exhibeatur a nobis honor debitus. Quinto, quia orationibus plurium  
 quandoque impetratur quod non impetraretur oratione unius.*

Valet autem nobis sanctorum intercessio, quia quamuis non sint in  
 statu merendi nec pro se nec pro nobis proprie, sunt tamen in statu  
 impetrandi aliquid nobis ex liberalitate eius quem orant, scilicet Dei, 55  
 cui sunt acceptissimi; unde non bene apparet quod a sanctis aliquis  
 ualor redundet in nobis per modum satisfactionis uel meriti | proprie  
 dicti, quia illa satisfactio uel meritum non potest esse per opera que  
 nunc faciunt dum sunt in beatitudine, quia nec sunt in statu merendi  
 nec faciunt opera penalia per que sola proprie fit satisfactio, ut uisum 60  
 est prius, nec illa satisfactio uel meritum non potest esse per opera  
 que nunc faciunt dum sunt in beatitudine, quia nec sunt in statu  
 merendi nec faciunt opera penalia per que sola proprie fit satisfactio  
 ut uisum est prius nec illa satisfactio uel meritum potest esse per  
 opera que fecerunt dum uiuerent, quia opus bonum quod non 65  
 transfertur per operantem in alterum dum actualiter operatur non est  
 postea transferibile, quia iam translatum est in aliquem, puta in  
 facientem; igitur opera que fecerunt sancti dum uiuerent non  
 possunt postea transferri in nos ita ut ualeant nobis per modum  
 meriti uel satisfactionis. Restat ergo ut orationes sanctorum solum 70

48 specialibus] *coni.*: spiritualibus π  
*coni.*: ille π

64 illa] *coni.*: ille π

50 specialibus] *coni.*: spiritualibus π

61 illa]



nobis ualeant per modum liberalis et grate impetrationis, et hoc modo nobis semper ualent quotienscumque orant pro nobis postulando simpliciter aliquid fieri pro nobis, quia cum uoluntas eorum sit totaliter conformis uoluntati diuine, nichil uolunt fieri  
 75 circa nos nisi quod Deus uult fieri. Illud autem quod Deus uult fieri uoluntate consequente, que est uoluntas simpliciter, semper fit. Nec tamen frustra orant pro nobis, licet non orent nisi illud quod sciunt Deum uelle, quia sicut effectus naturales, qui uolente Deo eueniunt, non eueniunt nisi mediantibus causis secundis, non propter  
 80 inefficaciam potentie diuine, set propter ordinem rebus diuinitus institutum, sic beneficia diuina descendunt in nos mediantibus beatis tam angelis quam animabus sanctis, non propter defectum diuine misericordie, set propter ordinem diuinum considerandum, quo Deus uult bonitatem suam communicare inferioribus per superiores.  
 85 Et sic patet primum.

[8] Quantum ad secundum, scilicet utrum sancti cognoscant orationes nostras quas ad eos dirigimus, intelligendum est quod in beatis tam hominibus quam angelis ponitur triplex cognitio, scilicet naturalis, beatifica et quedam media, que est reuelatoria. Si queratur  
 90 de prima cognitione, an per tales beati cognoscant orationes nostras, dicendum est quod non, saltem anime separate, quia de angelis dictum fuit in II lib. quid cognoscant de cogitationibus nostris. Et hoc patet dupliciter: primo, quia naturalis cognitio anime separate non est perfectior quam naturalis cognitio eiusdem anime coniuncte,  
 95 alioquin fugiendum esset animam uniri corpori si ex eius unione ipsa efficeretur imperfectior; set anima coniuncta corpori non cognoscit naturali cognitione cogitationes cordium nec exteriora facta absentium; ergo similiter anima separata non potest cognoscere cognitione naturali orationes nostras mentales nec uocales uiuorum  
 100 absentium. Secundo, quia naturalis cognitio anime separate communis est bonis et malis; set mali non cognoscunt nec cogitationes nec facta uiuorum, sicut dicit beatus GREGORIUS sumens argumentum de anima diuitis epulonis, que ignorabat statum et facta

76 Nec ... 78 uelle] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 2, resp. (439a)

87 in ... 100 absentium] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, resp. (191va)

92 quid ... nostris] cf. supra, II, 8, 5 (148ra-148vb)

101 mali ... 102 uiuorum] cf. Greg., *Hom. in euang.*, 40, 2 (397,99-101)

fratrum suorum; ergo nec anime beatorum cognoscunt cognitione naturali facta uel cogitata uiuentium. 105

Si autem queratur an beati cognitione beata cognoscant orationes nostras mentales uel uocales, dicendum est quod non, quia illa que quandoque cognoscuntur et quandoque non, non pertinent ad cognitionem beatam; set cognitio, si quam habent beati de orationibus nostris mentalibus uel uocalibus, non semper est in eis, 110 quia antequam oremus eas, non precognoscunt; nec aliquis ponit quod talis cognitio sit semper in eis, quia si cognitio talium esset semper in eis, eadem ratione et cognitio omnium aliorum particularium et contingentium, et sic non indigerent quod aliquid eis reuelaretur, quod falsum est, cum angeli, qui non sunt animabus 115 inferiores, per reuelationem purgantur a nescientia multarum rerum, ut patet per DYNISIVM 6 cap. Celestis hierarchie; ergo talis cognitio non est beata. Minor iam patet. Set maior probatur, quia cognitio beata est una cognitio semper manens et respectu unius principalis obiecti semper eodem modo se habentis; et ideo 120 impossibile est quod per eam aliquid de nouo cognoscatur nisi sit aliqua mutatio in obiecto representante uel in ipsa operatione uel in utroque. Constat autem quod in obiecto nulla potest esse mutatio nec in actione quin sit alia secundum numerum, nisi forte secundum intensionem mutaretur; in simplicibus enim formis non inuenitur 125 aliquod genus mutationis; mutatio autem secundum intensionem non est in beatitudine, alioquin beatitudo essentialiter auferetur, quod nullus ponit, et si | esset, non sufficeret ad hoc quod aliquid de nouo cognosceretur, set solum ad hoc quod prius cognitum intensius cognosceretur. Restat ergo quod in actione beata non est mutatio nisi 130 sit alia secundum numerum; et sic non esset eadem beatitudo qua semper aliquis esset beatus, quod est inconueniens; relinquitur ergo quod ea que non semper cognoscuntur a beatis non cognoscuntur cognitione beata. Et hec fuit maior; minor autem declarata est; sequitur ergo conclusio. 135

Si autem loquamur de cognitione reuelationis, sic dicendum est quod omnes beati cognoscunt nostras orationes, siue mentales siue uocales, que ad eos diriguntur, quia secundum beatum AVGVSTINVM,

115 angeli ... 116 rerum] cf. Ps.-Dionys., *De cael. hier.*, 7 (859a)

et habetur in littera dist. 49, ad beatitudinem requiritur quod  
 140 unusquisque *habeat quidquid uult* nec uelit aliquid inordinate; set  
 quilibet recta uoluntate uult cognoscere ea que ad ipsum pertinent, et  
 ideo beati, quibus nulla rectitudo deest, uolunt cognoscere ea que ad  
 ipsos pertinent et cognoscunt; set orationes quas ad eos dirigimus eo  
 ipso ad ipsos pertinent, tamquam ad mediatores inter nos et Deum;  
 145 ergo beati illas orationes cognoscunt, et cum hoc non sit cognitione  
 naturali uel beata, ut probatum est, relinquitur ergo quod hoc sit  
 cognitione reuelatoria, que pertinet ad beatitudinem accidentalem.

[9] Ad primum argumentum dicendum est quod quamuis *sancti*  
 sint in maxima caritate, *habent tamen uoluntatem suam plenarie*  
 150 *conformem uoluntati diuine*; propter quod *quamuis* habeant *affectum*  
*caritatis* ad uiuentes, *tamen non eis auxiliantur* nisi secundum quod  
*uident* in Dei scientia et uoluntate *esse dispositum*; frequenter tamen  
 auxilium ferunt uiuentibus sua intercessione apud Deum quamuis  
 nos lateat.

155 [10] Ad secundum dicendum quod *cogitationes cordium solus Deus*  
*nouit per se ipsum*, set beati nouerunt *quatinus eis* diuinitus *reuelantur*.

[11] Ad tertium dicendum quod AVGVSTINVS loquitur de  
 cognitione naturali per quam mortui nesciunt facta uiuentium et  
 multo minus cogitata; beati tamen talia cognoscunt quando ad eos  
 160 diriguntur, et si non cognitione naturali uel beata, cognitione tamen  
 reuelationis ea cognoscunt. Habraham autem, de quo loquitur beatus  
 AVGVSTINVS et ex quo sumit argumentum, non erat beatus quando  
 illa uerba dicta fuerunt per ISAIAM, cum ante passionem Christi  
 nullus ad beatitudinem admissus fuerit.

139 ad ... 140 inordinate] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 5, 8 (392,33-393,38); 7, 10 (396,63-64);  
 Lomb., *Sent.*, IV, 49, 1, 7 (550,26-29)

148 quamuis ... 154 lateat] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, ad 3 (382a)

155 cogitationes ... 156 reuelantur] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, ad 5 (382a)

157 Augustinus ... 161 cognoscunt] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, ad 2 (193rb)  
 Augustinus ... 164 fuerit] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 45, 3, 1, ad 1 (381b)

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XLVI IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Set queritur hic.* In precedentibus determinatum est de statu animarum ante iudicium, hic determinat consequenter de pertinentibus ad iudicium. Et primo intendit determinare diuine iustitie et misericordie modum. Et diuiditur in duas. Primo enim 5 determinat de iustitia et misericordia diuina quantum ad dampnatos, secundo quantum ad omnes in uniuersali ibi: *Set quomodo iustitiam.* Prima remanet indiuisa; set secunda diuiditur in duas. Primo enim comparat eas ad inuicem, secundo respectu operum diuinorum; prima ibi: *Dei iustitiam*; secunda ibi: *Post hoc considerari oportet.* 10

[2] Proponit ergo MAGISTER quandam questionem, utrum circa dampnatos sit aliqua Dei misericordia. Et opponit quod non per multas auctoritates. Deinde subdit penas dampnatorum numquam finiendas. Deinde ponit quod circa dampnatos est misericordia in pene mitigatione, non tamen in totali relaxatione nec in occulta 15 peccatoris reuocatione. Deinde querit quomodo in omni opere diuino concurrat misericordia et bonitas. Et respondet quod hoc ideo dicitur quod cum sit duplex aduentus Christi, unus misericordiam, alius iustitiam recipit; uel hoc pro tanto dicitur quo ad Deum minus mala declinando per iustitiam et bona opera per misericordiam 20 faciendo, uel in primo aduentu est misericordia, in secundo erit iustitia. In fine ponit duas opiniones circa hoc etc.

7 *Set ... iustitiam*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 46, 3-5 (532-537)

10 *Post ... oportet*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 46, 5 (535-537)

11 *Proponit ... 13 auctoritates*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 46, 1 (529-532)

16 *Deinde ... 22 etc*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 46, 5 (535-537)

QVESTIO PRIMA  
VTRVM IUSTITIA SIT IN DEO

- 25 [1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum iustitia sit in Deo. Et uidetur quod non, quia illud quod non est bonum nisi ut medicina non est bonum simpliciter nec in Deo ponendum; set iustitia saltem uindicatiua non est bona nisi ut medicina; ergo | talis non est in Deo ponenda. Maior patet, quia quidquid est in Deo  
30 formaliter, uidetur dicere bonum et perfectionem simpliciter; quod autem est bonum solum ut medicina non est bonum nisi secundum quid et propter aliud. Minor probatur, quod pene quas infligit iustitia uindicatiua sunt medicine respectu peccatorum, sicut dicitur *I E t h i c o r u m*.
- 35 [2] Item *ridiculum est laudare Deum secundum aliquam uirtutem moralem siue secundum actus uirtutum moralium*, ut dicitur *X E t h i c o r u m*; set *iustitia est uirtus moralis*; ergo non est Deo attribuenda. Et confirmatur, quia temperantia, que diuiditur contra iustitiam, non est attribuenda Deo.
- 40 [3] Item *domini ad seruum non est proprie iustitia*, ut dicitur *V E t h i c o r u m*; set Deus comparatur ad creaturam sicut dominus ad seruum; ergo Dei ad creaturam non est aliqua iustitia; constat autem quod non est aliqua iustitia Dei ad se ipsum, cum iustitia semper sit ad alterum; ergo etc.
- 45 [4] In contrarium est Scriptura in quamplurimis locis, que Deo iustitiam attribuit. Et arguitur per rationem quia illud quod est nobilissimum est Deo attribuendum; set *iustitia est nobilissima et preclarissima omnium uirtutum*, ut dicitur *V E t h i c o r u m*; ergo est Deo attribuenda.

32 pene ... 33 peccatorum] cf. Arist., *Eth. Nic.*, II, 2, 1104b16-18; *Auct. Ar.*, 12, 32 (235,47)  
 35 ridiculum ... 36 moralium] cf. Arist., *Eth. Nic.*, X, 8, 1178b7-23; Thom., *S.th.*, I, 21, 1, ad 1; I-II, 61, 5, ad 1  
 ridiculum ... 38 attribuenda] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, arg. 1 (389a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, arg. 1 (442a)  
 40 domini ... iustitia] cf. Arist., *Eth. Nic.*, V, 10, 1134b8-9; Thom., *Sent. Eth.*, VIII, 11 (482,154-160); *Super Sent.*, II, 44, 2, 1, sol. (1125); *Auct. Ar.*, 12, 161 (244,22-23)  
 domini ... 42 iustitia] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, 1, arg. 4 (389a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, arg. 2 (442a)  
 45 Scriptura ... 46 attribuit] cf. e.g. *Px.*, 10,8; *Rom.*, 1,17; 6,13; II *Petr.*, 1,1; *Phil.*, 3,9; *Prou.*, 8,18  
 46 illud ... 49 attribuenda] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, 1, sed contra 2 (389a-b)  
 47 iustitia ... 48 uirtutum] cf. Arist., *Eth. Nic.*, V, 3, 1129b25-31; *Auct. Ar.*, 12, 85 (238,15-16)

[5] Responsio. Circa questionem istam primo uidendum est in quo 50  
consistit ratio iustitiae et quot modis dicitur. Et secundo apparebit  
quod queritur, scilicet per quem modum iustitia sit Deo attribuenda.

[6] Quantum ad primum sciendum est, ut dicitur V  
Ethicorum, quod *iustitia proprie dicta constituit equalitatem in  
acceptationibus et dationibus. Hoc autem fit dupliciter: uno modo 55  
secundum quod constituitur equalitas inter dantem et accipientem, ut  
scilicet accipiens tantum accipiat a dante quantum econuerso, et in tali  
equalitate consistit iustitia commutatiua, que ponit medium equalitatis  
in emptionibus et uenditionibus et in omnibus retributionibus. Alio  
modo constituitur equalitas inter duos recipientes ex hoc quod uterque 60  
equaliter recipit a tertio secundum quod dignus est, et in hoc consistit  
iustitia distributiua. In prima ergo iustitia, scilicet commutatiua  
requiritur equalitas quantitatis, ut scilicet tantum quisque accipiat  
secundum ualorem quantum dedit, et ideo inter illos inter quos non  
potest esse equalitas quantitatis in datis et acceptis non potest esse 65  
iustitia proprie dicta, sicut est inter illos quorum unus non potest reddere  
aliquid equiualens beneficiis acceptis ab alio, sicut filius non potest  
reddere aliquid equiualens beneficiis patris, a quo accepit esse,  
nutrimentum et eruditionem; propter quod quantumcumque filius  
retribuatur patri in obsequiis, numquam est ibi perfecta equalitas, propter 70  
quod non soluitur ibi proprie ratio commutatiue iustitiae, set tantum  
aliquis modus in quantum filius retribuit quod potest secundum modum  
suum, sicut pater dedit secundum modum suum, ut loco equalis  
secundum quantitatem sumatur possibile et proportionale.*

[7] Set iustitia distributiua non requirit equalitatem quantitatis, set 75  
proportionis; non enim oportet quod distribuens bona communis  
distribuatur equaliter omnibus, set unicuique proportionabiliter  
secundum quod est dignus; ex quo apparet quod iustitia distributiua  
per quam bona communia distribuuntur primo attendit ad

53 ut ... 62 distributiua] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 46, 1, resp. (194rb)

54 iustitia ... 55 dationibus] cf. Arist., *Eth. Nic.*, V, 5, 1130b30-32

iustitia ... 74 proportionale] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, sol. 1 (390a-b); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 46, 1, resp. (96va); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, resp. (442b)

67 filius ... 69 eruditionem] cf. *Auct. Ar.*, 12, 167 (244,32-33); 12, 169 (244,36); Arist., *Eth. Nic.*, VIII, 16, 1163b17; Thom., *S. th.*, II-II, 106, 6, ad 1 (539); Thom., *Super Sent.*, III, 29, 1, 7, sed contra 2 (940)

75 Set ... 127 diuine] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, resp. (442b)  
iustitia ... 150 rei] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, sol. 1 (390b-391a)

80 proportionem personarum, ex qua concludit proportionem rerum  
distribuendarum. Set commutatiua iustitia econtrario primo respicit  
ad habitudinem rei ad rem, sicut patet in commutationibus, puta in  
emptione et uenditione, uel ad habitudinem actionis ad passionem,  
ut in iniuriis uindicandis et puniendis; ad conditionem autem  
85 persone numquam principaliter respicit; non enim bos debet magis  
uel minus uendi uni quam alii; si autem respiciat conditionem  
persone, hoc non est nisi ex consequenti in quantum conditio persone  
facit aliquid ad quantitatem rei uel iniurie, sicut maior est iniuria si  
percutiatur princeps quam aliqua alia priuata persona. Et uidetur  
90 saluo meliori iudicio quod iustitia distributiua magis dependeat ex  
commutatiua quam econuerso, quia iustitia distributiua est in  
distribuyente per quam tenetur bona communitatis distribuere  
proportionabiliter personis communitatis secundum uniuscuiusque  
dignitatem. Hec autem tentio ortum habet ex hoc quod ipse  
95 obligatus est communitati habens ex communitate | et honorem *π408ra*  
regiminis et stipendia laboris, ratione quorum ipse tenetur  
communitati quasi per quandam commutationem ad  
recompensandum bona que recipit pro ipso; quod facit ut quando  
honores et officia communitatis dat unicuique secundum quod est  
100 dignior et utilior communitati, alioquin est uere iniustus non  
reddendo communitati id quod debet pro eo quod accepit.

[8] Ex hiis ad propositum respondetur, quando queritur ‘Estne in  
Deo iustitia?’ Dicendum est quod commutatiua iustitia non proprie  
est in Deo, quia illa consistit in equalitate rei date et accepte; set  
105 beneficiis diuinis non potest a creatura retribui aliquid equale, multo  
minus quam beneficiis patris carnalis.

Et iterum per commutationem proprie dictam res unius fit alterius  
que prius non erat eius; set nichil est in creatura quod non sit ipsius  
Dei magis quam ipsius creature; ergo nulla iustitia commutatiua  
110 potest proprie esse inter Deum et creaturam; potest tamen ibi esse  
quidam modus iustitie commutatiue accipiendo pro equali possibile  
uel proportionale in quantum creatura Deo retribuit quod potest  
secundum suam paruitatem, sicut Deus dat superhabundanter  
secundum suam excellentiam et hoc in bonis. In malis autem  
115 attenditur iustitia commutatiua inter Deum et creaturam in quantum  
creatura peccans tantum uel tantum contra Deum ex sua malitia

punitur a Deo tantum uel tantum secundum condecenciam diuinam et non precise secundum quantitatem culpe, quia sicut in bonis decet quod ex parte Dei sit excessus et ex parte creature sit defectus, sic in malis decet ut sicut ex parte creature est excessus in peccando, sic ex parte Dei sit defectus in puniendo uel in affligendo malum pene, quod idem est; quando autem dicimus nunc ex parte Dei esse excessum uel defectum, non intelligitur hoc prout illa sonant in uitium, set prout dicunt eminentiam ex parte Dei respectu creature in plus conferendo de bonis quam creatura digna sit uel in minus inferendo mala quam creatura peccans mereatur, quod totum prouenit ex condecencia bonitatis diuine.

[9] Iustitia autem distributiua ponitur in Deo respectu creaturarum in quantum omnibus creaturis dat secundum uniuscuiusque dignitatem. Nam secundum quod creature tenent secundum suam naturam altiorem gradum in uniuersitate rerum, sic Deus eis confert nobiliores proprietates et nobiliores operationes quasi quedam officia communitatis; unde DYONISIVS 8 cap. De diuinis nominibus dicit quod *iustitia laudatur* in Deo in quantum *omnibus secundum dignitatem distribuit*, quod est intelligendum de distributione immediate dicta, quia distribuere premia pro meritis uel penas pro culpis pertinet ad commutatiuam iustitiam.

Si tamen bene aduertamus, iustitia distributiua sic accepta in Deo non proprie accipitur, quia iustitia proprie accepta semper includit debitum; set distributio qua Deus rebus naturalibus confert unicuique secundum gradum dignitatis sue non prouenit ex aliquo debito, set solum ex eius liberalitate; ergo ibi non est proprie iustitia distributiua. Et confirmatur, quia iustitia distributiua, saltem proprie dicta, ortum habet ex commutatiua, ut dictum fuit; set talis iustitia distributiua non potest in Deo ortum habere ex commutatiua; ergo etc. Patet ergo quod iustitia in Deo, tam commutatiua quam distributiua, non est aliud quam condecencia diuina in redditione premiorum et penarum et in distributione proprietatum et principiorum agendi prout congruit substantie uniuscuiusque rei.

[10] Ad primum argumentum dicendum per interemptionem minoris quod uindicatiua iustitia non est solum bona ut medicina,

134 iustitia ... 135 distribuit] cf. Ps.-Dionys., *De diu. nom.*, 8 (433d-434a)

144 iustitia ... 145 commutatiua] cf. supra, 7 (151,90-94)



quia eadem iustitia est qua premiantur boni et puniuntur mali, quamuis sit alius actus hic et ibi secundum diuersitates materie; et  
 155 quia bonum est non solum punire malos, set premiare bonos, ideo iustitia non solum est bona in ratione medicine quatinus est punitiua malorum, set est bona quatinus est premiatiua bonorum; est etiam bona secundum se quatinus est *rectitudo uoluntatis* ordinans aliquem ad illud uel ad alterum.

160 [11] Ad secundum dicendum est quod ridiculum est ponere uirtutes morales in Deo per comparisonem ad materiam ciuilem, puta ad emptionem et uenditionem, et sic non ponitur iustitia in Deo; set per comparisonem ad distributionem bonorum naturalium uel ad redditionem premiorum et penarum, potissime que excedunt  
 165 ciuilem uitam, potest poni in Deo iustitia.

Nec est simile de temperantia et iustitia, quia temperantia est | *π408rb*  
 circa passiones innatas que non possunt poni in Deo; set iustitia est circa actiones extrinsecas que possunt Deo attribui.

[12] Ad tertium dicendum est quod bene probat inter Deum et  
 170 creaturam non esse iustitiam proprie dictam, set quidam modus iustitie prout inter eos inuenitur aliqua proportio, sicut inter dominum et seruum; unde PHILOSOPHVS V E t h i c o r u m distinguit iustum dominatiuum a iusto politico, quod est proprie iustum.

## QVESTIO SECVNDA

### VTRVM PENA ETERNA DEBEATVR PECCATO MORTALI

[1] Secundo queritur utrum pena eterna debeatur peccato mortali. Et uidetur quod non, quia *duorum peccatorum mortalium unum est*  
 5 *grauius altero; ergo secundum iustitiam unum debet puniri maiori pena quam alterum; set nulla pena maior potest esse quam eterna; ergo non omne peccatum mortale est puniendum iuste pena eterna.*

158 est ... uoluntatis] cf. e.g. Ans., *De conceptu uirg.*, 5 (147,1); 29 (172,8)

160 ridiculum ... 165 iustitia] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, 1, ad 1 (391a)

166 Nec ... 168 attribui] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, 1, ad 2 (391a)

169 inter ... 173 iustum<sup>2</sup>] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 1, 1, ad 4 (391a)

173 iustum<sup>1</sup> ... politico] cf. Arist., *Eth. Nic.*, V, 10, 1134b8-9

4 duorum ... 7 eterna] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, arg. 2 (397a)

[2] Item pene sunt medicine, ut dicitur *II Ethicorum*; set pena eterna nullius est medicina; ergo nullum peccatum est puniendum pena eterna. Minor probatur, quia pena eterna non est medicina ipsis dampnatis, quia sunt inemendabiles, nec beatis, quia sunt impeccabiles; et preter istos non erunt alii; ergo etc.

[3] In contrarium est quod dicitur *Matth. 25*: *Ibunt hii in supplicium eternum*; Deus autem nullum iniuste punit; quare etc.

[4] Responsio. Pena eterna est pena infinita et ideo sub dubio est qualiter culpa, que uidetur esse finita, cum sit temporalis, potest puniri iuste pena infinita. Distinguendum est ergo de infinitate pene, quia uel potest attendi secundum intensionem seu acerbitatem uel secundum durationem. Primo modo non est possibile dare penam infinitam, scilicet secundum acerbitatem seu intensionem, et si esset, non infligeretur pro peccato mortali.

Primum patet, quia in quacumque natura specifica est dare terminum in minus, in illa est dare terminum in maius; hii enim termini sibi inuicem correspondent; set in omni qualitate est necessarium dare terminum in minus, alioquin numquam posset corrumpi per contrarium remittens ipsum; ergo in omni qualitate est dare terminum in maius. Si sic, ergo non potest in infinitum intendi. Et confirmatur, quia sicut in quantitate secundum se et absolute non est dare terminum in minus, set est diuisibilis in infinitum, ita in ea non est dare terminum in maius, immo quantum est de se semper posset augeri in infinitum successiue; quare econtrario, quia in omni qualitate et in omni re naturali habente latitudinem graduum est dare terminum in minus, ergo necesse est dare terminum in maius, nec posse esse processum in infinitum etiam successiue, et multo magis impossibile est quod sit actu infinita; cum ergo acerbitas pene attendatur secundum intensionem qualitatis uel forme, quecumque sit illa, patet quod nulla pena potest esse infinita secundum acerbitatem.

8 pene ... medicine] cf. Arist., *Eth. Nic.*, II, 2, 1104b16-18; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, arg. 3 (397a-b)

13 Ibunt ... 14 eternum] *Matth.*, 25,46; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, sed contra 1 (397b)

15 Pena ... 19 durationem] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 3, 2, resp. 1 (446a)  
Pena ... 38 acerbitatem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 46, 2, resp., 1<sup>o</sup> (194rb-va)

[5] Secundum patet, scilicet dato quod posset esse infinita  
 40 intensiue, non tamen infligeretur pro peccato mortali, quia *pronior*  
*est Deus ad* reddendum premium pro merito quam ad infligendum  
 penam pro peccato; set pro nullo merito, quantumcumque magno,  
 reddet Deus premium infinitum intensiue (uisio enim beata erit  
 finita in quocumque erit); ergo pro nullo peccato seu demerito,  
 45 quantumcumque magno, infligetur pena infinita intensiue.

Si autem loquamur de infinitate pene quantum ad durationem, sic  
 peccato mortali debetur pena infinita iuste, quia sicut est in ciuilitate  
 mundana, sic suo modo debet esse in ciuilitate diuina; set in ciuilitate  
 mundana sic est quod ille qui ex culpa sua subuertit quantum in se  
 est pacem et amicitiam ciuium ad inuicem uel obedientiam ad  
 principem meretur totaliter extirpari a ciuitate per mortem, exilium  
 uel perpetuum carcerem, que pena est perpetua secundum  
 capacitatem subiecti et secundum intentionem legis quoad hoc ut in  
 perpetuum non reuocetur ad societatem communitatis contra quam  
 deliquit; ergo eodem modo debet esse in ciuilitate diuina, in qua  
 congregantur homines in lege fidei et caritatis quod ille qui subuertit  
 quantum est in se ordinem caritatis ad proximum uel subiectionis ad  
 Deum, quod fit per quodlibet peccatum mortale, meretur totaliter  
 extirpari a consortio Dei et sanctorum per mortem, exilium uel  
 carcerem. Hee autem pene sunt simpliciter perpetue in ciuilitate  
 diuina, scilicet mors secunda, exilium a patria et carcer inferni, quia  
 et subiectum istarum penarum | perpetuo durabit.

π408va

Secundo patet idem, quod manente culpa debet manere pena; set  
 in dampnatis perpetuo manebit culpa propter obstinationem mentis  
 eorum; ergo perpetuo remanebit pena.

Tertio, quia magis est peccator dignus pena perpetua propter  
 50 culpam suam quam iustus sit dignus premio propter quodcumque  
 meritum, quia iustus, quantumcumque bene operetur propter Deum,  
 in nullo constituit Deum debitorem; et ideo premium non est ei  
 reddendum secundum debitum stricte sumptum; set peccator

39 Secundum ... 57 eterna] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 46, 2, resp., 2° (194va-b)

40 pronior ... 42 peccato] cf. *Glossa ord. Ier.*, Prol. (99b); Ioh. Chrys., *Serm. de poen.*, 3  
 (326-327); cf. e.g. Thom., *Super Sent.*, IV, 12, 2, 2, 3, arg. 1 (528); 21, 1, 1, 1, arg. 3 (1046)

45 Si ... durabit] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, sol. (398a)

46 manente ... 48 pena] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, sol., ratio 4 (398b-399a)

uoluntarie diuertens se ab obedientia respectu Dei uere debet puniri  
secundum iustitiam, unde est uere debitor pene; set iustus propter 55  
opus meritorium premiatur premio eterno; ergo fortiori ratione  
peccator propter demeritum punitur iuste pena eterna.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod *quantitati peccati  
respondet quantitas pene secundum intensionem*, ut quanto peccatum  
est grauius tanto pena sit acerbior; utraque tamen pena tam maioris 60  
quam minoris peccati mortalis debet esse duratione eterna.

[7] Ad secundum argumentum dicendum est quod pene quantum  
ad institutionem sui sunt ad correctionem, ut earum timore homines  
retrahantur a malis; set quantum ad earum actualement inflectionem  
non semper sunt ad correctionem nisi pene ille que non sunt ad 65  
finalem exterminationem illius qui punitur; ille autem que sunt ad  
exterminationem possunt pro nunc esse ad correctionem aliorum, qui  
uisa pena corriguntur, set numquam sunt ad correctionem illius qui  
punitur.

### QUESTIO TERTIA

#### VTRVM IN PVNITIONE MALORVM CONCVRRAT DIVINA MISERICORDIA ET IVSTITIA

[1] Tertio queritur utrum in punitione malorum concurrat diuina  
misericordia cum iustitia. Et uidetur quod non, quia I a c. 2 dicitur 5  
quod *Iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam*;  
set nullum iudicium grauius est punitione malorum; ergo in  
punitione eorum non est misericordia.

[2] Item AVGVSTINVS super Ps.: Misericordia autem hic et  
iudicium erit in futuro; ergo in iudicio futuro erit iustitia sine 10  
misericordia.

58 quantitati ... 61 eterna] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, ad 2 (399a)

62 pene ... 69 punitur] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 1, 3, ad 3 (399a)

6 Iudicium ... misericordiam] cf. *Iac.*, 2, 13; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 3, 4, arg. 1 (408b)

9 Misericordia ... 10 futuro] cf. Aug., *Enarr. in Ps.*, C, 1 (1405, 12-17)

[3] Item in premiatione bonorum erit misericordia sine iustitia proprie dicta, quia *gratia Dei uita eterna*, Rom. 6; et *ibidem* cap. 8 dicitur quod *non sunt condigne passiones huius temporis* etc.; ergo in  
15 punitione malorum erit iustitia sine misericordia.

[4] In oppositum est quod dicitur in Ps.: *Vniuerse uie Domini misericordia et ueritas*. Et CASSIODORVS super Ps. 50 dicit, et habetur in littera, quod *hee due res, iustitia et pietas, in omni iudicio Dei adiuncte sunt*.

20 [5] Responsio. Circa questionem istam dicenda sunt duo. Primum est an in Deo sit misericordia; secundum est utrum misericordia sit in punitione malorum.

[6] Quantum ad primum sciendum est quod misericordia accipitur dupliciter: uno modo pro passione per quam compatitur  
25 aliquis alicui patienti, quasi partem passionis alterius in se ferens; alio modo accipitur pro habitu uel actu uoluntatis quo aliquis uult subleuare miseriam alterius. Accipiendo primo modo misericordiam, ipsa non est in Deo, quia misericordia ut dicit passionem includit in se tristitiam et penam; set nec tristitia nec pena potest esse in Deo;  
30 ergo nec misericordia ut est passio. Set accipiendo secundo modo misericordiam pro uoluntate releuandi miseriam alterius, sic est in Deo, quia Deus nichil facit circa nos nisi uolens; set Deus per sua beneficia miseras nostras frequenter subleuat; ergo in ipso est uoluntas tales miseras subleuandi, et per consequens misericordia  
35 secundo modo dicta.

Item omne commendabile simpliciter est Deo attribuendum; set in potente misericordia maxime est commendabilis, ut patet per AVGVSTINVM IX De ciuitate Dei cap. 5, ubi commendat CICERONEM, qui in laudem Cesaris sic locutus est dicens: *Nulla de*  
40 *uirtutibus tuis nec admirabilior nec gratior est misericordia*; ergo ipsa est in Deo ponenda.

13 gratia ... eterna] Rom., 6,23

14 non ... temporis] Rom., 8,18

16 dicitur ... 19 sunt] ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 2, sed contra I (444a)

Vniuerse ... 17 ueritas] Ps., 24,10

18 hee ... 19 sunt] cf. Cassiod., *Exp. in Ps.*, 50, 16 (466,548-549); Lomb., *Sent.*, IV, 46, 1 (530,10-11): hic et ille loquitur de misericordia et pietate

23 misericordia ... 35 dicta] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 1, sol. I (400b-401a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 1, resp. (443b-444a)

39 Ciceronem ... 40 misericordia] cf. Aug., *De ciu. Dei*, IX, 5 (254,15-16); Cic., *Pro Lig.*, 12, 37 (28)

Aduertendum est tamen quod cum nullus actus sit laudabilis nisi quatinus a ratione regulatur, ideo misericordia uel actus misericordie non est Deo attribuendus nisi secundum ordinem sapientie sue; propter quod sicut homo misericors non repellit laudabiliter nec 45 uirtuose miseriam alienam nisi quantum ratio iudicat, sic Deus non π408vb repellit miseriam nostram | nisi secundum quod ordo sapientie sue iudicat eam repellendam, que si secundum ordinem sapientie diuine totaliter repellatur, uocatur misericordia liberans, si uero non totaliter repellatur, set aliquid de ea minuatur, uocatur misericordia relaxans. 50 Et sic patet primum.

[7] Quantum ad secundum dicendum est quod *misericordia et iustitia accipiuntur quandoque large, ut misericordia dicatur omnis uoluntas faciendi bene alicui, iustitia uero dicatur condecencia diuine bonitatis*; et sic non solum in punitione malorum, set *in omni opere* 55 *Dei concurrunt misericordia et iustitia, quia quecumque Deus facit, facit secundum condecenciam diuine bonitatis et ex uoluntate bene faciendi creature*, uel illi circa quem agit uel alii uel communitati; et hoc modo *ex iustitia nascitur misericordia* secundum AVGVSTINVM, quia ex condecencia diuine bonitatis uult Deus facere aliquod bonum 60 creature.

Secundo modo *accipiuntur misericordia et iustitia magis stricte*, prout *misericordia dicit uoluntatem subueniendi miseris aliorum preter merita, iustitia uero dicit uoluntatem retribuendi secundum exigenciam meritorum*; et hoc modo misericordia et iustitia non concurrunt ad 65 omne opus diuinum, *concurrunt* tamen *in retributione* iustorum et punitione malorum.

De retributione bonorum patet sic, quia reddere premium excedens meritum est opus iustitie et misericordie; quatinus enim redditur premium pro merito opus iustitie est, set inquantum 70 meritum excedens est est opus misericordie; set in premiatione iustorum redditur premium excedens meritum, cum non sint equalis ualoris opera meritoria et gloria seu uita eterna; ergo etc. De

42 Aduertendum ... 50 relaxans] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 1, sol. 1 (401a)

52 misericordia ... 67 malorum] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 2, resp. (444b); Bonau., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 2, resp. (964a-b)

59 ex ... misericordia] Ans., *Prosl.*, 9 (108,10); 11 (109,19-29)

60 ex ... 61 creature] cf. Ans., *De concordia*, III, 14 (287,25-26); *Cur Deus homo*, II, 5 (100,16-28)

68 reddere ... 71 misericordie] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 15, 4, 7, sol. 3 (760-761)

punitioe malorum patet idem sic, quia secundum rigorem iustitie  
 75 propter uitium ingratiitudinis meretur aliquis priuari omnibus  
 beneficiis gratis acceptis; set quidquid sumus et quidquid habemus,  
 totum a Deo accepimus secundum illud APOSTOLI I C o r. 4: *Quid*  
*habetis quod non accepistis?*; ergo per ingratiitudinem que committitur  
 in omni peccato mortali meretur peccator amittere secundum  
 80 rigorem iustitie quidquid a Deo accepit, hoc est quidquid est in se et  
 quidquid habet in se, quo facto esset homo annichilatus; cum ergo in  
 punitioe malorum non fiat annichilatio eorum, patet quod est ibi  
 misericordia aliquid relaxans ut uere possint dicere illud  
 T r e n o r u m 3: *Misericordie domini, quia non sumus consumpti*;  
 85 quare etc.

[8] Ad primum argumentum dicendum quod auctoritas beati  
 IACOBI intelligitur de misericordia totaliter liberante, que non est in  
 condemnatione malorum; est tamen ibi misericordia aliquid  
 relaxans de pena, ut dictum est.

90 [9] Per idem patet ad secundum, quia quamuis hic et in futuro sit  
 iudicium et misericordia, differenter tamen, quia hic est iudicium  
 cum misericordia totaliter liberante, que est perfecta misericordia, set  
 in futuro erit iudicium sine misericordia liberante, non tamen sine  
 misericordia relaxante; et quia illa non est misericordia perfecta sicut  
 95 est misericordia liberans, ideo hic dicitur esse misericordia per  
 excellentiam, ibi autem iudicium.

[10] Ad tertium dicendum quod non est simile de premiatione  
 bonorum et punitioe malorum, quia meritum bonorum non potest  
 esse meritum simpliciter de condigno, quia tale meritum includit  
 100 simpliciter iustum, quod non potest esse inter Deum et hominem in  
 acceptatione et retributione bonorum; set demeritum malorum est  
 proprie et simpliciter demeritum, immo tanto amplius demerentur  
 quanto Deo sunt magis obligati quam obligetur homo homini; et  
 ideo pena que eis pro demeritis infligitur debetur eis secundum  
 105 iustitiam proprie dictam.

77 Quid ... 78 accepistis] cf. I Cor., 4,7

84 Misericordie ... consumpti] Lam., 3,22; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 46, 2, 2, 1, ad 4  
 (405a)

88 est ... 89 pena] cf. supra, 7 (159,82-83)

97 premiatione] *coni.*: punitioe π 99 meritum<sup>1</sup>] *me* π

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XLVII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Solet etiam queri*. Superius determinauit MAGISTER de misericordia et iustitia; hic determinat de iudicii modo. Et habet tres partes. Primo enim inquit de iudicii modo; secundo de ministris ibi: *Non autem Christus solus iudicabit*; tertio de iudiciis: prima <q.> dist. 5  
48: *Solet etiam queri*. Due prime partes sunt presentis lectionis, quarum secunda habet tres. Primo enim determinat de iudicis assessoribus; secundo de iudicandorum conditione; tertio de iudicii  
π409ra ministris: prima ibi: *Non solum autem Christus*; secunda | ibi: *Erunt autem quatuor*; tertia ibi: *Cum autem in euangelio*. Et ista habet duas 10  
secundum duas questiones quas incidenter mouet; secunda ibi: *Solet etiam queri*.

[2] Proponit ergo primo MAGISTER quod quidam ponunt iudicium non uoce uel scriptura proferendum, quia APOSTOLVS dicit illud fieri in ictu oculi, set diuina uirtute manifestabuntur conscientie 15  
singulorum qui pena uel premio digni sunt. Alii uero ponunt quod uerba premissa APOSTOLI de resurrectionis statu plus quam de iudicio intelliguntur; iudicabit etiam non solum Christus, set cum eo uniuersitas perfectorum. Quatuor autem erunt ordines in iudicio: aliqui iudicabuntur et peribunt; aliqui non iudicabuntur et peribunt; 20  
tertii iudicabuntur et non peribunt; quarti non iudicabuntur et regnabunt, sicut per exempla declarat in litera. Deinde querit an angelorum officio exercebuntur aliqua in iudicio. Et respondent quod per eorum ministerium congregabuntur omnes ad iudicium, quorum

6 *Solet ... queri*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48 (542-547)

9 *Non ... Christus*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 2 (537-538)

*Erunt ... 10 quatuor*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 3 (538-540)

10 *Cum ... euangelio*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 4-5 (540-542)

11 *Solet ... 12 queri*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 5 (541-542)

20 *aliqui<sup>1</sup> ... peribunt<sup>1</sup>*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 3, 2 (539,3-9)

*aliqui<sup>2</sup> ... peribunt<sup>2</sup>*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 3, 2 (539,3-9)

21 *tertii ... peribunt*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 3, 3 (539,16-19)

*quarti ... 22 regnabunt*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 3, 3-4 (539,19-540,5)

24 *per ... iudicium*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 4, 1 (540)

*quorum ... 25 precedet*] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 4, 2 (540)



25 ministerium *ignis precedet*, et diuina sententia sequetur. In fine subdit quod secundum quosdam in inferno homines non punientur nisi in ministerio diuino, quia secundum eos post iudicium cessabit omnis prelatio; secundum alios uero qui fuerunt intentiores in culpa, erunt tortores in pena.

30

## QVESTIO PRIMA

## VTRVM GENERALE IVDICIUM SIT FUTVRVM

[1] Circa istam distinctionem primo queritur utrum generale iudicium sit futurum. Et uidetur quod non, quia *executio sententie non precedit iudicium*; set sententia omnium tam bonorum quam  
35 malorum decedentium statim mandatur executioni; ergo isti amplius non iudicabuntur.

[2] Item *Naum 1* dicitur quod *non iudicabit Deus bis in idipsum*; set Deus iudicat quemlibet in morte, infligendo ei pro meritis penas uel premia; ergo post hoc nullum erit iudicium.

40 [3] Item, si iudicium generale esset futurum, tunc in eo omnes iudicarentur, alioquin non esset generale; set non omnes, neque boni neque mali, iudicabuntur; ergo etc. Minor probatur et primo de bonis, quia *Matth. 19* dicit Christus apostolis: *Sedebitis super sedes iudicantes* etc.; ipsi ergo iudicabunt, non ergo iudicabuntur. De malis  
45 autem dicitur in *Ps.*: *Non resurgent impii in iudicio neque peccatores* etc.

26 in<sup>1</sup> ... 29 pena] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 47, 5 (541-542)

33 executio ... 34 iudicium] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, 1, arg. 2 (413b)

executio ... 36 iudicabuntur] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, arg. 3 (492a)

37 Item ... 39 iudicium] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, 1, arg. 1 (413b)

non ... idipsum] Lomb., *Sent.*, IV, 15, 1 (325); cf. *Nahum*, 1,9; ap. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, arg. 2 (492a)

43 Sedebitis ... 44 iudicantes] cf. *Matth.*, 19,28; ap. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, arg. 5 (492a)

45 Non ... peccatores] cf. *Ps.*, 1,5; Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, arg. 4 (492a)

[4] In contrarium est quod dicitur I o h . 5: *Procedent hi qui bona fecerunt in resurrectionem uite, qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicii.*

[5] Ad idem est quod dicit AVGVSTINVS XX De ciuitate Dei, 50 quod tota ecclesia expectat generale iudicium futurum; et est articulus fidei, ut patet in symbolo.

[6] Responso. Circa questionem istam uidenda sunt tria. Primum est principaliter querere, scilicet an generale iudicium est futurum; secundum est qualiter fiet, mentaliter an uocaliter; tertium est 55 quando fiet et ubi.

[7] Quantum ad primum tenendum est quod generale iudicium est futurum; et hoc magis propter auctoritatem sacre Scripture quam propter aliam rationem. Et nichilominus potest hoc persuaderi dupliciter. Primo sic: congruum est fieri finalem separationem 60 bonorum a malis; et ita fiet per generale iudicium, ut apparet Ma t t h . 25, ubi dicitur quod separabunt bonos a malis *sicut separat pastor oues ab edis*; ergo congruum est quod tale iudicium fiat. Minor iam patet. Set maior declaratur. Nam secundum AVGVSTINVM ratio quare mali permittuntur esse cum bonis est uel ut mali conuertantur 65 per exempla bonorum uel ut boni exercentur in operibus patientie et aliarum uirtutum per ea que habent pati a malis; set post iudicium non erit tempus exercitationis iustorum in operibus patientie et ceterarum uirtutum, quia tunc habebunt coronam, nec mali erunt corrigibiles; ergo congruum est quod separentur ab inuicem. 70 Secundo, quia boni remunerabuntur et mali punientur non solum in anima, set etiam in corpore; set resurrectio omnium quoad corpus erit in fine mundi; ergo tunc erit aliquod finale iudicium quo finaliter boni remunerabuntur et mali punientur quoad corpus. Et sic patet primum. 75

47 *Procedent ... 49 iudicii*] *Iob.*, 5,29; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, 1, sed contra 2 (414a)

51 *tota ... futurum*] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 8 (712,16-713,27); 9, (717,56-62); uide etiam *Enchir. Symb.*, n.150 (85)

60 *Primo ... 74 corpus*] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, resp., 1°-2° (198rb) congruum ... 70 inuicem] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, (c), ratio 1 (494b)

62 *separabunt ... 63 edis*] cf. *Matth.*, 25,32

64 *ratio ... 67 malis*] cf. Aug., *Quaest. XVI in Matth.*, XI, 9 (132,179-187)

71 *boni ... 74 corpus*] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, (c), ratio 2 (494b-495a)

[8] Quantum ad secundum est duplex opinio: una est quod totum illud quod fiet in iudicio fiet mentaliter et non uocaliter. Cuius ratio est quia sententia debet correspondere testimoniis ex quibus proceditur ad sentiendum; set testimonia et accusationes malorum erunt solum mentalia secundum illud Rom. 2: *Testimonium reddet illis conscientia ipsorum et inter se inuicem cogitationum accusantium aut defendentium in die quo iudicabit Deus occulta cordium*; ergo sententia erit mentalis tantum. π409rb

Ad idem est quod dicit beatus AVGVSTINVS XX De ciuitate Dei, quod liber ille de quo Apoc. 20 dicitur *intelligenda est quedam uis diuina, que fiet ut cuique opera sua, bona uel mala, in memoriam reuocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur ut accuset uel excuset scientia conscientiam, itaque omnes simul et singuli iudicentur.*

[9] Alia opinio est quod licet discretio meritorum et demeritorum fiat tantum mentaliter, sicut satis expresse dicit auctoritas statim allegata, tamen sententia proferetur uocaliter. Quod probatur, quia Christus iudicabit ut Deus et ut homo; ergo iudicium eius fiet non solum diuino modo, set etiam humano; fiet autem diuino modo per hoc quod merita et demerita uniuscuiusque ad memoriam imperceptibiliter reuocabuntur, et sic discussio eorum erit mentalis; modo autem humano fiet, si sententia sit uocalis; ergo utroque modo fiet iudicium, scilicet mentaliter et uocaliter.

Item sententia debet aptari hiis contra quos fertur; ergo sicut nunc in iudicio particulari fertur sententia mentaliter uel spiritualiter contra animas exutas corporibus que ut sic sunt mere spiritus, ita in iudicio generali debet ferri sententia contra animas resumptis corporibus, partim spiritualiter, partim corporaliter. Quod fiet si

76 duplex ... 98 uocaliter] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, resp. (450b); Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 2, resp. (625b-626a)

78 sententia ... 83 tantum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, 2, sed contra 2 (414b); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 2, resp., 3° (198rb)

80 Testimonium ... 82 cordium] cf. *Rom.*, 2, 15

85 liber ... dicitur] cf. *Apoc.*, 20, 12

liber ... 89 iudicentur] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 14 (724, 42-47); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 1, 2, sed contra 1 (414a-b); ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 2, resp., 1° (198va)

90 Alia ... 107 probabilis] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 47, 1, 3 (96vb)

licet ... 92 uocaliter] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, (e) (498a)

85 intelligenda] *coni.*: intelligendus π      92 sententia] *coni.*: scientia π

discussio meritorum sit mentalis, sicut omnino est probabile, quia si  
esset uocalis requireret longissimum tempus, prolatio uero sententiae 105  
sit uocalis, que poterit fieri ualde modico tempore; et hec opinio  
uidetur satis probabilis. Et sic patet secundum.

[10] Quantum ad tertium dicendum est quod tempus iudicii non  
potest esse alicui notum per certitudinem, cum dependeat ex mera  
Dei uoluntate, de cuius expressione Scriptura nichil loquitur. Nec est 110  
probabile quod Deus alicui reuelauerit, cum reuelationem eius Filius  
negauerit apostolis, ut habetur Act. 1.

Ratio autem quare Deus uoluit hominibus esse occultum, potest  
esse quia illud quod respicit immutationem totius uniuersi debet soli  
Deo, qui uniuerso preest, esse notum; set finis mundi sicut eius 115  
inceptio respicit immutationem totius uniuersi; et ideo congruum est  
ut finis mundi seu cessatio motus celi, quo cessante statim erit  
iudicium, sit Deo soli precognita. De loco autem iudicii tenetur quod  
Dominus descendet supra uallem Iosaphat, que est inter montem  
Syon et Oliueti posita, non quidem usque ad terram nec prope 120  
terram, set usque ad locum ubi apostoli amiserunt aspectum suum  
quando ascendit ad celum *et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, ut  
dicitur Act. 1.

[11] Ad primum argumentum dicendum quod sententia generalis  
iudicii erit uniuersalis separatio bonorum a malis et remuneratio 125  
bonorum et punitio malorum non solum in anima, set etiam in  
corpore, et executio huius sententiae non fit modo, set fiet post  
generale iudicium; nunc tantum fit executio particularis iudicii, quo  
quilibet iudicatur in morte per premium uel penam pertinentem ad  
solam animam. 130

[12] Ad secundum dicendum quod *Deus neminem iudicabit bis in  
id ipsum*, quia non infliget pro uno peccato duas penas, quarum  
quelibet sit proportionata culpe; pena enim que infertur in iudicio  
particulari non est equata culpe, set est pars pene totalis, que postea  
erit in anima et corpore, quamuis in duplici iudicio hee pene 135

111 reuelationem ... 112 apostolis] cf. Act., 1,7

118 De ... 120 posita] cf. Lomb., Sent., IV, 48, 4, 1 (545,11-14)

De ... 122 eorum] cf. Petr. de Tarant., Super Sent., IV, 48, 1, 4, resp. 1 (460b)

122 ascendit ... eorum] Act., 1,9

131 Deus ... 140 iudicabitur] cf. Thom., Super Sent., IV, 47, 1, 1, 1, ad 1 (415b)

determinentur, et rationabiliter, quia quilibet homo et est quedam singularis persona et est pars communitatis; et ob hoc debetur ei duplex iudicium: unum singulare, quod de quolibet fit in morte, aliud uniuersale quando finaliter totum genus humanum, cuius  
 140 quilibet est pars, iudicabitur.

[13] Ad tertium dicendum quod *ad iudicium duo pertinent, scilicet discussio meritorum et retributio premiorum* uel penarum. *Et secundum hoc duplex dicitur esse iudicium, scilicet disceptationis et retributionis;* iudicio retributionis *omnes iudicabuntur*, quia omnes punientur uel  
 145 premiabuntur, set iudicio discussionis non omnes iudicabuntur, set solum illi quorum merita sunt permixta demeritis uel econuerso.

Propter quod sic dicitur communiter | quod quidam sunt quorum π409va  
 mala sunt impermixta bonis meritoriis, sicut sunt illi qui caruerunt fide, sine qua non est meritum; et ideo isti non iudicabuntur iudicio  
 150 discussionis, set sine discussione dampnabuntur; de quibus intelligitur illud Ps.: *Non resurgent impii in iudicio*, scilicet disceptationis. Alii sunt quorum bona merita sunt impermixta malis, ut sancti perfecti quemadmodum fuerunt perfecti apostoli et pauperes eorum ymitatores; et isti non iudicabuntur, set regnabunt et  
 155 alios iudicabunt aliquo modo, ut infra dicitur, et de hiis procedit argumentum in hoc sensu. Alii uero sunt quorum merita permixta sunt cum demeritis, quia quandoque peccauerunt mortaliter uel uenialiter, et tamen in caritate decesserunt; et isti iudicabuntur propter permixtionem bonorum cum malis, uerumptamen  
 160 saluabuntur. Alii uero sunt quorum mala permixta sunt cum bonis, set decesserunt cum malis et extra caritatem; et hii iudicabuntur propter eandem rationem, set dampnabuntur propter defectum caritatis. Et hec est quadrimembris distinctio quam ponit MAGISTER in littera.

141 ad ... 146 econuerso] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 3, sol. 2 (423a-b); ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 3, resp. (199vb)

ad ... 160 saluabuntur] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 47, 1, 3, resp. (452b-453a)

151 Non ... iudicio] Ps., 1, 5

154 isti ... 155 modo] cf. infra, 48, 1, 9 (179,126-128)

163 quam ... 164 littera] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 45, 2, 2 (524,14-16); Aug., *Enchir.*, XXIX, 110 (109,26-29)

## QVESTIO SECVNDA

VTRVM IN GENERALI IVDICIO QVILIBET COGNOSCAT PECCATA SVA  
OMNIA ET PECCATA ALIORVM

[1] Secundo queritur utrum in generali iudicio quilibet cognoscat peccata sua omnia et peccata aliorum. Et arguitur quod non, quia 5  
*crescente causa crescit effectus; set causa que facit nos dolere de peccatis, que ad memoriam reuocantur, est caritas, que in sanctis resurgentibus erit maior quam sit in uiatoribus; ergo si sancti post resurrectionem recolant de peccatis, uidetur quod doleant de eis. Hoc autem est falsum, cum scriptum sit Apoc. 21 quod fugiet ab eis dolor et 10 gemitus; ergo peccata propria ad memoriam non reuocabuntur.*

[2] Item *omne quod cognoscitur uel cognoscitur in se uel in sua causa uel in suo effectus; set peccata uel merita que preterierunt uel que sunt in conscientia alicuius non poterit alius cognoscere in se ipsis, quia aut non sunt aut in corde latent, cuius solus Deus est cognitor; nec in sua 15 causa per eandem rationem, quia aut causa proxima inclinans uoluntatem ad merendum uel demerendum tunc non erit, et dato quod esset, cum non inclinauerit uoluntatem ex necessitate, set libere, per eam non possent merita uel demerita alterius certitudinaliter cognosci; item nec per effectus, quia multa demerita fuerunt in sanctis 20 que totaliter erunt abolita per penitentiam, ita quod nullus effectus ex ipsis remanebit; ergo, ut uidetur, unus non poterit cognoscere merita uel demerita alterius.*

[3] In contrarium arguitur per AVGVSTINVM XX De ciuitate Dei, qui dicit quod *quedam uis diuina aderit, qua fiet ut cuncta 25 peccata ad memoriam reducantur; ergo quilibet cognoscet omnia peccata sua et eadem ratione omnia merita sua.*

6 crescente ... 10 falsum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 5, arg. 1 (169va)  
crescente ... 11 reuocabuntur] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 5, 1, arg. 3 (288b)

10 fugiet ... 11 gemitus] cf. *Apoc.*, 21,4

12 omne ... 23 alterius] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 5, 2, arg. 2 (289a-b)

15 in<sup>1</sup> ... cognitor] cf. *Dan.*, 13,42; *Sap.*, 1,6

25 quedam ... 26 reducantur] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 14 (724,42-44)

Idem uidetur de peccatis uel meritis aliorum per quamdam glossam que dicit super illud I C o r. 4: *Illuminabit abscondita tenebrarum,*  
 30 quod *gesta et cogitata bona et mala tunc aperta et nota erunt omnibus.*

[4] Responso. Circa questionem istam uidenda sunt duo, que tanguntur in argumentis. Primum est utrum in iudicio quilibet cognoscet omnia mala et bona que fecit; secundum est utrum quilibet cognoscet omnia bona et mala omnium aliorum.

35 [5] Quantum ad primum est concors opinio DOCTORVM quod quilibet cognoscet omnia bona et mala que fecit; et hoc patet ratione et auctoritate. Ratio est quia *sicut se habet humanum iudicium ad testimonium exterius, ita se habebit diuinum iudicium ad testimonium interioris conscientie.* Nam, sicut dictum fuit prius, cogitationes  
 40 uniuscuiusque tenebunt in generali iudicio locum testium accusantium uel defendentium, ut tangit APOSTOLVS R o m. 2; set in iudicio humano, si secundum ueritatem debeat proferri sententia, oportet quod testes omnia cognoscant de quibus est sententialiter iudicandum, siue ad absolutionem siue ad condemnationem; ergo  
 45 in iudicio diuino, quod est perfectissimum et in quo nullus poterit esse error, oportebit quod conscientie singulorum, que tenebunt locum testium, cognoscant omnia pro quibus feretur iudicium absolutionis quoad bonos uel condemnationis quoad malos; set omnia illa erunt merita et demerita singulorum; quare etc.

50 Ad idem est illud | euangelii quod *de omni uerbo otioso quod locuti* *π409vb*  
 *fuerunt homines rationem reddent in die iudicii;* set illud est minimum peccatum; ergo fortiori ratione reddetur ratio de omnibus peccatis; set non potest ratio reddi de illis nisi cognoscerentur; ergo etc.

Per quem autem modum ista cognoscentur? Certum est quod non  
 55 naturaliter, quia omne quod cognoscimus naturaliter uel accipimus de nouo per sensum uel educimus de thesauro memorie; set post

28 Idem ... 30 omnibus] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 5, sed contra (169va-b)

29 super ... 30 omnibus] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 5, 2, sed contra I (289)

Illuminabit ... tenebrarum] I *Cor.*, 4,5

30 gesta ... omnibus] cf. Lomb., *I ad Cor.*, 4 (1566B); *Glossa ord. I Cor.*, 4, 5 (312c)

37 sicut ... 49 singulorum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 5, resp., 2° (169vb); Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 5, sol. 2 (291a)

39 cogitationes ... 41 defendentium] cf. *Rom.*, 2,15

50 de ... 51 iudicii] cf. *Matth.*, 12,36

54 Certum ... 60 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 43, 5, resp., 1° (169vb)

39 dictum] uictum π

resurrectionem nullus poterit per sensum accipere cognitionem meritorum uel demeritorum que preterierunt, nec cognitio omnium poterit haberi naturaliter per modum memorie, quia multa eorum totaliter a memoria exciderunt; quare etc. 60

Item nec cognoscentur cognitione beata, non solum propter illud quod dictum fuit prius, quando querebatur an sancti cognoscant orationes nostras, set propter aliud, scilicet quia talis cognitio erit communis bonis et malis, ut iam dictum est; cognitio autem beata non erit eis communis; quare etc. Relinquitur ergo quod hoc fiet per 65 modum reuelationis. Nec est inconueniens quod malis reuelentur mala ad eorum penam, nam et malis angelis credibile est multa per bonos angelos reuelari.

[6] Quantum autem ad secundum est duplex modus dicendi: unus quod quilibet cognoscat omnia merita et demerita aliorum, quia illud 70 iudicium, cum sit generale et finale, debet esse perfectissimum; ad perfectionem autem iudicii maxime facit quod appareat omnibus esse perfectum et iustum; non posset autem omnibus apparere iustum esse nisi cuilibet appareret causa dampnationis uel remunerationis tam bonorum quam malorum; cum igitur ista causa sint singulorum 75 merita uel demerita, uidetur quod singuli cognoscant non solum bona et mala que ipsi fecerunt, set etiam omnium aliorum.

Alius modus est, scilicet quod non oportet ad hoc quod sententia iudicis appareat iusta, quod quilibet cognoscat sigillatim omnia merita uel demerita aliorum; set sufficit quod cognoscat illos qui 80 erunt a dextris esse bonos et iustos, quibus dicitur: *Venite benedicti* etc., illos autem qui erunt a sinistris cognoscat esse malos et iniustos, quibus dicitur: *Ite maledicti* etc. Et sine dubio non occurrit aliqua auctoritas sacre Scripture que expresse dicat quod peccata alicuius in speciali fiant aliis nota, quamuis sit expressa auctoritas beati 85 AVGVSTINI quod quilibet in speciali sua peccata cognoscat. Dicit enim XX De ciuitate Dei quod omnia *mentis intuitu* enumerabuntur. Quod autem cognoscitur solum in genere, non enumeratur.

62 an ... 63 nostras] cf. supra, 45, 4 (142-147)

70 quilibet ... 71 perfectissimum] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 47, 1, (c) (494b-495a)  
 quilibet ... 77 aliorum] cf. Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 43, 2, 2, resp. (95rb)

81 Venite benedicti] cf. *Matth.*, 25,34

83 Ite maledicti] cf. *Matth.*, 25,41

87 omnia ... 88 enumerabuntur] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 14 (724,45)



90 Que istarum opinionum sit uerior, non potest sciri per  
certitudinem; utraque tamen est possibilis, quamuis sit multum  
difficile uidere qualiter mali possint singula peccata omnium  
cognoscere, uel uno intuitu uel pluribus, in tam breuissimo tempore  
quo creditur iudicium terminari; nichilominus tamen non est magis  
95 difficile de malis quam bonis, quia cum cognitio talium non pertineat  
ad uisionem diuinam, sic omnes ille cognitiones possunt esse bonis et  
malis, ideo idem iudicium est de utrisque.

[7] Ad primum argumentum dicendum quod beati habebunt  
memoriam peccatorum non ad penam, set ad gloriam.  
100 Recordabuntur enim quod euaserunt pericula in quibus alii  
remanserunt, et ex hoc gaudebunt et Deum laudabunt; set nisi plus  
dicatur, argumentum non erit solutum, quia si beatus habebit  
memoriam de peccato mortali quod commisit, quero quem actum  
uoluntatis habebit circa illud, utrum actum complacentie an  
105 displicentiae: non complacentie, quia ille esset actus peruersus; ergo  
displicentiae; set omnis displicentia penam habet; quare etc.

Dicendum ergo quod beatus recordabitur peccatorum que fecit et  
displicebunt ei; nec tamen tristabitur uel habebit penam aliquam ex  
hoc, nam causa potest impediri a suo effectu, producendo per causam  
110 contrariam efficaciorum; quamuis ergo displicentia nata sit causare et  
tristitiam et penam, tamen ex presentia Dei in ratione summi boni  
beatificantis causabitur summum gaudium in uoluntate, quod  
propter sui magnitudinem excludet omnem tristitiam, non solum  
contrariam, set etiam contingentem.

115 [8] Ad secundum dicendum quod multis aliis modis cognoscitur  
aliquid quam in se uel in sua causa uel in suo effectu. Cognoscitur  
enim aliquid per suum simile, per suum contrarium et per suum  
signum et multis aliis modis, quibus non erit Deo difficile reuocare  
unicuique ad memoriam | peccata sua; talis enim cognitio, ut patet ex π410ra  
120 auctoritate AVGVSTINI prius allegata, fiet uirtute diuina.

[9] Prima auctoritas que est in contrarium ab OMNIBVS conceditur;  
secunda etiam conceditur ab ILLIS qui tenent quod omnia erunt  
omnibus nota etiam in speciali; qui autem tenent aliam opinionem  
exponunt eam de cognitione peccatorum aliorum in genere et non in  
125 singulari; quare etc.

109 causa ... 110 efficaciorum] cf. Thom., *S.c.g.*, III, 86, 2627

120 auctoritate Augustini] cf. supra, 3 (166); Aug., *De ciu. Dei*, XX, 14 (724,45)

## QVESTIO TERTIA

VTRVM MVNDVS SIT PVRGANDVS PER IGNEM EIVSDEM SPECIEI CVM  
IGNE NOSTRO

[1] Tertio queritur utrum mundus sit purgandus per ignem eiusdem speciei cum igne nostro. Et uidetur quod non, quia *purgatio* que fit 5  
*secundum diuinam iustitiam* respicit *immunditiam culpe*; set in  
*elementis huius mundi non potest esse aliqua culpe infectio*; ergo *ipsa*  
*purgatione non indigebunt*.

[2] Item corpora simplicia que sunt eiusdem speciei habent eundem motum; set ignis ille non habebit talem motum quem 10  
elementum ignis, quia ignis elementum mouetur sursum, ille autem  
ignis mouebitur circumquaque, ut totum possit purgare; ergo non  
erit ignis eiusdem speciei cum igne nostro.

[3] In contrarium arguitur quia omnis innouatio fit per aliquam purgationem; set elementa innouabuntur, ut dicitur Apoc. 21: *Vidi* 15  
*celum nouum et terram nouam*; ergo illa purgabuntur, et non nisi per  
ignem, secundum quod dicitur II Petr. ultimo: *Elementa ignis*  
*ardore tabescent*; ergo etc.

[4] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt tria. Primum est an mundus sit purgandus; secundum est utrum ista purgatio 20  
facienda sit per ignem et qualis erit ille ignis; tertium est an illa  
purgatio precedat iudicium an sequatur.

[5] Quantum ad primum dicendum est quod mundus purgabitur et innouabitur circa tempus iudicii. Et illud magis tenetur auctoritate Scripture et Sanctorum quam ratione; nichilominus tamen potest ad 25  
hoc talis persuasio adhiberi quia finis et *ea que sunt ad finem debent*  
*proportionari*; set homo est quodammodo finis omnium corporalium,  
saltem generabilium et corruptibilium; ergo illa debent homini  
proportionari; set homo in resurrectione innouabitur et immutabitur

5 purgatio ... 8 indigebunt] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, 1, arg. 2 (424b)

9 corpora ... 13 nostro] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, 3, arg. 3 (425b); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 4, arg. 3 (200ra)

14 omnis ... 17 ignem] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, arg. 3 (454b)

15 Vidi ... 16 nouam] *Apoc.*, 21,1

17 Elementa ... 18 tabescent] II *Petr.*, 3,12

26 finis ... 27 proportionari] cf. Thom., *Super Sent.*, III, 24, 3, 1, ad 3 (775)

finis ... 32 statum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 4, 1, resp. (200ra-b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, resp. 1 (454a); Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 3, sol. 3 (434a)

27 homo ... 28 corruptibilium] cf. *Auct. Ar.*, 15, 25 (253,26)

30 in meliorem, puriorem et nobiliorem dispositionem; ergo congruum est ut mundus corporalis, qui factus est propter hominem, innouetur et immutetur in meliorem et puriorem et nobiliorem statum.

[6] Hec autem purgatio uocatur innouatio mundi, que consistit in duobus secundum duplicem impuritatem que reperitur in rebus  
 35 corporalibus: una est impuritas commixtionis per mutuam actionem elementorum et aliarum rerum ad inuicem, et hec est impuritas nature; alia est impuritas proueniens ex culpa. *Quamuis enim res corporalis non possit esse subiectum infectionis culpe, tamen ex culpa relinquitur in rebus corporalibus quedam incongruitas ad hoc ut*  
 40 *spiritualibus dedificentur; unde uidemus quod loca in quibus aliqua crimina sunt commissa non reputantur ydonea ad aliqua sacramenta in eis exercenda nisi quadam purgatione premissa; et secundum hoc pars mundi que in usum nostrum ex peccatis hominum contraxit quandam inydoneitatem* respectu sacramentorum, propter quod indiget purgari  
 45 non solum a prima impuritate, set etiam a secunda.

Ex quo patet quod non purgabitur totus mundus quantum ad quamlibet sui partem, set solum quantum ad illam que cessit in usum hominum uel ad quem facta hominum quoquo modo pertingere potuerunt; et hec est pars illa ad quam aque diluuii attigerunt propter  
 50 eandem causam, et ideo celi superiores non purgabuntur, nec spera ignis nec superior pars aeris, set tantum inferior. Vnde dicitur in Ps. quod *celi peribunt*, et II Petr. 3 dicitur quod *celi ardentes soluentur*, quod intelligendum est de celo aereo; unde beatus *PETRVS exponit se de quibus celis intelligatur; premitit enim ante uerba quod celi prius et*  
 55 *terra per aquam perierunt, celi autem qui nunc sunt et terra eodem uerbo repositi sunt seruati igni in diem iudicii. Illi igitur celi per ignem purgabuntur | qui prius per aquam diluuii sunt purgati, scilicet celi* π410rb  
*aerei*. Et sic patet primum.

[7] Quantum ad secundum dicendum est quod illa purgatio fiet  
 60 per ignem conuenientissime, quia per illud quod est purius debent

37 Quamuis ... 45 secunda] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, sol. 1 (425b-426a); Guill. Petr. de God., *Lect. Thom.*, IV, 47, 2, 1 (98vb)

Quamuis ... 49 potuerunt] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 47, 4, 1, ratio 3 (200rb)

52 celi peribunt] cf. Ps., 101,26-27

celi<sup>2</sup> ... soluentur] II Petr., 3,12

53 Petrus ... 58 aerei] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, 1, ad 2 (429b)

impuriora purgari; set ignis inter omnia corporalia est purior puritate opposita duplici impuritati in elementis purgande; ergo per ignem debent illa purgari. Minor declaratur, quia *ignis non recipit permixtionem extranei propter suam maximam uirtutem actiuam, sicut cetera elementa et spera ignis est etiam magis remota a nostra habitudine;* 65 et si apud nos inueniatur, *eius usus tamen non est ita communis sicut aque, aeris et terre, et ideo non tantum inficitur,* propter quod congruentissime per eum fiet purgatio ceterorum.

Qualis autem debet esse ille ignis, aduertendum est quod si est uerus ignis compositus ex materia et forma, tunc de nouo creabitur 70 uel ex preiacente materia generabitur; et quidquid horum detur, oportet dicere quod uel duo corpora sint tunc simul, scilicet ignis et aer, usque ad locum ad quem aque diluuii ascenderunt, scilicet *quindecim cubitis super altitudinem montium,* uel quod tantum de aere corrumpatur. Et quidquid sit de primo, secundum conceditur ab 75 OMNIBVS tamquam possibile, uerumptamen non concordat cum auctoritatibus Sanctorum; dicitur enim in glossa super illud I C o r. 7: *Preterit figura huius mundi quia pulcritudo, non substantia huius mundi preterit; set constat quod substantia elementorum pertinet ad perfectionem huius mundi; ergo elementa non consumentur quantum ad* 80 *suam substantiam.*

Et iterum: sicut purgabitur aer per ignem, et ita aqua et terra; set constat quod substantia aque et terre non peribit in aliqua sui parte; ergo nec aeris. Propter quod uidetur QVIBVSDAM, et probabiliter, quod ille ignis non erit nisi quedam ignitio elementi purgandi, sicut 85 ferrum ignitur non recipiendo formam substantialem in se, set uehementem calorem, que quidem eius est ignitio; et ad hoc uidetur COMMVNIS DOCTOR declinare, qui dicit quod *manebunt elementa*

63 ignis ... 68 ceterorum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, sol. 2 (426b)

74 quindecim ... montium] *Gen.*, 7,20; cf. e.g. Aug., *De Gen. ad litt.*, III, 2 (63,24-25); Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, 1, sed contra 2 (428b)

77 dicitur ... 81 substantiam] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, 2, sed contra 1 (429a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, sed contra 1 (455a)

78 Preterit ... mundi] I C o r., 7,31

pulcritudo ... substantia] *Glossa ord. I C o r.*, 7, 31 (318c)

82 sicut ... 84 aeris] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, 2, sed contra 2 (429a)

85 ille ... 87 ignitio] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, 2, ad 3 (431a)

88 manebunt ... 89 substantiam] Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, sol. 2 (430b)

quantum ad substantiam nec efficientur materia ignis, ita ut a propria  
90 specie corrumpantur, sicut patet in ferro ignito.

Si autem teneatur quod sit uerus ignis et non solum ignitio, oportet dicere quod sit eiusdem speciei cum igne nostro. Quod persuadetur sic: *futura purgatio mundi erit per ignem, sicut prima fuit per aquam; et hec comparantur ad inuicem, II Petr. 3; set aqua illa*  
95 *fuit eiusdem speciei cum aqua elementari; ergo ille ignis erit eiusdem speciei cum igne nostro.*

[8] Quantum ad tertium, scilicet an illa purgatio precedat iudicium Dei an sequatur, dicendum quod precedet secundum illud Ps.: *Ignis ante ipsum precedet.* Et hoc patet sic: resurrectio mortuorum precedet  
100 iudicium, simul autem erit resurrectio mortuorum et glorificatio corporum sanctorum; resurgent enim cum corporibus gloriosis, simul etiam glorificabuntur corpora sanctorum et renouabuntur elementa; cum ergo purgatio mundi per ignem sit dispositio uel actio ad predictam renouationem, manifeste sequitur quod hec purgatio  
105 precedit iudicium.

Quid autem fiet de illo igne? Dicitur quod terminato iudicio inuoluet reprobos et descendet cum eis in infernum. Set hoc est ualde dubium, quia secundum hoc oportet dicere quod ille ignis duret ab ante iudicium usque post, et cum occupet totum spatium terre  
110 habitabilis et uicinam partem aeris usque ad altitudinem quindecim cubitorum super montes, consequens est, ut uidetur, quod omnes iudicandi qui erunt in inferiori parte aeris erunt in igne illo; quod licet non sit Deo impossibile, non apparet tamen qualiter sit conueniens.

115 [9] Ad primum argumentum dicendum quod licet creatura corporalis non sit subiectum culpe, contrahit tamen quandam incongruitatem ex culpis in ea commissis, propter quam indiget purgari.

89 nec ... 90 ignito] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 2, 2, ad 3 (431a)

93 futura ... 96 nostro] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, 3, sed contra 2 (425b)

98 Ignis ... 99 precedet<sup>1</sup>] Ps., 96,3; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 3, 1, sed contra 1 (432a)

99 resurrectio ... 105 iudicium] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 3, 1, sed contra 2 (432a)

106 terminato ... 107 infernum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 3, sol. 3 (434b); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 3, resp. (456a)

115 licet ... 117 commissis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, 1, ad 2 (426a)

94 comparantur] *coni.*: corrumpentur  $\pi$

[10] Ad secundum dicendum quod ignis ex propria natura fertur sursum; set sequitur quandoque materiam quam incendit, et per 120 hunc modum non est inconueniens quod moueatur circumquaque iuxta terram, maxime cum ille motus eius sit quatinus est instrumentum diuine iustitie; et hic motus potest poni in illo igne, si sit aliquis paruus ignis qui habeat totum mundum purgare; si uero sit <sup>π410va</sup> ignis uel ignitio simul | *occupans tantum spatium quantum* 125 *occupauerunt aque diluuii*, non oportet ponere in eo aliquem motum.

119 ignis ... 123 iustitie] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 47, 2, 1, 3, ad 3 (428a)

125 ignis ... 126 diluuii] cf. *Glossa ord. II Thess.*, 1, 8 (401a)

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS XLVIII IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Solet etiam queri*. In precedentibus determinavit de iudicii modo; hic determinat de iudicantis persona. Et diuiditur in tres. Primo enim determinat de iudicantis persona; secundo de iudicii loco  
5 ibi: *Putant quidam*; tertio de iudicii circumstantiis ibi: *Veniente autem*. Circa primum tria facit. Primo enim inquit formam; secundo qualitatem ibi: *Set cum in forma*; tertio proposita declarat per similitudinem ibi: *Et sicut dicitur*. Secunda pars in qua determinat de circumstantiis iudicii habet tres. Primo enim determinat de presentia  
10 iudicis; secundo de precedentibus; tertio de sequentibus: prima ibi: *Veniente autem*, secunda: *Ante diem*, tertia: *Cum autem fuerit*.

[2] Proponit ergo MAGISTER quod Christus secundum formam hominis iudicabit, quia deitas a malis uideri non potest, ideo iudicabit in forma gloriosa, in qua a malis et bonis uidebitur; iudicabit autem uirtute diuinitatis unite, sicut et corpora resuscitabuntur uirtute diuinitatis, mediante tamen humanitate iudicabit in ualle Iosaphat, quia in spacioso loco illius aeris sedebit uel quia ad literam ibi: *Cum multis disceptabit*. Deinde subdit quod in iudicio sol et luna dicuntur obscurari propter claritatem iudicis superuenientem, et uirtutes celorum moueri ex admiratione uisorum; post iudicium uero maiorem claritatem recipient; sicut enim per peccatum hominis sunt omnia deteriora, sic econtrario post reparationem meliorabuntur, et si alique auctoritates dicant solem et lunam cessare, intelligendum est quantum ad motum et quia beati eorum lumine non indigebunt etc.

2 Solet ... queri] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 1, 1 (542)

5 Putant quidam] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 4 (545)

Veniente ... 6 autem] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 5 (546)

7 Set ... forma] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 2 (543-544)

8 Et ... dicitur] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 3 (544-545)

11 Veniente autem] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 5, 1 (546)

Ante diem] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 5, 2 (546)

Cum ... fuerit] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 5, 3 (546)

11 Cum ... disceptabit] BELEG

in ... uisorum] cf. Lomb., *Sent.*, IV, 48, 5, 1 (546)

## QVESTIO PRIMA

## VTRVM CHRISTVS IVDICABIT IN FORMA HVMANA

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum Christus iudicabit in forma humana. Et uidetur quod non, quia aut iudicaret 15 in forma infirma aut gloriosa; non in infirma, quia illam Deus non habebit de cetero; nec in gloriosa, ut uidetur, quia in illa non posset uideri a malis, cum oculus non glorificatus non habeat proportionem cum claritate corporis gloriosi, et quia uisio humanitatis Christi gloriose parit gaudium (unde et promittitur sanctis in premium, ut 20 dicit AVGVSTINVS super illud Ioh. 10: *Ingredietur et egredietur et pascua inueniet*). Ergo Christus nullo modo iudicabit in forma humana.

[2] Item iudex debet habere potestatem inuincibilem secundum illud Eccl. 7: *Noli uelle fieri iudex, nisi ualeas uirtute irrumpere* 25 *iniquitates*; set potestas inuincibilis non est in Christo secundum humanitatem, set secundum diuinitatem; ergo non iudicabit secundum quod homo.

[3] In contrarium est quod dicitur Ioh. 5: *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*; set est filius hominis solum 30 secundum naturam humanam; ergo etc.

[4] Responso. Circa questionem istam uidenda sunt tria. Primum est an Christus sit iudicaturus in forma humana; secundum est, supposito quod sic, utrum in forma infirma an gloriosa; tertium est an solus Christus sit iudicaturus an alii homines cum ipso. 35

[5] Quantum ad primum sciendum est quod differt querere utrum Christus sit iudicaturus in forma humana et utrum sit iudicaturus secundum formam humanam, quia ad hoc ut dicatur iudicare in forma humana, sufficit quod iudicet habens talem formam et in ea

15 aut ... 20 gaudium] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1, arg. 3 (512a)

21 Ingredietur ... 22 inueniet] *Ioh.*, 10,9; cf. Aug., *In Ioh.*, 45, 14-15 (396-397)

24 iudex ... 28 homo] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, arg. 2 (437a); Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1, arg. 1 (511b)

25 Noli ... 26 iniquitates] *Eccli.*, 7,6

29 Dedit ... 30 est<sup>1</sup>] *Ioh.*, 5,27; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, sed contra 1 (437a); Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1, sed contra (512a)

36 differt ... 50 sic] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1 (c) (514a)

12 prima] *coni.*: tertia π      16 in<sup>2</sup>] *suppl.*: om. π      17 in<sup>1</sup>] *suppl.*: om. π      |      in<sup>2</sup>] *suppl.*: om. π



40 apprens; set ad hoc quod dicatur iudicare secundum formam  
 humanam, requiritur quod non solum appareat in ea, set quod sit ei  
 causa uel ratio habendi auctoritatem iudicandi; unde multe  
 propositiones uerificantur de Christo primo modo que non  
 uerificantur de ipso secundo modo; demonstrato enim Christo in  
 45 humana natura uerum est dicere quod ille homo creat animas et  
 gubernat mundum; set non est uerum dicere quod ipse secundum  
 quod homo creat animas uel gubernat mundum, quia humanitas non  
 est | ratio seu causa quare tales actus ei conueniant; ergo si sic π410vb  
 queratur an Christus iudicabit in forma humana, non est dubium  
 50 quin sic.

Quod patet auctoritate Scripture et probabili ratione. Auctoritas  
 Scripture habetur I o h . 19: *Videbunt in quem transfixerunt*; set illud  
 non posset uerificari nisi uiderent illum et nisi Christus appareret in  
 forma humana in qua transfixus fuit; ergo etc. Ratio autem est ad hoc  
 55 quia iudex debet apparere principaliter iudicandis, maxime quando  
 in eo pretenduntur insignia iuste condemnationis malorum; set  
 Christus secundum diuinitatem non apparebit malis, cum in eius  
 uisione consistat beatitudo, ut infra patebit dist. 49 q. 4; ergo  
 apparebit secundum humanitatem in qua apparebunt insignia  
 60 passionis quam pro omnibus sustinuit et cuius beneficiis mali per  
 suam culpam se reddiderunt indignos.

[6] Si uero queratur an Christus debeat iudicare secundum  
 humanam naturam, dicendum est quod li ‘secundum’ potest  
 designare auctoritatem primariam respectu iudicii aut secundariam et  
 65 quasi delegatam. Si primo modo, sic Christo non competit iudicare  
 secundum humanam naturam, set solum secundum diuinam cum  
 Patre et Spiritu sancto. Cuius ratio est quia illius solius est iudicare  
 secundum primariam auctoritatem, qui potest efficaciter premium  
 reddere bonis et infligere penam malis; set Christus secundum quod  
 70 homo per potestatem humane nature non potest reddere bonis  
 premium, puta uisionem beatam, nec malis infligere penam  
 dampnationis, quia sola uirtute diuina potest communicari uisio  
 diuine essentie intellectui creato, et per eam solam potest fieri quod

52 Videbunt ... transfixerunt] *Ioh.*, 19,37

57 cum ... 58 beatitudo] cf. infra, 49, 4 (226-240)

67 illius ... 77 diuinitatem] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1 (c) (514b)

spiritus a corpore separati, ut sunt angeli, puniantur ab igne inferni  
 uel quod corpora dampnatorum semper affligantur et numquam 75  
 corrumpantur; ergo Christus secundum suam naturam non iudicabit  
 per primariam auctoritatem, set solum secundum diuinitatem.

[7] Si uero li 'secundum' dicat auctoritatem secundariam et quasi  
 delegatam, sic Christo competit iudicare secundum humanam  
 naturam. Primo, quia per iudicium boni admittentur ad regnum, 80  
 mali uero repellentur; set admissio bonorum ad regnum erit  
 meritorie per beneficium redemptionis, quod perceperunt et  
 tenuerunt, repulsio uero malorum a regno erit per hoc quod  
 beneficium redemptionis contempserunt uel eo abusi sunt. Et quia  
 Christus est redemptor ratione humane nature, in qua opus 85  
 redemptionis exercuit, ideo secundum eam pertinet secundaria  
 auctoritas iudicandi; et hoc est quod dicit quedam glossa super illud  
 Iob 36: *Causa tua quasi impii iudicata est* (glossa: a Pylato), *ideo*  
*iudicium causamque recipiens* (glossa: ut iuste iudices). Secundo, quia  
 eodem modo competit alicui legem condere et secundum eam 90  
 iudicare; set Christus secundum humanam naturam fuit conditor  
 legis euangelice, non quidem primaria auctoritate, set secundaria et  
 quasi delegata; ergo eodem modo competit ipsi secundum eam  
 obseruatores et transgressores iudicare. Et istum ordinem iudicarie  
 potestatis tangit expresse Scriptura, Dan. 7, ubi dicitur sic: 95  
*Aspiciebam donec throni positi sunt et antiquus dierum sedit*, per  
 antiquum dierum intelligens Deum et maxime Patrem, qui est fons  
 totius deitatis, cui appropriatur primaria auctoritas iudicandi; et quia  
 ab eo deriuatur potestas iudicaria in Filium non solum ab eterno et  
 secundum diuinam naturam, set etiam in tempore secundum 100  
 humanam, in qua potestatem iudicandi meruit, set non eandem nec  
 equalem, ideo subiungitur: *Aspiciebam in uisu noctis, et ecce cum*

79 Christo ... 87 iudicandi] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, resp. (459a)

80 per ... 87 iudicandi] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1 (d) (514b-515a); (g) (518a)

88 Causa ... 89 iudices] *Iob*, 36,17; ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, sed contra 2 (437a);  
 Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1 (202vb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, sed  
 contra 3 (459a)

89 Secundo ... 94 iudicare] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, 1° (202vb)

90 eodem ... 94 iudicare] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 1, sed contra 3 (437b)

96 *Aspiciebam ... sedit*] *Dan.*, 7,9

102 *Aspiciebam ... 104 regnum*] *Dan.*, 7,13-14

74 separati] *coni.*: separatus π

*nubibus celi quasi filius hominis ueniebat et usque ad antiquum dierum  
peruenit et dedit ei potestatem et honorem et regnum, in quo innuitur*  
105 potestas iudiciaria Christo homini delegata.

[8] Quantum ad secundum dicendum quod Christus iudicabit in  
forma humana gloriosa. Quod patet primo, quia in illa forma ueniet  
ad iudicium in qua ascendit in celum; unde *Act. 1* dixerunt angeli  
apostolis: *Hic Ihesus, qui assumptus est a uobis, in celum sic ueniet*  
110 *quemadmodum uidistis eum euntem in celum*; set Christus ascendit in  
celum cum humanitate gloriosa; ergo in tali ueniet ad iudicium.  
Secundo, quia *iudicare et iudicari sunt actus oppositi*, maxime cum  
aliquis iudicatur iudicio condempnationis, *quia iudicare est potestatis,*  
*iudicari uero infirmitatis*; sicut *autem* | *Christus in primo aduentu uenit*  $\pi 411ra$   
115 *ad iudicandum passiuę, sic in secundo aduentu ueniet ad iudicandum*  
*actiuę*; ergo sicut uenit *in forma infirma*, sic ueniet *in forma gloriosa*.

Item iudex non debet esse ignobilioris conditionis quam iudicandi;  
set aliqui iudicandi erunt glorificati secundum corpus, scilicet omnes  
boni; ergo multo magis Christus. Et hoc est quod dicitur *Luc. 21*:  
120 *Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cum potestate magna et*  
*maiestate; potestas autem et maiestas ad gloriam pertinent*; quare etc.

[9] Quantum ad tertium sciendum est quod iudicare potest  
competere alicui multipliciter. Primo per modum primarie  
auctoritatis, et sic competit soli Trinitati. Secundo per modum  
125 delegate auctoritatis, et sic competit soli Christo secundum  
humanitatem; de quibus duobus modis iam dictum est. Tertio per  
modum assessorie dignitatis, et sic iudicabunt sancti perfecti et  
eorum ymitatores, sicut promittitur eis *Matth. 19*. Quarto per  
modum approbationis, et sic iudicabunt omnes sancti, *Sap. 3*:  
130 *Iudicabunt sancti nationes*. Quinto per modum comparationis, et sic  
iudicabunt uel dicuntur minus mali iudicare magis malos in

109 Hic ... 110 celum] *Act.*, 1,11

112 iudicare ... 116 gloriosa] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 2, resp. (459b);  
Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 2, sed contra 3 (439a)

117 iudex ... 119 Christus] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 2, sed contra 2 (439a)

119 quod ... 121 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 2, sed contra 1 (439a)

120 Videbunt ... 121 maiestate] *Luc.*, 21,27

123 Primo ... 126 humanitatem] cf. supra, 6-7 (177-179)

127 iudicabunt ... 128 ymitatores] cf. *Matth.*, 19,28

130 Iudicabunt ... nationes] cf. *Sap.*, 3,8

108 in<sup>2</sup>] *suppl.*: om.  $\pi$     118 glorificati] *coni.*: glorificanti  $\pi$

quantum eorum comparatione condempnabiliores apparent, et sic dicitur Matth. 12 quod *uiri Niniuite surgent in iudicio cum generatione hac et condempnabunt eam.*

[10] Ad primum argumentum dicendum quod Christus iudicabit 135 in forma humana gloriosa. Et cum dicitur quod oculus non glorificatus non potest uidere claritatem corporis gloriosi, dicendum est quod omnis oculus potest uidere omnem claritatem eiusdem generis cum claritate naturali nisi sit defectus eius ex complexione organi, quod propter sui debilitatem resoluitur ab excellenti claritate, 140 ita ut non possit in eam fixe intendere; potest tamen eam in transitu percipere. Et secundum hoc potest dici quod, cum oculus dampnati post resurrectionem sit incorruptibilis, quamuis sit passibilis, poterit in quodam transitu perpendere claritatem corporis Christi, licet non possit in eam fixe intendere. Vel potest dici quod corpus gloriosum 145 propter diuinam uirtutem sibi ad nutum assistentem potest moderari actionem claritatis sue in uisu, ita ut possit perpendi ab oculo tam glorificato quam non glorificato. Quod autem subditur quod dampnati de tali uisione gaudebunt, dicendum est quod non, quia sicut gloria amici est delectabilis, ita potestas et gloria eius qui odio 150 habetur maxime contristat; propter quod sicut uisio humanitatis Christi erit beatis in premium, ita dampnatis ad supplicium.

[11] Ad secundum dicendum quod procedit de illo qui habet primariam potestatem iudicandi, quam non habet Christus secundum quod homo, set solum secundum quod Deus. 155

## QUESTIO SECVNDA

### VTRVM DIVINITAS POSSIT VIDERI A MALIS SINE GAUDIO

[1] Secundo queritur utrum diuinitas possit uideri a malis sine gaudio. Et arguitur quod sic, quia *peruersa uoluntas dampnatorum non magis aduersatur humanitati Christi quam eius diuinitati*; set uisio 5 humanitatis cedit eis magis ad supplicium quam ad gaudium, ut

133 uiri ... 134 eam] *Matth.*, 12,41

4 peruersa ... 8 gaudium] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 3, arg. 2 (439b)

5 uisio ... 6 gaudium] cf. supra, 1, 10 (180,151-152)

dictum est in questione precedente; ergo et uisio diuinitatis magis cedit eis ad tristitiam quam ad gaudium.

[2] Item, sicut se habet delectatio ad tristitiam, ita econuerso  
10 tristitia ad delectationem; set superhabundans delectatio excludit  
tristitiam non solum oppositam, set contingentem, ut patet per  
PHILOSOPHV M IV Ethicorum; ergo sequitur similiter quod  
superhabundans tristitia excludit omnem delectationem non solum  
oppositam, set contingentem. Set tristitia dampnatorum erit maxima;  
15 ergo excludet delectationem de uisione diuina, si Deum uiderent.

[3] In contrarium est *quod dicitur Ioh. 17: Hec est uita eterna ut  
cognoscant te. Ex quo patet quod essentia beatitudinis consistit in uisione;  
set gaudium est de essentia beatitudinis* uel ad ipsam necessario  
sequitur; ergo impossibile est quod uidens Deum non delectetur in  
20 ipso.

[4] Responso. Cum queritur an diuinitas possit uideri sine gaudio  
uel sine delectatione, aut queritur de potestate Dei aut de natura rei.  
Si queritur de potestate Dei, | sic dicendum est quod Deus de π411rb  
potentia absoluta posset facere quod intellectus creatus uideret ipsum  
25 nude et aperte et tamen non delectaretur nec gauderet. Cuius ratio  
est quia quando duo actus sunt subordinati in ratione prioris et  
posterioris, prior actus potest esse sine posteriore absque aliqua  
contradictione; set uisio diuine essentie et quecumque cognitio se  
habet ad gaudium uel delectationem uoluntatis ut prior, quia  
30 uoluntas non potest gaudere uel delectari in aliquo nisi precognito;  
ergo non implicat contradictionem ponere uisionem sine gaudio uel  
delectatione; set Deus potest facere quidquid contradictionem non  
implicat; quare etc.

[5] Si autem queratur de natura rei, sic dicendum est quod  
35 impossibile est quod ad uisionem diuine essentie nudam et apertam  
non sequatur gaudium uel delectatio. Cuius ratio est quia summum  
bonum presens et cognitum et nichil habens admixtum de ratione  
mali necessario delectat, loquendo de necessitate rei siue ordinis  
naturalis in rebus creatis; unde et diffinitur delectatio per causam

10 superhabundans ... 11 contingentem] cf. Arist., *Eth. Nic.*, VII, 15, 1154b13-14

16 quod ... 20 ipso] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 1, 3, sed contra 1 (440a)

Hec ... 17 te] *Ioh.*, 17,3

26 quando ... 32 delectatione] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 48, 1 (c) (515a); uide Anon. Vat.,  
*Super Sent.*, IV, 48, 3, 2, ratio 4 (204va)

39 delectatio ... 41 perceptione] cf. Auic., *Metaph.*, VIII, 7 (432,67-70)

suam, quod est coniunctio conuenientis cum conuenienti cum eius 40  
 perceptione; set Deus uisus est summum bonum nichil habens de  
 admixtione mali, cum ipse in essentia sua sit bonitas et eius uisio sit  
 summa et conuenientissima hominis perfectio, ut infra patebit; ergo  
 ipse sic cognitus necessario causat delectationem in cognoscente. Et  
 ad hanc intentionem procedit argumentum factum in contrarium, 45  
 scilicet quod uisio Dei est beatitudo, ad quam necessario sequitur  
 gaudium uel delectatio, quamuis QUIDAM dicant quod per illud  
 uerbum Ioh. 17 allegatum: *Hec est uita eterna*, non intelligitur quod  
 uisio Dei sit beatitudo uel pertinens ad beatitudinem, set, sicut  
 dicunt, *actio et intellectus est quedam uita*, ut dicitur XII 50  
*Metaphisice*, et per consequens actio intellectus, si sit eterna, est  
 uita eterna; set non oportet quod sit beatitudo, quia nomine uite  
 eterne solum designatur ibi operatio uitalis eterna.

Set illud non solum est absurdum, set ualde periculosum; si enim  
 nomine uite eterne non designatur nisi actio uitalis eterna et non 55  
 beatitudo ipsa, tunc potest dici quod dampnati habebunt uitam  
 eternam, quia habebunt aliquam operationem uitalem eternam, puta  
 dolorem uel tristitiam mental<em> de amissione beatitudinis et  
 dolorem sensualem de afflictione corporis per ignem, quod nullus  
 dicit. Scriptura etiam contradicit, que uitam eternam promittit solum 60  
 bonis, *Matth. 25: Ibunt hii*, scilicet mali, *in supplicium eternum*,  
*iusti uero in uitam eternam*; in loco etiam preallegato, scilicet Ioh.  
 17, eterna uita promittitur iustis in premium; unde ante uerba  
 predicta premittitur: *Dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod*  
*dedisti eis, det eis uitam eternam*. Et statim subiungitur: *Hec est autem* 65  
*uita eterna* etc. Constat autem quod premium bonorum est  
 beatitudo; ergo uisio Dei uel est beatitudo uel pertinet ad  
 beatitudinem.

42 ipse ... 43 perfectio] cf. infra, 49, 5 (240-245)

47 per ... 52 eterna] cf. Duns Scot., *Report. Paris.*, IV, 48, 2, 6 (605a); *Ord.*, IV, 48, 1 (e) (515b)

48 Hec ... eterna] *Ioh.*, 17,3

50 actio ... uita] *Auct. Ar.*, I, 269 (138,65); cf. Arist., *Metaph.*, XII, 7, 1072b26-28; *Eth. Nic.*, IX, 9, 1170a18-19; Thom., *S.th.*, I, 54, arg. 2; *S.c.g.*, III, 61, 2359

61 Ibunt ... 62 eternam] *Matth.*, 25,46

64 Dedisti ... 65 eternam] *Ioh.*, 17,2

65 Hec ... 66 eterna] *Ioh.*, 17,3

58 mentale] *coni.*: mental π      65 eis<sup>1</sup>] *coni.*: ei π

[6] Ad primum argumentum dicendum quod non est simile de  
 70 uisione humanitatis et diuinitatis, quia uisio humanitatis non est  
 summa hominis perfectio; potest etiam secundum se habere aliquid  
 adiunctum, ratione cuius sit magis tristabilis quam delectabilis, sicut  
 cum uidetur aliquod excellens sensibile quod ledit organum; et illo  
 modo nichil prohibet uisionem humanitatis Christi esse dampnatis  
 75 tristabilem in quantum excellens eius claritas esset lesiua dispositionis  
 organi; set uisio deitatis est summa perfectio hominis nec habet  
 aliquid adiunctum quod causet tristitiam; propter quod impossibile  
 est quod talem uisionem non sequatur delectatio.

[7] Ad secundum dicendum quod inter delectationes et tristitias  
 80 illa que est maior expellit aliam uel saltem minuit; delectatio autem  
 que sequitur diuinam uisionem maior est quam quecumque tristitia  
 dampnatorum; propter quod, si uiderent Deum, tristitia non  
 excluderet delectationem, set delectatio tamquam maior absorberet  
 tristitiam.

## QVESTIO TERTIA

## VTRVM MOTVS CELI CESSABIT

[1] Tertio queritur utrum motus celi cessabit. Et uidetur quod non,  
 quia gloria non tollit perfectionem nature; set motus uidetur dicere  
 5 aliquam perfectionem mobilis, cum sit actus eius; ergo non tolletur  
 quando alia glorificabuntur. |

π411va

[2] Item *cessante fine debent cessare ea que sunt ad finem*; set omnia  
*luminaria celi facta sunt finaliter, ut diuidant diem et noctem*, ut  
 habetur Gen. 1; ergo cessante illo fine luminaria celi desinerent; set

3 utrum ... cessabit] cf. *Articuli condemnati a Steph. Ep. Paris. anno 1277*, 186 (136)

4 gloria ... 6 glorificabuntur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 48, 5, arg. 1 (207ra); Thom.,  
*Super Sent.*, IV, 48, 2, 2, arg. 10 (446b)

motus ... 5 mobilis] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 57, 5, ad 1; I, 3, ad 1

7 cessante ... finem] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 2, 5, sed contra 3 (453a); *S.th.*, III, 63,  
 5, arg. 3

omnia ... 11 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 2, 2, arg. 3 (446a)

8 luminaria ... noctem] cf. *Gen.*, 1,14

illa numquam desinent; ergo nec ille finis propter quem sunt in esse; 10  
set ille finis non potest esse nisi per motum; ergo etc.

[3] In contrarium est quod dicitur Is. 66: *Non occidet ultra sol tuus  
et luna non minuetur*; set si motus celi duraret, sol tenderet ad  
occasum et luna minueretur quoad nos secundum maiorem et  
minorem approximationem ad solem; ergo motus celi cessabit. 15

[4] Item Apoc. 10 dicitur quod *angelus iurauit per uiuentem in  
secula seculorum quod tempus non erit amplius*; set si motus celi non  
cessaret, tempus semper duraret; ergo oportet dicere quod motus celi  
quandoque cesset.

[5] Responsio. Tenendum est absolute quod motus celi cessabit 20  
post resurrectionem, quamuis illud non possit clare probari, nec per  
auctoritatem Scripture nec aliqua necessaria ratione. Auctoritates  
enim inducte in arguendo, que uidentur expressius loqui de illa  
materia, possunt aliter intelligi quam de cessatione motus celi. Prima  
enim auctoritas, que est Isaie, forte intelligitur secundum litteram 25  
de prosperitate quam habituri erant filii Israel redeuntes de  
captiuitate Babylonis, ut per solem intelligatur maior prosperitas, per  
lunam uero minor, et sit sensus: 'Non occidet', idest: 'Non amittetis  
prosperitatem maiorem et minorem'. Vel si intelligatur de statu post  
resurrectionem non est sensus quod sol materialis non tendat ad 30  
occasum uel quod luna non minuatur in lumine, set est sensus quod  
sol et luna non lucebunt beatis ad aliquam necessitatem, quia  
Christus secundum diuinitatem erit eis spiritualis lux; secundum  
uero claritatem humanitatis illuminabit corporaliter locum bonorum  
perfectius quam sol. Quod patet per id quod premittitur ante uerba 35  
predicta: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor  
lune illuminabit te, set erit tibi dominus in lucem sempiternam*. Et idem  
habetur Apoc. 21 quod *ciuitas illa non eget sole neque luna, quia  
claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est agnus*.

Sequens uero auctoritas, que est Apoc. 10, est intelligenda quod 40  
non erit tempus amplius ad implendum prophetias et misteria

12 dicitur ... 15 cessabit] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 2, 2, sed contra 2 (447a); Anon.  
Wat., *Super Sent.*, IV, 48, 5, sed contra 1 (207ra)

Non ... 13 minuetur] *Is.*, 60,20

16 Apoc ... 19 cesset] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 2, 2, sed contra 1 (446b)

angelus ... 17 amplius] cf. *Apoc.*, 10,6

36 Non ... 37 sempiternam] *Is.*, 60,19

38 ciuitas ... 39 agnus] cf. *Apoc.*, 21,23



preunciata per prophetas; unde subditur: *in diebus uocis septimi angeli, cum ceperit tuba canere, consummabitur misterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos prophetas*. Ex illo autem non sequitur  
 45 quod tempus absolute non sit amplius, set solum quod tempus implendi prophetias erit tunc totaliter transactum.

Et nichilominus, quamuis predictae auctoritates possent sic exponi, communis tamen doctrina ecclesie tenet quod motus celi cessabit.

[6] Et ad declarandam hanc opinionem procedetur sic quia primo  
 50 ponentur quedam rationes propter quas ARISTOTILES uidetur negasse cessationem motus celi et soluentur, et secundo ponentur quedam persuasiones ad probandum directe cessationem motus celi et respondebitur ad quasdam instantias que fiunt contra eas.

[7] Quantum ad primum sciendum quod ARISTOTILES negans  
 55 cessationem motus celi uidetur fundasse se super duas rationes, quarum prima sumitur ex XII Metaphisice; et est talis: inconueniens est ponere nobilissimam substantiam non sortitam optimum finem; set intelligentie sunt optime substantie et nobilissime; optimus uero finis est communicare esse rebus; ergo  
 60 substantie separate semper esse rebus communicant; set hoc non possunt nisi per motum; ergo semper causant motum. Secunda talis est: inter perpetua et semper permanentia non potest esse difformis habitudo, quia difformitas non est sine mutatione, saltem ex parte alterius; ubi autem est mutatio, non potest esse perpetuitas, saltem  
 65 quoad illa inter que mutatio attenditur; set tam angelus quam celum sunt perpetua secundum ipsum; ergo inter ea est semper similis habitudo; ergo si semel causant motum in celo, oportet quod semper causent motum in eo.

[8] Set ille rationes non cogunt; prima non, eo quod falsum  
 70 assumit, scilicet quod optimus finis substantie separate sit dare esse rebus. Hoc enim non est uerum; cum enim sit duplex finis, scilicet finis cuius gratia et finis quo, finis cuius gratia | est intelligentia, non est nisi ipse Deus; finis uero quo est operatio per quam finis cuius  
 75 Deus ab intelligentia per intelligere et uelle, que tendunt in Deum π411vb

42 in ... 44 prophetas] cf. *Apoc.*, 10,7

57 inconueniens ... 58 finem] cf. *Arist., Metaph.*, XII, 8, 1074a17-20

43 misterium] *coni.*: ministerium π

sicut in obiectum et sunt nobilissime perfectiones ipsius intelligentie, quam attingatur per actionem que dare esse rebus, per quam non attingit ipsum Deum secundum se, set secundum quandam assimilationem extrinsecam.

Et si dicatur quod uelle et intelligere sint optime perfectiones 80 intelligentie, ex istis tamen sequitur secundum, scilicet dare esse rebus (nam per hoc quod intelligentia intelligit et amat Deum, per hoc desiderat ei assimilari in hoc quod est esse causam rerum, et ideo mouet celum mota a Deo in ratione amati et desiderati, sicut dicitur XII *Metaphisice*); set illud non ualet, quia ille finis secundus 85 non necessario sequitur ad primum nec ponit aliquam perfectionem in intelligentia, cum transeat in materiam exteriorem; ex nulla enim tali actione accrescit agenti aliqua perfectio, quamuis per eam declararetur perfectio preexistens.

[9] Secunda uero ratio non cogit, quia duorum perpetuorum 90 approximatorum ad inuicem non potest esse difformis habitudo cum unum agit in aliud ex necessitate nature; set si unum agit in aliud uoluntarie, potest quandoque agere et quandoque non absque sui mutatione, quia uoluntate eterna potest uelle aliud nouum, et sic in passo potest esse noua habitudo ex noua actione agentis, que non est 95 in ipso, set in passo, non per nouam uoluntatem, set per antiquam.

[10] Nunc restat probare conclusionem principalem directe; et primo probabitur quod possibile est motum celi cessare et secundo quod de facto cessabit. Primum patet sic: omne mouens uoluntarie et libere potest, cum uoluerit, a mouendo cessare; set intelligentia 100 mouens celum mouet uoluntarie et libere; cum ergo uoluerit, potest a mouendo cessare. Maior patet, quia libertas arbitrii est ad opposita. Minor patet similiter quantum ad alteram partem, scilicet quod intelligentia mouet uoluntarie, quia mouet ut amans et desiderans, sicut causa prima mouet ut amatum et desideratum; set quod moueat 105 libere, probatur, quia uoluntas non necessitatur ad uolendum nisi respectu finis uel eorum que habent necessariam connexionem ad inuicem et cum fine quatinus finis non potest sine hiis haberi uel conseruari; set motus celi non est finis intelligentie mouentis, set sola causa prima, cum qua motus celi non habet necessariam 110 connexionem quin sine eo intelligentia possit hunc finem consequi

84 mouet ... desiderati] cf. Arist., *Metaph.*, XII, 7, 1072b3; Thom., *In Metaph.*, XII, 7, 2529 (592)

per cognitionem et amorem et in eo permanere; ergo nullo modo necessarium est intelligentiam uelle mouere.

Secundum sic patet: habito fine cessant ea que sunt ad finem  
 115 ordinata quantum ad acquisitionem finis tantum; set *motus celi* tam primus quam secundus, qui est *solis et planetarum, in aliquo circulo est propter continuationem* et alternationem *generationis et corruptionis*, ut probatur in fine II *De generatione*, ergo completa generatione, quod fiet quando erit *completus numerus electorum, cessabit omnis*  
 120 *motus celi*.

[II] Set contra hanc rationem instant ALIQUI dicentes quod *motus celi non est propter generationem et corruptionem* istorum *inferiorum* tamquam *propter finem*, quia *finis est nobilior hiis que sunt ad finem*; set nichil inferiorum est nobilius celo; ergo motus celi non est  
 125 propter ista inferiora tamquam propter finem. Dicendum quod hec instantia non ualet propter duo: primum est quia dato quod celum secundum suam substantiam esset nobilius omnibus istis inferioribus, et ob hoc posset dici quod non esset propter hec inferiora tamquam propter finem, tamen motus celi non est perfectior istis inferioribus,  
 130 immo est quid minus perfectum, et ideo potest esse propter ea tamquam propter finem, sicut approximatio agentis ad passum, que est per motum localem, est finaliter propter actionem uel propter ea que per actionem producantur. Et ob hoc in arguendo est uariatio medii per comparationem ad conclusionem, quia in minori  
 135 assumitur quod celum non est minus nobile, immo magis quam hec inferiora; et ideo deberet concludi quod celum quantum ad suam substantiam non est propter hec inferiora et non de motu celi, de quo nichil assumptum fuit in minori, et si assumptum fuisset, falsum fuisset assumptum, quia motus celi ignobilior est istis inferioribus. | π412ra

140 [12] Secundus defectus est etiam de assumpto, scilicet quod substantia celi sit nobilior istis inferioribus, et ob hoc non sit propter

115 motus ... 117 corruptionis] *Auct. Ar.*, 5, 41 (170,103-104); cf. Arist., *De gen. et corr.*, II, 10, 336a31-32; 336b34-337a5; II, 11, 338a4-11; 338a15-b5; *Auct. Ar.*, 5, 50 (171,115-116)

motus ... 120 celi] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 2, 2, sed contra 3 (447a)

121 motus ... 123 finem<sup>2</sup>] Thom., *In Metaph.*, XII, 7, 2521 (590)

123 finis ... finem<sup>2</sup>] cf. Thom., *De pot.*, 5, 5, arg. 5 (140b); *De uerit.*, 7, 7, sed contra 2 (208,32-33); *S.th.*, I, 44, 4, ad 2; 50, 3, ad 3; I-II, 66, 3, arg. 3; *Auct. Ar.*, 12, 21 (234,34); 36, 44 (324,50)

141 substantia ... 146 gentibus] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 48, 2, 2, ad 3 (447b)

118 ergo] *coni.*: ego π

ea tamquam propter finem. Conclusio enim falsa est, ut patet De u t. 4, ubi dicitur sic: *Custodite sollicite animas uestras*; et subditur: *Ne forte oculis eleuatis ad celum uideas solem et lunam et omnia astra celi, et errore deceptus adores ea et colas que creauit dominus Deus in* 145 *ministerium cunctis gentibus*. Medium etiam quod assumitur, est falsum, quia omne animatum et cognoscens, maxime cognitione intellectiua, est nobilium omni non cognoscente; celum autem non ponitur animatum et per consequens non est cognoscens; homo autem est animatus et cognoscens cognitione intellectiua; ergo est 150 nobilior celo.

Nec obstat quod celum est incorruptibile, quia diuturnitas uel etiam perpetuitas non arguit maiorem perfectionem in gradu nature. Et de diuturnitate patet, quia plus durat quercus uel elephas quam homo et tamen sunt minus nobilia. De perpetuitate patet idem, quia 155 secundum PHILOSOPHV M *materia est ingenerabilis et incorruptibilis*; totum autem compositum est generabile et corruptibile et quelibet forma in composito preter animam rationalem; et tamen tam forma quam compositum sunt secundum gradum nature perfectiora quam materia. Quare patet quod ex hoc quod celum est diuturnius uel 160 incorruptibile, non potest argui quod sit perfectius secundum gradum nature quocumque corruptibili. Et hoc ipsum dicit PHILOSOPHV S I *Ethico rum* contra PLATONEM, quod nichil est melius propter hoc quod est diuturnius, quod est uerum de bonitate 165 essentiali.

[13] Ad primum argumentum dicendum est quod motus localis non ponit aliquam perfectionem in mobili; immo forte *quies est* maior *perfectio* quam *motus*, non quidem prout quies importat priuationem motus, set prout dicit uniformitatem essendi. Et cum dicitur quod motus est actus mobilis, uerum est, set addendum est 170

143 Custodite ... uestras] *Deut.*, 4,15

Ne ... 146 gentibus] cf. *Deut.*, 4,19

156 materia ... incorruptibilis] cf. *Arist.*, *Phys.*, I, 9, 192a27-29; *Metaph.*, III, 2, 994b6-7; XII, 3, 1069b35-36; *De gen. et corr.*, I, 4, 320a2-4; cf. etiam *Auct. Ar.*, I, 48 (119,70-71); 6, 261 (195,23-24); 4, 9 (168,49-51); *Auerr.*, *De an.*, III, 36 (497,524-525); *Phys.*, I, 34 (22vaG)

157 totum ... 158 rationalem] cf. *Thom.*, *Super Sent.*, IV, 44, I, 1, 2, ad I (298a)

163 nichil ... 164 diuturnius] cf. *Arist.*, *Eth. Nic.*, I, 4, 1096b3-4

167 quies ... 168 motus] cf. *Auerr.*, *Phys.*, V, 54 (240raB)

168 quies ... 169 motus] cf. *Auct. Ar.*, 2, 161 (153,70); *Arist.*, *Phys.*, V, 6, 229b25

illud quod addit PHILOSOPHVS, scilicet quod est *actus entis in potentia secundum quod huiusmodi*, non est actus absolutus, set modus se habendi; et ideo tam ex parte sui quam ex parte mobilis magis sonat imperfectionem quam perfectionem.

- 175 [14] Ad secundum argumentum dicendum quod corpora celestia quantum ad substantiam suam non sunt facta ut diuidant diem et noctem nisi mediante motu; et ideo cessante alternatione dierum et noctium cessabit motus; set non propter hoc cessabunt luminaria celi quoad substantiam et entitatem suam, quia ex eis sine motu  
180 proueniet aliud ministerium seu alia utilitas hominibus inquantum ex consideratione eorum consurgent in laudem et gloriam Dei etc.

171 actus...172 huiusmodi] cf. *Auct. Ar.*, 2, 99 (148,65); Arist., *Phys.*, III, 1, 201a10-11; Thom., *In Phys.*, III, 2, 285[3] (145); *Super Sent.*, I, 19, 2, 1, resp. (466-467)

## DISTINCTIO XLIX

### SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Post resurrectionem uero.* In precedentibus determinauit MAGISTER de pertinentibus ad iudicium, hic determinat de finali remuneratione. 5  
Et primo specialiter agit de gloria bonorum; secundo de penis dampnatorum de 50 dist. Hic oritur questio. Prima est principalis lectionis et diuiditur in tres: primo enim tangit in generali fructum diuine remunerationis future; secundo specialiter inquit de appetitu beatitudinis ibi: *Solet etiam queri de beatitudine*; tertio de differentia 10  
modi beatitudinis ibi: *Solet queri utrum aliud.* Et hec diuiditur in tres, quia primo inquit differentiam beatitudinis quoad obiectum, secundo quoad gaudium, tertio quoad statum. Secunda ibi: *Solet etiam queri an in gaudio*, tertia ibi: *Post hoc queri solet.*

[2] Proponit ergo MAGISTER post iudicium bonos in gloria, malos 15  
in pena collocari. Deinde querit quomodo intelligendum est quod omnes appetunt beatitudinem, cum non omnes cognoscant beatitudinem. Et respondere uidetur quod omnes sciunt que sit beatitudinis ratio. Cum ratio beatitudinis non sit habere quod 20  
delectat, set habere quod homo uult et nichil mali uelle. Deinde 20  
querit utrum unus beatus alio plus cognoscat. Et respondet quod non de pertinentibus ad beatitudinem, set in modo cognoscendi est differentia. In fine subdit quod sine dubio beatitudo sanctorum post iudicium maior erit quam ante, quia maius gaudium et perfectior erit

*π412rb* cognitio, quod probat autoritate Augustini etc.]

## QVESTIO PRIMA

## VTRVM BEATITVDO CONSISTAT IN BONIS CORPORIS

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum beatitudo consistat in bonis corporis. Et uidetur quod sic, quia *quanto aliquod bonum est communius, tanto melius est; set bona corporalia sunt*  
 30 *communiora quam bona spiritualia, quia corporalia extendunt se ad plantas et bruta animalia, spiritualia autem non; ergo bona corporalia sunt meliora quam spiritualia; set in perfectioribus bonis est ponenda beatitudo; ergo etc.*

35 [2] Item beatitudo est bonum hominis; set *homo constat ex anima et corpore; ergo beatitudo debet esse communis anime et corpori. Set nullum bonum spirituale est utrique commune (bonum autem corporale est utrique commune inquantum anima in bonis corporalibus delectatur); ergo uidetur quod beatitudo consistat in bonis corporalibus.*

40 [3] In contrarium arguitur quia beatitudo est proprium bonum hominis, in quo non communicat cum brutis; set homines communicant in bonis corporalibus cum brutis; ergo in eis non consistit beatitudo hominis.

[4] Responsio. Primo ponenda est quedam distinctio de  
 45 beatitudine et secundo respondebitur ad questionem.

[5] Quantum ad primum sciendum est quod, cum beatitudo nomet perfectum bonum illius qui dicitur beatus, sicut aliquid dicitur bonum alicuius dupliciter, sic beatitudo accipitur dupliciter. Aliquid enim dicitur bonum alicuius dupliciter: uno modo solum  
 50 extrinsece per modum agentis uel obiecti, sicut ignis dicitur bonus frigescenti per modum agentis uel efficientis, quia causat in eo calorem, qui est ipsi bonus formaliter, et uiror est bonus aspicienti per modum obiecti; alio modo dicitur aliquid bonum formaliter et intrinsece, sicut sanitas est bonum hominis quoad corpus et scientia  
 55 et uirtutes et earum actus seu operationes sunt bonum hominis

28 beatitudo ... 29 Et] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1 (457-464); *S.th.*, I-II, 2, 5; uide etiam Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 1 (212ra-216rb); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 1 (113rb-vb)

29 aliquod ... 34 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, arg. 3 (457b)

35 beatitudo ... 39 corporalibus] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 1, arg. 6 (457b)

40 beatitudo ... 43 hominis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 1, sed contra 1 (457b)

46 cum ... 63 extrinsece] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 2, sol. 1 (466b-467a); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 1 (212ra); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, resp. 1 (467a); God. de Font., *Quaest. disp.*, 16 (165,4-16); Iac. de Vit., *Quodl.*, I, 8 (124,431-125,452)

quoad animam quam perficiunt formaliter. Similiter beatitudo dicitur dupliciter: uno modo illud quod beatificat hominem solum extrinsece per modum agentis uel obiecti; alio modo illud quod beatificat ipsum formaliter et intrinsece tamquam perfectio sibi inherens. Et cum sic dicatur beatitudo dupliciter, magis tamen 60 proprie dicitur illud beatitudo hominis quod beatificat ipsum formaliter et intrinsece quam illud quod beatificat ipsum solum et extrinsece.

[6] Cuius ratio est quia illud magis proprie dicitur beatitudo nostra quo magis proprie dicimur beati; set per illud quod formaliter nos 65 beatificat magis proprie dicimur beati quam per quodcumque extrinsecum; ergo illud quod nos formaliter beatificat magis proprie debet dici beatitudo nostra quam quodcumque extrinsecum. Maior patet de se. Set minor probatur tripliciter: primo, quia denominatio formalis semper est magis propria quam quecumque alia. Cuius ratio 70 est quia sic denominatio est uere et proprie res nominis, sicut animal propriissime dicitur sanum, quia in eo est sanitas a qua denominatur sanum, non autem ita proprie dicitur medicina sana, ut animal sanum ratione medicine; set homo denominatur beatus formali denominatione a beatitudine que est perfectio in eo existens (ab 75 obiecto autem uel efficiente non dicitur beatus formali denominatione, quia beatitudo que est in homine obiectum uel causa agens non est in homine, set est eius denominatio solum extrinseca); ergo per beatitudinem que est in nobis formaliter magis proprie dicimur beati. 80

[7] Secundo, quia illud magis proprie dicitur nostrum quod nobis magis est unitum; set beatitudo que est in nobis formaliter et intrinsece est magis nobis unita quam beatitudo que se habet ad nos solum obiectiue et extrinsece, quia illa non attingitur a nobis nisi mediante beatitudine formali; ergo illa est magis proprie beatitudo 85 nostra.

[8] Tertio, quia illo magis proprie dicimur beati quo posito et omnibus aliis circumscriptis essemus uere beati quam quodcumque aliud; set posita beatitudine formali in nobis et excluso quocumque alio per possibile uel impossibile uere diceremur beati, quia forma 90  
*π412va* semper denominat | suum subiectum (exclusa autem formali beatitudine et positis quibuscumque aliis nullus posset proprie dici beatus); ergo beatitudo formalis magis proprie dicitur beatitudo nostra, qua sumus beati, quam beatitudo obiectiua; dico autem quod



95 magis proprie dicitur beatitudo nostra et non beatitudo absolute, quia Deus, qui est obiectum beatitudinis nostre, ut infra patebit, magis proprie et uere est beatitudo quam sit nostra beatitudo formalis; set non magis proprie dicitur beatitudo nostra, immo minus.

100 [9] Relicta ergo pro nunc beatitudine obiectiua, querimus de beatitudine formali utrum consistat in aliqua perfectione corporali an spirituali. Dicendum primo quod non consistit in aliqua perfectione corporali. Quod patet sic: de ratione beatitudinis sic accepte est quod ipsa sit optima perfectio hominis, ad quam omnes alie perfectiones  
105 ordinantur sicut ad finem; sic enim nomine beatitudinis uel felicitatis utuntur tam philosophi quam theologi; dicit enim PHILOSOPHVS I ETHICORUM quod felicitas est omnium operatorum summum bonum et infra eodem dicit quod ipsam uolumus propter se, alia autem propter ipsam.

110 Ex quo potest sic argui: illa perfectio que non est summe bona nec propter se uolita, set propter aliam meliorem, non potest habere rationem beatitudinis; set omnis perfectio corporalis est huiusmodi; ergo etc. Maior declarata est. Set minor probatur, quia sicut se habet corpus ad animam, sic se habent perfectiones corporis ad  
115 perfectionem anime, quia sicut se habent perfectibilia ad inuicem, sic se habent perfectiones eorum; set *corpus est propter animam et uniuersaliter materia propter formam* tamquam propter aliud melius, ut dicitur II PHISICORUM; ergo omnes perfectiones corporis sunt propter perfectiones anime tamquam propter aliquid melius. Et hec  
120 fuit minor. Sequitur ergo conclusio.

Ergo per idem patet quod perfectiones anime quantum ad partem sensituiam, que est totius coniuncti, non possunt habere rationem beatitudinis, quia sicut se habet sensus ad intellectum, sic se habet perfectio sensitue partis et appetitus correspondentis ad  
125 perfectionem intellectus et uoluntatis; set in homine sensus est propter intellectum tamquam propter aliquid melius et nobilius; ergo

96 Deus ... nostre] cf. infra, 49, 5 (240-245)

107 felicitas ... 108 bonum] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 1, 1094a1-6

108 ipsam ... 109 ipsam] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 1, 1094a18-22

116 corpus ... 117 formam] Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 1, ad 6 (461a); *S.th.*, I-II, 2, 5, resp.; cf. Arist., *De an.*, II, 1, 412a27; 414a17-19; Auerr., *De an.*, II, 7 (139,38)

117 materia ... formam] cf. Auerr., *Phys.*, II, 26 (58vbL); e.g. Thom., *Exp. Post.*, II, 8 (202,31-32) et saepius

perfectiones sensitivae partis sunt propter perfectiones intellectivae tamquam propter meliores et nobiliores. Ergo in eis non potest consistere beatitudo hominis.

Ex quo sequitur quod, cum pars intellectiva prout distinguitur 130  
contra sensitivam includat intellectum et voluntatem, quibus nichil  
nobilius est in homine, beatitudo consistit in optima perfectione  
intellectus vel voluntatis vel utriusque simul.

[10] Ad primum argumentum dicendum quod bonum communius  
est melius quam minus commune, si sint eiusdem rationis; set si sint 135  
diversarum rationum, nichil prohibet quod illud quod est proprium  
paucioribus sit melius quam illud quod est commune pluribus.  
Immo sic est necessarium, quod illa in quibus perfectiora differunt ab  
imperfectioribus oportet illa esse nobiliora quam sint illa in quibus  
communicant cum eis, quia ratione illorum in quibus communicant 140  
ut sic unum non est perfectius altero, set solum ratione illorum in  
quibus differunt; perfectiones autem corporales et spirituales non  
sunt unius rationis, et ideo nichil prohibet perfectiones spirituales,  
que paucioribus conveniunt, esse nobiliores perfectionibus  
corporalibus, que conveniunt pluribus. 145

[11] Ad secundum dicendum quod licet beatitudo sit perfectio  
hominis, non oportet tamen quod sit perfectio eius secundum totum  
quod est in ipso, set secundum illud quod est nobilius et perfectius,  
et illud est anima secundum superiores eius potentias, que sunt  
intellectus et voluntas. Et ideo in perfectione alicuius istarum 150  
potentiarum consistit beatitudo et non in perfectione totius  
coniuncti immediate.

#### QUESTIO SECUNDA

VTRUM ALIQUIS INTELLECTVS CREATVS POSSIT VIDERE DEVM CLARE ET  
MANIFESTE VISIONE INTELLECTVALI

[1] Secundo queritur utrum aliquis intellectus creatus possit videre  
Deum clare et manifeste uisione intellectuali, sicut unus homo uidet 5  
alium in uisione corporali. Et arguitur quod non, quia si hoc posset  
*π412vb* intellectus creatus, aut hoc posset ex naturalibus | nullo sibi

superaddito aut hoc posset adiutus per aliquid supernaturale sibi additum; set neutro istorum modorum potest intellectus creatus uidere Deum, sicut probabitur; ergo etc. Minor patet, quia sicut uult PHILOSOPHVS III De anima: *Sicut se habent sensibilia ad sensum, sic fantasmata ad intellectum*; set sensus nec uirtute propria nec aliqua uirtute sibi collata potest cognoscere nisi sensibilia; ergo intellectus noster nec uirtute propria nec aliqua uirtute sibi superaddita potest cognoscere nisi fantasmata uel ea que ex fantasmatibus deducuntur, quia est uirtus collatiua, et in hoc excedit sensum; set ex nullo fantasmate potest deduci clara et manifesta cognitio Dei; quare etc.

[2] Item plus distat essentia diuina a quocumque intellectu creato quam distet substantia separata a sensu nostro; set nulla uirtute potest fieri quod sensus noster cognoscat substantias separatas; ergo nulla uirtute potest fieri quod intellectus noster uideat diuinam essentiam.

[3] Item *infinutum secundum quod est infinitum est nobis ignotum, ut dicitur III Phisicorum*; set *Deus secundum omnem modum est infinitus; ergo secundum omnem modum est nobis ignotus*.

[4] Item super illud Ioh. 3: *Deum nemo uidit umquam, dicit CRISOSTOMVS quod nec celestes essentie, ipsa dico cherubin et seraphin, Deum ut est numquam uidere potuerunt*; cherubin tamen et seraphin sunt ordines beatorum et supremorum spirituum; ergo multo minus potest in uisionem Dei quicumque alius intellectus creatus.

[5] In contrarium est quod dicitur Math. 18 de beatis angelis qui *semper uident faciem Patris qui in celis est*, et APOSTOLVS I Cor. 12 de nobis loquens dicit: *Videmus nunc per speculum et in enigmate, tunc*

11 Sicut ... 12 intellectum] cf. Arist., *De an.*, III, 4, 429a16-18; *Auct. Ar.*, 6, 137 (186,30)

18 plus ... 21 essentiam] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, arg. 7 (480a-b); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, arg. 4 (229rb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, arg. 4 (473a)

22 infinitum<sup>1</sup> ... ignotum] cf. *Auct. Ar.*, 2, 105 (148,71); cf. Arist., *Phys.*, III, 6, 207a25-26

infinutum<sup>1</sup> ... 24 ignotus] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, arg. 5 (229rb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, arg. 10 (473b); Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, arg. 12 (481a)

25 super ... 27 potuerunt] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, arg. 1 (229rb); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, arg. 1 (479b-480a); cf. Ioh. Chrys., *In Ioh. homil.*, 15, 1 (98)

Deum ... umquam] *Ioh.*, 1, 18

31 semper ... est] *Math.*, 18, 10

32 Videmus ... 33 faciem] cf. I *Cor.*, 13, 12

8 adiutus] ad intus π

*autem uidebimus facie ad faciem, et I Ioh. 3 dicitur quod cum apparuerit, similes ei erimus, quando uidebimus eum sicuti est.*

[6] Et arguitur per rationem quia omnis potentia per actum suum potest tendere in omne illud in quo inuenitur per se ratio sui obiecti; set ratio formalis obiecti intellectus est ens secundum quod ens secundum AVICENNAM, que ratio potissime inuenitur in Deo; ergo uidetur quod intellectus creatus propria uirtute posset attingere ad intelligendum Deum secundum se. 35 40

[7] Responsio. Circa questionem istam procedetur sic quia primo ostendetur quid est illud unde causatur in nobis cognitio confusa, et secundo declarabitur propositum.

[8] Quantum ad primum distinguendum est de cognitione confusa, quia uno modo dicitur cognitio confusa quando non peruenitur ad cognitionem rei quidditatiuam uel specificam; alio modo dicitur confusa cognitio illa que est quidditatiua et specifica per comparisonem ad cognitionem intuitiuam, sicut ille qui habet cognitionem quidditatiuam de rosa quam non uidet dicitur habere confusam cognitionem per comparisonem ad illam quam habet de rosa quam presentialiter uidet. 45 50

[9] Primo ergo reddetur causa cognitionis confuse primo modo dicte et secundo reddetur causa cognitionis confuse secundo modo dicte. Causa cognitionis confuse dicte primo modo uidetur esse ex hoc quod res cognoscitur per medium prius cognitum quod insufficienter representat ipsam, quod fit maxime quando medium cognitum est inferioris gradus quam res representata per ipsum. Et hoc patet sic: *Cum enim sit triplex medium in uisione, scilicet medium quo, sicut species in oculo uel in intellectu species intelligibilis secundum ponentes ipsas, et medium sub quo, ut lumen corporale in uisione corporali, in intellectuali uero lumen intellectus agentis secundum ARISTOTILEM et SEQVACES eius, neutrum istorum modorum impedit claram et manifestam cognitionem rei, nec quidditatiuam nec* 55 60

33 cum ... 34 est] I Ioh., 3,2

37 ratio ... ens<sup>2</sup>] cf. Auic., *Metaph.*, I, 5 (31,2-3); Thom., *De uerit.*, I, 1, resp. (5,100-102)

45 uno ... 51 uidet] cf. Duns Scot., *Ord.*, I, 3, pars 1, 1-2 (49,14-50,5)

54 Causa ... 57 ipsum] cf. Duns Scot., *Ord.*, I, 3, pars 1, 1-2 (62,20-63,6)

58 Cum ... 90 dicte] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, resp., 3<sup>o</sup> (230a-b)

60 medium ... 61 agentis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, ad 15 (486b); I, 3, 5, 4, resp. (122); Arist., *De an.*, III, 5, 430a14-17; Auerr., *De an.*, III, 18 (439,58-71)

61 in intellectuali] *coni.*: intellectuale π

intuitiuam – alioquin color qui uidetur mediante lumine et specie, ut  
 65 dicitur communiter, non uideretur clare et manifeste, quod falsum est –,  
 est autem tertium medium, in quo dicitur res uideri, sicut in uisione  
 corporali ponitur exemplum de speculo in quo uel mediante quo uidet  
 aliquis faciem suam, in uisione uero intellectuali est tale medium  
 quando cognoscitur causa per effectum uel aliquid huic simile, tale  
 70 autem medium non est solum ratio cognoscendi alterum, sicut de specie |  $\pi 413ra$   
 dicitur, set est medium cognitum, et hoc, si sit inferioris gradus, causat  
 cognitionem confusam uel si ex aliqua alia causa non sufficienter  
 representet alterum. Dico autem: ‘Si sit inferioris gradus’, quia medium  
 superioris gradus non impedit claram cognitionem, alioquin Deus, qui  
 75 per essentiam suam cognoscit alia a se, de illis non haberet claram  
 cognitionem, quod falsum est. Causa autem huius est quia inferiora  
 perfecte continentur in superioribus, saltem in causa prima. Set  
 superiora continentur in inferioribus deficienter, et ideo per aliqua  
 superiora, ut per essentiam diuinam, perfecte representantur inferiora,  
 80 et per consequens per eam perfecte cognoscuntur. Set ea que sunt inferioris  
 gradus deficienter representant ea que sunt superioris gradus, et ideo  
 superiora cognoscuntur imperfecte et confuse per inferiora. Cum igitur  
 secundum cursum nature inditum cognoscamus nunc solum Deum  
 secundum quod representatur nobis per creaturas, que sunt inferioris  
 85 gradus, ideo cognoscimus ipsum confuse et in enigmate. Vnde causa eius  
 quod dicit APOSTOLVS I Co r. 13: Videmus nunc per speculum et in  
 enigmate, assignatur Ro m. I, cum dicitur quod inuisibilia ipsius,  
 scilicet Dei, per ea que facta sunt, idest per res creatas, que sunt  
 inferioris gradus, intellecta conspiciuntur. Patet ergo causa confuse  
 90 cognitionis primo modo dicte.

[10] Causa autem cognitionis confuse secundo modo dicte est  
 quod res cognoscatur per aliam rem precognitam uel, si non  
 precognitam, tamen illam cognitionem precessit alia eiusdem rei.  
 Verbi gratia quod cognitio intellectiua quam habemus de rosa non sit  
 95 intuitiua, hoc est pro tanto, quia rosam cognoscimus per aliquid  
 aliud precognitum uel quia cognitio intellectualis quam habemus de  
 rosa non est prima cognitio simpliciter quam habemus de ipsa, set

69 tale ... 71 cognitum] cf. Duns Scot., *Quodl.*, 14, 26, (a) (108a)

86 Videmus ... 87 enigmate] I *Cor.*, 13,12

87 inuisibilia ... 89 conspiciuntur] *Rom.*, 1,20

91 Causa ... 93 rei] cf. *Auct. Ar.*, 35, 1 (311,66)

92 res ... 100 intuitiua] cf. Duns Scot., *Ord.*, I, 3, pars 1, 1-2 (63,7-13)

eam precessit cognitio sensitiva. Hiis enim duobus exclusis, scilicet quod aliqua res non cognoscatur per aliam nec cognitionem talem precedat alia eiusdem rei, talis cognitio necessario est intuitiva; nec 100 oppositum videtur possibile secundum cursum nature, quidquid sit de potentia divina. Et sic patet primum.

[11] Quantum ad secundum, scilicet qualiter Deus possit cognosci a nobis clare et manifeste non solum cognitione quidditativa, set etiam intuitiva, est triplex modus dicendi: unus est EORVM qui dicunt 105 quod Deus tunc cognoscetur non per medium cognitum, set per duplex medium, scilicet per speciem divinam essentiam representantem, que est medium quo, et per lumen glorie, quod eleuat intellectum.

Secundus modus est EORVM qui dicunt quod divina essentia 110 videtur a beatis clare et nude, quia non representatur intellectui per aliquod medium cognitum nec per aliquam speciem, set immediate per se ipsam. Requiritur tamen medium eleuans intellectum et confortans ipsum, quod est lumen glorie, propter imperfectionem intellectus nostri et eius distantiam ab essentia divina. 115

Tertius modus est ALIQVORVM qui dicunt quod ad videndum divinam essentiam clare et nude a beatis non requiritur species representans nec aliquod lumen eleuans, set solum mutatio naturalis ordinis cognoscendi.

[12] Prima opinio probatur talibus rationibus: *primo, quia nulli rei 120 competit aliqua operatio* ut ipsa est in potentia, set *solum ut est in actu per aliquam formam* (secundus enim actus, qui est operatio, presupponit primum, qui est forma); set intellectus de se est in potentia ad intelligere, ut patet ex III De anima; ergo nullo modo

106 Deus ... 109 intellectum] cf. Alex. Hal., *Glossa*, I, 1, 18 (16); II, 8, 11 (79); *S.th.*, I-II, 518 (768b); uide etiam Bonau., *Super Sent.*, II, 23, 2, 3 (542-547); Guill. de Mara, *Corr.*, I (3); N. Wicki, *Die Lehre*, 130-131; 151-153; A. Dondaine, *L'objet*

110 diuina ... 115 diuina] cf. Alb., *De resurr.*, IV, 1, 9, 1, sol. (328,47-72); 2, sol. (329,77-83); *Summa de creat.*, IV, 32, 1 (509b); *Quaest. de visione Dei*, resp. (98,32-99,37); Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 7, sol. (501a); *S.th.*, I, 12, 2, resp.

116 ad ... 119 cognoscendi] cf. Duns Scot., *Coll. oxon. et paris.*, II (188a-193b); *Ord.*, IV, 49, 10 (418a-419b)

120 primo ... 127 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, resp. (23orb)

nulli ... 122 formam] cf. Thom., *De spirit. creat.*, 2, resp. (24,163-169)

122 secundus ... 123 forma] cf. Thom., *In De caelo*, II, 4, 334 (163b); *Super Sent.*, II, 27, 1, 1, ad 3 (696); 35, 1, 1, resp. (899)

123 intellectus ... 124 intelligere] cf. *Auct. Ar.*, 6, 155 (187,65); Arist., *De an.*, III, 6, 430b23-24; Auerr., *De an.*, III, 8 (420,15-21)

125 potest in operationem intelligendi nisi prius fiat in actu per aliquam formam. Hoc autem *non potest esse nisi species*, quia essentia diuina non potest esse actus formaliter intellectum perficiens; quare etc.

Secundo, quia nulla uirtute potest fieri quod sensus cognoscat sensibile aliquod nisi informatus aliqua specie rei sensibilis; ergo  
130 similiter nulla uirtute fieri potest quod intellectus intelligat aliquod intelligibile nisi informatus specie rei intelligibilis.

*Tertio, quia omnis cognitio fit per aliquam assimilationem cognoscentis ad cognitum; set talis assimilatio est per speciem* que est in cognoscente et est similitudo rei cognoscibilis; ergo etc. Et  
135 confirmatur per illud quod habetur I Ioh. 3: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est*. Et hoc modo dicunt ISTI quod intellectus creatus potest pertingere ad claram et intuitiuam cognitionem Dei ratione speciei ipsum immediate representantis, ut statim probatum est, et ratione luminis glorie  
140 intellectum | eleuantis et confortantis, ut deducetur in secunda π413rb opinionione, que habet illud commune cum ista.

[13] Quantum ad illud quod est huic opinioni proprium, scilicet quod requiratur species representans diuinam essentiam, non uidetur quod hoc sit uerum primo, quia, ut multi opinantur, nulla cognitio  
145 fit per talem speciem; secundo, quia dato quod aliqua cognoscerentur per speciem ea representantem, nullo tamen modo potest hoc dici de Deo in uisione beata.

Quod patet ex natura speciei representantis sic: *species representans et essentia per ipsam immediate representata sunt eiusdem rationis*  
150 *secundum speciem, licet differant in modo essendi; set nichil potest esse eiusdem rationis secundum speciem cum essentia diuina; ergo* nulla species potest representare essentiam diuinam. Minor de se patet, scilicet quod nulla res potest esse eiusdem speciei uel generis cum diuina essentia, quia ipsa est extra omne genus. Set maior probatur in  
155 hiis que sunt nobis notiora, sicut sunt sensibilia et maxime pertinentia ad uisum, ex quibus uidetur emanasse prima origo

128 Secundo ... 131 intelligibilis] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, resp. (23orb)

132 Tertio ... 134 etc] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, resp. (23orb)

135 Cum ... 136 est] I Ioh., 3, 2

148 species ... 152 diuinam] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, resp. (230va); supra, II (Q), 3, 5, A36 (165,538-166,540)

153 nulla ... 154 genus] cf. Thom., *S.th.*, I, 12, 2, resp.

154 probatur ... 163 representat] cf. supra, II, 6, 6, 10 (139rb)

ponendi species representantes, propter hoc quod color uidetur facere speciem suam in medio et in organo, sicut sensibiliter nobis apparet in refractione que est a speculo (nisi enim illud fuisset, forsitan numquam fuisset facta mentio de speciebus requisitis ad cognitionem); in hiis ergo sensibilibus probatur maior assumpta, scilicet quod species est eiusdem rationis specificice cum natura quam representat.

Primo sic: sicut se habet lux in corpore luminoso ad lumen causatum in medio, sic uidetur se habere color in corpore terminato ad speciem causatam in medio, quia *sicut proprium subiectum lucis secundum perfectum suum esse est corpus densum* (unde et *stella* lucens dicitur esse *densior pars* sue spere, II Celi et mundi), *sic proprium subiectum coloris*, qui in se continet aliquid de natura lucis, secundum perfectum suum esse *est perspicuum terminatum per opacum. Subiectum autem utriusque secundum esse imperfectum est perspicuum, non densum nec terminatum*, propter quod sicut se habet lux ad lumen, sic color ad speciem; set lux in corpore denso et lumen in medio sunt eiusdem rationis specificice, *licet differant in modo essendi secundum rationem perfecti et imperfecti propter diuersitatem subiectorum recipientium*; ergo similiter color in corpore terminato et species eius in medio sunt eiusdem rationis specificice, *licet differant secundum perfectum et imperfectum propter diuersitatem subiectorum recipientium*.

Secundo probatur eadem maior sic: actio omnium sensibilibum in medio et organo est uniuoca; calor enim distans ad hoc ut sentiatur oportet quod calefaciat medium usque ad organum et ipsummet organum, ut experimur, et idem est de sapore et de quocumque alio sensibili; ergo a simili uidetur quod actio coloris in medium et organum sit uniuoca, quod non esset nisi color et sua species essent unius rationis specificice.

Tertio patet idem sic: alio modo representatur res per medium cognitum et alio modo per medium quod est ratio cognoscendi, quia medium cognitum potest ducere in cognitionem alterius ratione

164 Primo ... 179 recipientium] supra, II, 6, 6, 18 (139vb)  
sicut ... 179 recipientium] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, resp. (230va-b)  
167 stella ... 168 spere] cf. *Auct. Ar.*, 3, 72 (165,97)  
180 Secundo ... 186 specificice] supra, II, 6, 6, 19 (139vb)

181 uniuoca] *coni.*: unica π



190 cuiuscumque habitudinis, siue ut simile siue ut contrarium siue ut  
 causa siue ut effectus uel qualitercumque aliter; set medium quod est  
 solum ratio cognoscendi non ducit in cognitionem alterius, ut  
 uidetur, nisi ratione similitudinis, unde et similitudo dicitur per  
 quandam expressionem. Similitudo autem non est differentium  
 195 secundum speciem, ergo species que est medium quo res cognoscitur,  
 ut dicitur similitudo rei, non differt secundum speciem a re quam  
 immediate representat. Et sic probata est sufficienter maior. Sequitur  
 ergo conclusio principalis, scilicet quod Deus non potest cognosci  
 immediate per speciem ipsum immediate representantem, et idem  
 200 oporteret dicere de quacumque re que non potest habere speciem  
 representantem ipsam que sit eiusdem rationis cum ea.

[14] Verumptamen contra hanc opinionem obicitur *primo quia  
 forme contrarie non compatiuntur se simul in eodem subiecto; set si  
 species representans et essentia representata essent eiusdem rationis  
 205 specificæ, contraria essent simul in eodem subiecto; ergo etc.* Minor  
 probatur, quia *si species representans et natura representata essent  
 eiusdem rationis specificæ, cum album et nigrum causant species | suas* *π413va*  
 per totum medium, tunc *in eadem parte medii esset species <albi et  
 species> nigri*, que sunt contrarie sicut album et nigrum, *si sint  
 210 eiusdem rationis specificæ cum albo et nigro*, ut ponitur. Secundo, quia  
 omne accidens denominat suum subiectum; si ergo species coloris  
 esset uerus color quantum ad naturam coloris specificam, sequeretur  
 quod aer et quodcumque medium in quo recipitur species coloris  
 diceretur coloratum; hoc autem non dicimus; ergo etc. Tertio, quia  
 215 illud quod dicitur quod ex quo species representat naturam rei  
 specificæ ut sola ratio cognoscendi, ideo uidetur esse eiusdem speciei  
 cum ipsa re, non ualet, quia non oportet quod species representans  
 habeat conuenientiam specificam cum re representata quantum ad  
 esse nature, set solum in ratione representandi, quia scilicet

191 medium ... 197 maior] supra, II, 6, 6, 19 (139vb)

202 primo ... 205 etc] Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, instantia ad dub. (230vb)

206 si ... 210 ponitur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 2° (231ra)

210 Secundo ... 214 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 2° (231ra)

214 Tertio ... 221 specificam] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 3° (231ra)

193 et] *coni.*: ut π      208 albi ... 209 species] *suppl.*: om. π      211 omne] *coni.*: omnes  
 π      216 cognoscendi] *coni.*: cogendi π

representat naturam rei non solum secundum condiciones 220  
uniuersales, set etiam secundum rationem propriam et specificam.

[15] Set illa non ualent. Primum enim argumentum est contra EOS  
qui ponunt speciem albedinis differre specificice ab albedine, sicut  
contra NOS qui ponimus unum conuenire cum altero in specie. Cuius  
ratio est quia contrariarum causarum immediatarum et sufficientium 225  
sunt contrarii effectus; set albedo et nigredo sunt contrarie forme  
quarum immediati effectus sunt species eorum in medio; ergo species  
albedinis et nigredinis sunt contrarie, siue sint eiusdem rationis cum  
suis causis siue non. Ergo eadem difficultas <est> qualiter possint esse  
simul in medio siue differant specificice a suis causis, ut ILLI dicunt, 230  
siue non differant, ut NOS ponimus.

[16] Argumentum ergo non est pro EIS nec contra NOS nisi  
quatinus petit quandam difficultatem hic solui, scilicet qualiter due  
species, scilicet albi et nigri, cum sint contrarie, possint simul esse in  
eadem parte medii. Et ad hoc dicendum est quod non sunt ibi 235  
distincte nec contrarie; nam sicut calidum et frigidum in eodem  
subiecto non causant calorem et frigus, que sunt contraria, set  
causant tepidum quod est qualitas media uno impediante puram  
actionem alterius et econuerso, sic album et nigrum causant in eadem  
parte medii speciem mediam continentem uirtualiter utrumque, sicut 240  
tepidum continet calidum et frigidum.

[17] Ad secundum dicendum quod albedo et nigredo non  
nominant naturam speciei absolute, set secundum potissimum eius  
gradum, que solum reperitur in perspicuo terminato per opacum,  
sicut lux nominat formam dyaphani secundum potissimum gradum 245  
que solum reperitur in dyaphano denso. Et quia secundum illum  
gradum nullus color est in medio, ideo medium non proprie potest  
dici coloratum, quia nec illa species proprie potest dici color, licet sit  
eiusdem nature specificice cum colore a quo causatur, sicut medium  
non proprie dicitur lucens, quia non habet lucem secundum 250  
perfectum gradum, secundum quem nominatur lux, quamuis habeat  
lumen, quod est eiusdem speciei cum luce, licet in gradu remisso,  
dicitur tamen illuminatum, quia illi denominationi quam facit lumen

224 unum ... specie] cf. supra, II, 6, 6, 17-18 (139vb); II (24), 3, 5, A36 (165,538-166,540)

236 sicut ... 241 frigidum] cf. Thom., *S.th.*, II-II, 179, 2, ad 2

229 est] *suppl.*: om. π      236 nec] *coni.*: nature π

est nomen impositum, set denominationi quam facit species in  
255 medio non est nomen impositum.

[18] Quod autem tertio additur quod sufficit quod species  
representans sit eiusdem nature specificice cum re representata in  
representando et non in essendo, friuolum est et sola fuga difficultatis  
quoad hominem. Si enim species representans dicitur eiusdem speciei  
260 cum re representata in representando, aut intelligitur quod illa  
ydemptitas attendatur quantum ad representationem, ita scilicet  
quod sicut unum representat aliquam rem, ita aliud representat  
eandem rem secundum speciem, et ista ydemptitas non potest poni  
inter speciem representantem et rem representatam per ipsam, aut  
265 intelligitur quod unum representat et aliud representatur. Set dicere  
propter hoc esse ydemptitatem secundum speciem inter representans  
et representatum est absurdum, quia causa representat effectum, et  
econuerso etiam in equiuocis et in multis aliis quantumcumque  
270 genere uel specie differentibus, que tamen propter representationem  
non dicuntur unius speciei cum eo quod representant.

Item representatio, cum sit habitudo rei representantis ad illud  
quod representatur, habet aliquod fundamentum ratione cuius  
conuenit ei representare, et illud non potest esse nisi natura speciei,  
non quatinus est effectus rei absolute, quia multis effectibus non  
275 conuenit sic representare. | Deducendo etiam in omnibus aliis *π413vb*  
numquam inuenietur ratio et fundamentum talis representationis,  
non enim inuenitur in omni re, set in illa tantum que est effectus  
uniuocus, deficiens tamen in tantum a perfectione speciei quod non  
terminat in actum potentie, et ita non est obiectum cognitum, ut  
280 simile, set est solum ratio et medium cognoscendi alterum, ut  
similitudo. Si enim talis species non esset eiusdem rationis cum re  
quam representat, nullo modo posset esse ratio representandi perfecte  
alterum, cum ipsa sit quid imperfectissimum, quin potius res que  
sunt nature perfectioris essent perfectioris representationis.

285 [19] Et istam rationem assignat frater THOMAS IV lib., dist. 49, ubi  
expresse dicit quod similitudo secundum speciem requiritur inter  
representans et representatum, *quamuis non sit idem modus essendi  
utrobique*. Et per totam deductionem illius rationis in qua fundat  
positionem suam apparet quod ipse intendit de ydemptitate specifica

256 sufficit ... 258 essendo] cf. supra, 14 (201,214-202,221)

286 similitudo ... 288 utrobique] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, sol. (483a-b)

in essendo et non in representando, alioquin ratio eius non ualeret 290  
 unam festucam. Dicit enim quod propter hoc diuina essentia non  
 potest representari per speciem, quia omnis similitudo creata differt  
 ab essentia diuina secundum genus et non conuenit ei nisi secundum  
 analogiam. Si enim intelligat de differentia rei, habetur propositum;  
 si uero de differentia rationis in representando, petit principium, quia 295  
 potest dici quod quantumcumque species differt secundum genus in  
 essendo, conuenit tamen secundum speciem in representando, quia  
 representat perfecte diuinam essentiam in quantum perfecte uidetur  
 ab intellectu creato. Et sic patet primus modus quantum ad primam  
 partem sui, quia secundam partem habet communem cum secunda 300  
 opinione, de qua statim dicitur. Hec autem que dicta sunt de specie,  
 quod non potest esse medium representans diuinam essentiam in  
 uisione beata, dicta sunt secundum opinionem illorum qui credunt  
 aliquam cognitionem fieri per speciem que non est medium  
 cognitum, set sola est ratio cognoscendi, quam opinionem non 305  
 credimus esse ueram, sicut ostensum fuit lib. II dist. 3 q. 6. Set  
 quacunque opinione data nos habemus intentum, quia si nulla  
 cognitio fit per talem speciem, ergo nec cognitio beata de qua nunc  
 agitur nec aliqua cognitio angelica de qua actum est in II lib. nec  
 uniuersaliter aliqua alia. Si uero aliqua cognitio fiat per talem 310  
 speciem, hoc est possibile solum quando species representans et res  
 per ipsam representata possunt esse eiusdem speciei in esse nature,  
 quod non est possibile in cognitione beata nec in cognitione angelica  
 nec in aliqua cognitione intellectiua.

[20] Secundus modus est EORVM qui dicunt quod ad uidendum 315  
 Deum clare et manifeste non requiritur medium cognitum nec  
 medium quod est solum ratio cognoscendi ut species, set  
 representatur intellectui creato ipsa essentia diuina secundum se,  
 requiritur tamen medium eleuans et confortans, quod est lumen  
 glorie. Et ISTI uariantur, quia QUIDAM uocant illam eleuationem 320  
 confortationem potentie ad eliciendum actum intelligendi respectu  
 talis obiecti, ALII autem uocant istam eleuationem uel confortationem  
 dispositionem potentie intellectiue ad suscipiendum actum

291 quod ... 294 analogiam] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, sol. (483b-484a)

320 uocant ... 322 obiecti] cf. Thom., *Super Sent.*, II, 7, 2, 2, sol. (190); *De uerit.*, 8, 9, ad 5  
 (251,245-256); *S.th.*, I, 12, 2, resp.; 106, 1

322 uocant ... 324 intelligendi] cf. God. de Font., *Quodl.*, V, 9 (33-34); Thom., *Super  
 Sent.*, IV, 49, 2, 6, sol. (498a); 7, sol. (501a)

intelligendi, secundum duas opiniones que currunt de modo  
 325 intelligendi, quia QUIDAM dicunt quod intelligere est exercere actiue  
 operationem, ALII autem dicunt quod intelligere est esse perfectum  
 quadam forma que dicitur operatio, ut respicit obiectum.

Vtriusque autem opinionis potest duplex ratio assignari. Prima  
 talis est: nulla uirtus naturalis potest secundum se in operationem  
 330 supernaturalem nisi confortata per aliquod supernaturale sibi  
 collatum, nec aliquod subiectum est susceptiuum forme  
 supernaturalis nisi disponatur dispositione supernaturali per quam  
 eleuetur; *ultima enim dispositio ad formam* et forma recipiuntur in  
 subiecto *secundum eandem rationem, ita quod si unum sit naturale, et*  
 335 *reliquum*, <et si unum sit supernaturale, et reliquum>; set uisio  
 diuine essentie uel est operatio elicita ab intellectu nostro uel est  
 perfectio recepta in ipso, non quecumque, set supernaturalis; ergo  
 non potest elici ab ipso nec recipi in ipso absque dispositione  
 supernaturali eleuante et confortante intellectum ad eliciendum  
 340 ipsam actiue uel ad suscipiendum ipsam passiuę; illa autem dispositio  
 uocatur lumen glorie; quare etc. |

π414ra

Secunda ratio talis est: *maior est improportio cuiuslibet intellectus  
 creati ad diuinam essentiam quam cuiuscumque potentie sensitiue ad  
 suum obiectum; set quedam potentia sensitiua*, scilicet uisua, *non est*  
 345 *apta* elicere uel suscipere actum uidendi *nisi recepta quadam forma*  
*extrinseca per quam ad* talem actionem uel receptionem *disponitur*  
 (uisus enim non potest cognoscere uisibile nisi prius recipiat lumen  
 corporale ab extrinseco); ergo multo minus intellectus creatus potest  
 elicere uel suscipere actum intelligendi diuinam essentiam nisi  
 350 disponatur per formam supernaturalem quam uocamus lumen glorie.

[21] Set ista non uidentur sufficere: primo, quia neutra opinio dat  
 possibilitatem cognoscendi Deum clare et nude, set solum ostendit  
 quod talis cognitio non est possibilis per naturam. Non sequitur  
 autem: 'Non est possibilis per naturam, ergo est possibilis per aliud

325 intelligere ... 326 operationem] cf. e.g. Thom., *Super Sent.*, IV, 44, 3, 3, sol. 1 (347b);  
*S.th.*, I, 77, 5, resp.

326 intelligere ... 327 obiectum] cf. God. de Font., *Quodl.*, IX, 19 (275-276); Aeg. Rom.,  
*Quodl.*, III, 14 (175a)

329 nulla ... 341 etc] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 6, sol. (497b-498a)

342 maior ... 346 disponitur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 5<sup>o</sup> (232vb)

maior ... 350 glorie] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 6, sol. (498a)

335 et<sup>1</sup> ... reliquum<sup>2</sup>] *suppl.: om. π*

additum nature<sup>364</sup>; alioquin posset dici de omni impossibili, etiamsi 355  
 contradictionem includeret, quod licet non est possibile per naturam,  
 esset tamen possibile per aliquod superadditum supernaturale.  
 Neutra autem opinio, nec illa que dicit quod lumen requiritur ad  
 eliciendum actum nec illa que dicit quod requiritur ad recipiendum  
 ipsum, declarat quod illud lumen supernaturale det possibilitatem 360  
 uidendi Deum, set solum dicit quod sine aliquo supernaturali  
 superaddito non esset possibile Deum uidere.

Secundo, quod nec illud quod utraque opinio dicit sufficienter  
 probatur. Quod patet de opinione, que ponit lumen glorie requiri ad  
 eliciendum actum intelligendi, quia *quod intellectus noster confortetur* 365  
*per lumen glorie et confortatus eleuatur* ad eliciendum actum  
 intelligendi uisionis beate, *non potest intelligi nisi dupliciter: uno modo*  
*quod per informationem intellectus nostri a lumine glorie uirtus eius*  
*intendatur et intensa eleuetur ad uisionem essentie diuine, ad quam*  
*prius attingere non poterat; alio modo quod intellectus noster et lumen* 370  
*glorie, tamquam duo imperfecta agentia, suppleant uicem unius perfecti*  
*agentis respectu talis uisionis, quemadmodum quando duo trahunt*  
*nauem quorum duorum neuter posset per se trahere et due candeles*  
*causant intensum lumen quod neutra per se sufficeret causare.*

*Primum non potest dici propter duo. Primum est quia intellectus* 375  
*noster non est forma suscipiens magis et minus; secundum est quod omne*  
*intendens aliud per se est tale formaliter uel uirtualiter sicut illud quod*  
*intenditur. Verbi gratia illud quod intendit calorem est calidum*  
*formaliter, ut ignis, uel uirtualiter, sicut sol intendit calorem aeris (dico*  
*autem 'per se', quia contrarium per accidens confortat et intendit, sicut* 380  
*calidum circumstans [non] comburit, de quo nichil ad presens); lumen*  
*autem glorie non est tale formaliter qualis est intellectus noster nec*  
*uirtualiter, quia lumen glorie non est causatiuum uirtutis intellectiue;*  
 ergo lumen glorie non potest confortare intellectum nostrum ipsum  
 intendendo. 385

*Secundum etiam non potest dici, quia si intellectus creatus et lumen*  
*glorie supplerent uicem unius perfecti agentis, tunc quodlibet eorum*

364 opinione ... 365 intelligendi] cf. supra, 20 (204,320-322)

365 quod ... 400 illuminatum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 5<sup>o</sup> (232ra-b)

370 alio ... 374 causare] cf. supra, II, 1, 4 (54,172-176; 55,212-213); uide etiam e.g. Thom.,  
*S.c.g.*, IV, 7; *Super De causis*, 17 (99,18-22)

381 non] *secl.: hab. π*

*haberet similem uirtutem respectu actus intelligendi*, sicut duo trahentes nauem respectu tractus nauis, *et sic lumen glorie esset quedam potentia intellectiua*, sicut intellectus noster, quod est inconueniens.

[22] *Et si dicatur quod lumen corporale confortat uisum et tamen uisus non intenditur nec remittitur per ipsum nec etiam uisus et lumen corporale sunt duo imperfecta agentia suppleantia uicem unius agentis perfecti, propter quod eodem modo, ut uidetur, potest esse circa intellectum nostrum et lumen glorie, dicendum quod non ualet, quia lumen corporale non requiritur tamquam confortans uisum qui secundum se potest in obiectum sibi representatum, set requiritur ut dispositio medii et organi ad suscipiendum speciem coloris secundum ponentes uisionem fieri per speciem, quia medium uel organum non reciperet speciem coloris nisi esset actu illuminatum, quia color non est aptus natus facere speciem suam in medio et in organo nisi in illuminatis. Igitur in uisione beata non requiritur lumen glorie ut confortans intellectum, nec ex parte obiecti, quasi dans ei uirtutem mouendi intellectum, cum essentia diuina posset hoc de se sine quacumque uirtute creata. Si ergo aliquo modo requiritur, hoc erit ad disponendum intellectum ad suscipiendum actionem obiecti, quemadmodum dictum | est de lumine corporali respectu medii et organi, quod pertinet ad sequentem articulum, de quo statim patebit.* π414rb

Secunda etiam opinio, que dicit quod lumen glorie requiritur ad suscipiendum actum uisionis beate, que est forma supernaturalis et improporcionata nature, non ualet. Cum enim dicitur quod nullum subiectum est susceptiuum forme supernaturalis nisi disponatur per aliquam dispositionem supernaturalem, non est uerum, quia dispositio supernaturalis est quedam forma supernaturalis. Illa ergo aut recipitur immediate in natura aut mediante alia dispositione: si immediate, eadem ratione et quelibet alia forma supernaturalis, si mediate, aut dispositio media erit naturalis aut supernaturalis; si naturalis, habetur quod natura ex naturalibus est capax forme supernaturalis; si supernaturalis, queram quomodo recipitur in subiecto: aut mediante dispositione naturali aut supernaturali. Et sic procedetur in infinitum nisi stetur in hoc quod forma supernaturalis recipiatur in intellectu absque dispositione supernaturali.

409 Secunda ... opinio] cf. supra, 20 (204,322-205,324)

413 non ... 422 supernaturali] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 6° (232rb-va)

Item contra utramque opinionem communiter potest sic argui quia si requiritur dispositio supernaturalis ad eligendum actum intelligendi aut ad suscipiendum ipsum, hoc non est nisi propter 425 excessum obiecti super potentiam, ut per ipsam potentia sit proportionata obiecto, que secundum se distat in infinitum ab ipso; set propter hoc non oportet quod requiratur dispositio supernaturalis, quia ea addita adhuc tantum distat potentia ab obiecto sicut prius, scilicet in infinitum; ergo propter hoc non requiritur aliqua dispositio 430 supernaturalis. Per hoc patet responsio ad duas rationes probantes utramque opinionem.

[23] Ad primam dicendum quod nulla forma seu dispositio supernaturalis potest eleuare intellectum ad illud ad quod non potest secundum se ipsum. Nec ad recipiendum formam supernaturalem 435 uel actum oportet semper ponere dispositionem supernaturalem, alioquin esset processus in infinitum. Ad secundam patet responsio ex dictis in reprobatione opinionum, ubi dictum est propter quid requiritur lumen in uisione corporali.

Et quidquid sit de facto, an tale lumen glorie sit in intellectu 440 beato, tamen de possibili tenet frater THOMAS lib. IV, dist. 49, quod beata uisio potest communicari homini existenti in puris dispositionibus uie et ita non habenti lumen glorie.

[24] Tertius modus est quod ad uidendum Deum clare et manifeste non requiritur species representans diuinam essentiam, ut 445 dicit prima opinio, nec aliquod lumen creatum eleuans intellectum, ut dicit tam secunda opinio quam prima, set sufficit quod diuina essentia immediate representetur intellectui creato. Quod utique non potest fieri secundum ordinem nature, quem experimur, secundum quem nichil intelligimus nisi ex sensatis et ymaginatis, set potest hoc 450 fieri secundum ordinem diuine gratie.

Et illud potest patere sic: ubicumque natura et uirtus potentie se extendunt ad obiectum, *presentato obiecto* per se et immediate et

442 beata ... 443 glorie] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 7, sol. (501a-b)

444 ad ... 451 gratie] cf. Duns Scot., *Coll. oxon. et paris.*, II (188a-193b); *Ord.*, IV, 49, II, 10 (418a-419b)

452 ubicumque ... 463 essentie] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, 2° (231vb); Aeg. Rom., *Quodl.*, III, 14, resp. (175a-b)

424 eligendum] erigendum  $\pi$       429 sicut prius] *coni.: inu. \pi*      449 quem] *coni.:*  
quam  $\pi$       453 ad] *coni.: ab \pi*



*excluso impedimento omni causante enigma, necessario sequitur cognitio*  
 455 *clara et manifesta, qualis est possibilis inter talem potentiam et obiectum*  
 secundum quemcumque modum; set noster intellectus de se potest  
 in essentiam diuinam tamquam in obiectum, et totum  
 impedimentum clare et manifeste cognitionis diuine essentie est quia  
 cognoscitur per medium inferioris gradus, quod est essentia creata,  
 460 quod medium potest excludi, ut probabitur; *ergo hoc excluso et*  
*presentata diuina essentia intellectui secundum se* et immediate *sequitur*  
*cognitio clara et manifesta*, qualis possibilis est intellectui nostro  
 respectu diuine essentie. Maior patet, quia ex quo potentia potest in  
 obiectum de natura sua potest ipsum cognoscere, et si  
 465 impedimentum causans obscuram cognitionem excludatur,  
 consequens est quod potentia cognoscat obiectum clare quantum est  
 possibile. Minor probatur, quia intellectus noster de se potest  
 cognoscere essentiam diuinam; nam et philosophi probauerunt  
 Deum esse quandam naturam subsistentem intellectualem et  
 470 habentem omnem perfectionem.

Quod autem huiusmodi cognitio esset nobis obscura et eis, causa  
 est quia naturali ordine non cognouerunt nec nos cognoscimus  
 Deum nisi ex creaturis que, cum sunt inferioris gradus, non  
 representant ipsum clare et manifeste. Hoc autem impedimentum  
 475 potest amoueri uirtute diuina, que potest omne quod | non implicat *π414va*  
 contradictionem. Quod autem intellectus noster, qui secundum  
 ordinem nature non consurgit in cognitionem Dei nisi ex creaturis,  
 posset ipsum habere presentem secundum se, <nullam>  
 contradictionem implicat, quia in actionibus naturalibus uidemus  
 480 quod Deus potest modum agendi immutare, hoc etiam attestatur  
 omnis opinio circa materiam istam, quia omnes ponunt quod Deus  
 in uisione beata immutabit illum ordinem quo nunc cognoscimus  
 ipsum ex creaturis et representabitur intellectui nostro nullo alio  
 precognito. Et hec fuit minor. Sequitur ergo conclusio.

469 Deum ... 470 perfectionem] cf. *Auct. Ar.*, 27, 16 (297,57-59); Arist., *Metaph.*, XII, 7, 1072b26-30

478 nullam] *suppl.*: om. π      482 nunc] *coni.*: non π

Et hanc uiam necessario habent tenere ILLI qui dicunt quod Deus 485  
potest uisionem immediatam sue essentie communicare homini  
existenti in puris dispositionibus uie, quia ISTI excludunt speciem  
representantem et lumen glorie a tali uisione.

Ex quo potest sic argui quod essentia diuina sit presens intellectui  
nostro in ratione obiecti que prius non erat ei sic presens. Oportet 490  
quod hoc sit uel ex mutatione sui uel ex mutatione intellectus: non  
ex mutatione sui, quia ipsa est omnino immutabilis, nec ex  
mutatione intellectus per aliquod receptum quod est species uel  
lumen, quia speciem negant, lumen autem ponitur ut dispositio  
patrie. IPSI autem dicunt quod talis potest communicari intellectui 495  
habenti solas dispositiones uie; oportet ergo quod per hoc solum  
mutetur intellectus, quia mutatur ordo naturalis quem habet in  
intelligendo secundum quem non cognoscit Deum <nisi> ex  
creaturis.

[25] Insurgit autem hic duplex dubitatio: una de conclusione, alia 500  
de ratione probante conclusionem.

Contra conclusionem enim potest sic argui: quia unus intellectus  
humanus est beator alio, etiam intellectus humanus potest esse eque  
beatus sicut intellectus angelicus; set illud non potest esse nisi  
ponatur in intellectu humano lumen glorie; ergo etc. Maior patet per 505  
illud quod dicitur I o h . 14: *In domo Patris mei mansiones multe sunt*,  
per quod innuitur quod diuersi homines habebunt diuersos gradus  
beatitudinis; et M a t t h . 22 dicitur quod erunt *sicut angeli Dei in*  
*celo*, in quo promittitur hominibus equalitas beatitudinis cum angelis;  
igitur secundum dictum Scripture unus homo potest esse beator 510  
altero et etiam eque beatus cum angelo et beator quibusdam angelis,  
quia secundum beatum GREGORIVM *ad singulos ordines angelorum*  
*aliqui de hominibus assumendi*. Et sic patet maior.

Minor probatur, quia si non exigitur lumen glorie ad uidendum  
Deum, tunc inter homines non poterit esse diuersus gradus uisionis, 515

485 Deus... 487 uie] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 7, sol. (501a-b); supra, 23  
(208,442-443); uide etiam Duns Scot., *Ord.*, I, 3, pars 1, q. 1-2 (16,2-17,8); *Ord.*, IV, 49, II,  
(d) (404a)

506 In... sunt] *Ioh.*, 14,2

508 sicut... 509 celo] *Matth.*, 22,30

512 ad... 513 assumendi] Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 3, sed contra (400); Greg., *Hom. in*  
*euang.*, 34, II (309,267-270)

498 nisi] *suppl.*: om. π

nec ex parte intellectus, quia inter intellectus humanos non potest esse gradus maioris et minoris perfectionis, nec ex parte essentie diuine, quia ipsa eodem modo et eque immediate representatur cuilibet intellectui beato, nec ex parte medii, quia nullum medium  
520 ponitur secundum hanc opinionem; ergo non poterunt esse diuersi gradus in beatitudine hominum.

Item nec homo poterit pertingere ad beatitudinem angelorum, quia intellectus angeli excedit secundum naturam intellectum hominis; ex quo ergo non ponitur aliquod medium eleuans  
525 intellectum nostrum. Consequens est quod beatitudo intellectus nostri non poterit equari beatitudini angelorum, cuius contrarium Scriptura dicit.

[26] Item contra rationem probantem conclusionem sic potest obici: ad hoc quod potentia cognoscat obiectum clare et nude non  
530 solum requiritur presentia obiecti et exclusio impedimenti, scilicet medii causantis confusam cognitionem, set cum hoc requiritur proportio obiecti ad potentiam; set potentia intellectiua creata nullam proportionem habet cum essentia diuina, a qua distat in infinitum; ergo aliis exclusis et hoc solo remanente numquam poterit  
535 obiectum cognosci clare et manifeste.

[27] Ad primum ISTORVM potest responderi dupliciter: primo quod ,sicut aliquibus quandoque uisum est, quantum ad uisionem diuine essentie et eorum que in ipsa naturaliter uidentur non erit differentia inter homines beatos. Immo sic: omnes accipient unum denarium et  
540 erunt equales in hoc primi nouissimis et nouissimi primis quantumcumque portauerunt pondus diei et estus. Set differentia solum est quantum ad illa que reuelat Deus uoluntarie, quorum cognitio non pertinet ad beatitudinem essentialem, et etiam quantum ad dotes corporis et quosdam gradus dignitatis, in quibus quidam  
545 excedunt alios et beata | uirgo et Christus homo omnes angelos. Et per idem patet quod homo potest uenire ad gradus angelorum uel excedere aliquos, quia *ordines angelorum non distinguntur penes* π414vb

529 ad ... 535 manifeste] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5, ad 2 (233va); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, arg. 3 (473a)

536 Ad primum] cf. supra, 25 (210,502-211,521)

539 omnes ... 541 estus] cf. *Matth.*, 20

547 ordines ... 549 excedere] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 5 (233rb)

*uisionem diuine essentie, set penes modum recipiendi diuinas illuminationes in quibus homines possunt equari angelis uel eos excedere pro uoluntate Dei reuelantis.*

550

[28] Vel potest dici aliter et melius ac securius secundum opinionem ILLORVM qui dicunt quod intelligere est quedam forma recepta in intellectu que nata est recipere magis et minus. Posito enim quod non sit differentia ex parte intellectus recipientis nec ex parte obiecti presentati, nichilominus tamen Deus potest perfectiorem actum intelligendi influere uni quam alteri et homini quam angelo. Et sic poterit bonus homo esse beator altero et eque beatus cum angelo uel beator ipso secundum diuersitatem perfectionis actus intelligendi impressi huic uel illi.

[29] Ad secundum dicendum quod nichil cadens sub formali ratione obiecti excedit proportionem potentie per se, licet possit excedere per accidens, sicut claritas solis in se excedit uisum noctue propter hoc quod organum uisus in noctua leditur et dissoluitur a claritate solis in rota sua; et si hoc non esset, uisus noctue posset clare et manifeste uidere solem, quod satis innuit PHILOSOPHVS in quodam simili, cum dicit quod *si senex haberet oculum iuuenis, uideret utique sicut et iuuenis*; igitur excessus obiecti supra potentiam non potest esse causa cognitionis confuse et obscure nisi per accidens uel ratione organi, ut in potentiis sensitiuis, uel ratione modi cognoscendi, ut in potentia intellectiua, que non cognoscit naturaliter Deum uel substantias separatas nisi per creaturas corporales, que sunt inferioris gradus nec perfecte possunt representare eum. Omnis enim potentia habet proportionem cum omni eo quod cadit sub ratione sui obiecti; Deus autem cadit sub ratione entis, que est formalis ratio obiecti intellectus.

575

[30] Ad rationes principales dicendum. Ad primam concedo maiorem et nego minorem. Et ad probationem, cum dicitur: '*Sicut se habet sensibilia ad sensum*' etc., adhuc processus totus concedatur,

552 intelligere ... 553 intellectu] cf. Aeg. Rom., *Quodl.*, III, 14, resp. (175a); God. de Font., *Quodl.*, IX, 19 (275)

560 Ad secundum] cf. supra, 25 (211,522-527)

562 claritas ... 564 sua] Arist., *Metaph.*, II, 1, 993b9-11; *Auct. Ar.*, 1, 35 (118,44-46)

566 si ... 567 iuuenis] cf. *Auct. Ar.*, 6, 15 (175,105); Arist., *De an.*, I, 4 (408b21-22)

577 Sicut ... 578 sensum] cf. supra, 1 (195,11-12); Arist., *De an.*, III, 4, 429a16-18; *Auct. Ar.*, 6, 137 (186,30)

quia non concluditur nisi quod intellectus noster non potest  
 580 intelligere nisi quod representatur in fantasmatis uel deducitur ex  
 presentatis. Constat autem quod Deum cognoscimus ex representatis  
 a fantasmatis, quia ex rebus creatis consurgimus in cognitionem  
 Dei. Si uero aliquis uelit ex hoc concludere quod non possit alio  
 modo cognosci quam illo modo quo cognoscitur ex creaturis, in  
 585 arguendo esset fallacia figure dictionis mutando quid in qualiter et in  
 eodem sensu assumetur falsum contra conclusionem, quia sensus  
 potest cognoscere sensibile absque specie recepta a sensibili, si talis  
 species ferent in ipso uirtute diuina. Et eodem modo potest  
 intellectus noster diuina uirtute cognoscere Deum, sibi  
 590 representatum alio modo quam per creaturas corporales; quamuis  
 Deus non possit facere quod potentia feratur in aliquid quod non  
 cadit sub ratione sui obiecti, sicut quod uisus cognoscat sonum, quia  
 hoc implicat contradictionem, potest tamen inter potentiam et  
 obiectum mutare modum representandi et cognoscendi.

595 [31] Ad secundum dicendum quod essentia diuina non distat  
 tantum ab intellectu creato quantum ad proportionem cognoscentis  
 et cognoscibilis quantum distat substantia separata a sensu, quia  
 essentia diuina cadit sub ratione formali obiecti intellectus, que est  
 ens secundum communem rationem entis; substantia uero separata  
 600 non cadit sub ratione formali obiecti sensus, que est qualitas  
 sensibilis, que non potest esse nisi in corpore.

Per illud etiam argumentum, si ualeret, posset equaliter probari  
 quod Deus non potest cognosci ab intellectu nostro cognitione  
 confusa, sicut probatur quod non potest cognosci cognitione clara et  
 605 manifesta, quia cognitio sensus non se extendit ad cognitionem  
 substantiarum separatarum quoquo modo; et causa est quia ille non  
 cadunt sub formali ratione obiecti sensus.

[32] Ad tertium dicendum est quod infinitum priuatiue secundum  
 quod huiusmodi est ignotum, si cognoscatur | eo modo quo est *π415ra*  
 610 infinitum, quia infinitum priuatiue secundum appositionem et  
 diuisionem, ut determinatur lib. III *Phisicorum*, numquam est

585 fallacia ... qualiter] cf. Arist., *Soph. el.*, 4, 166b12-14

610 infinitum<sup>2</sup> ... 611 diuisionem] cf. *Auct. Ar.*, 2, 112 (148,79-80); Arist., *Phys.*, III, 7, 207b1-5

592 obiecti] *coni.*: subiectis *π*      598 intellectus ... 600 obiecti] *iter.* *π*

totum acceptum, set semper restat aliquid accipiendum. Et si eo modo cognoscatur, semper restat aliquid cognoscendum et quantum ad illud nondum est cognitum et sicut quod acceptum est semper est finitum. Ratione uero eius quod accipiendum est, dicitur infinitum 615 sic quod cognitum est est finitum, quod autem restat cognoscendum est infinitum. Set infinitum negatiue (cuiusmodi est Deus, qui non est infinitus, quia ei desit aliquid quod in posterum sit ab eo accipiendum, set quia continet omnem perfectionem ultra quam nichil est possibile accipere), tale secundum se est maxime 620 cognoscibile; et si non sit maxime cognitum, hoc est ex defectu potentie uel modi cognoscendi.

[33] Ad quartum dicendum est quod *illa auctoritas tripliciter potest intelligi, sicut per beatum AVGVSTINVM patet in lib. De uidendo Deum: primo ut excludatur uisio corporalis, quia oculo corporali 625 Deum nemo uidit umquam nec uisurus est; secundo ut excludatur uisio intellectualis naturalis a nobis dum uiuimus in isto mortali corpore, quia nullus umquam ex naturalibus potuit attingere ad claram et manifestam uisionem Dei per essentiam; tertio modo ut excludatur uisio comprehensionis ab omni intellectu creato. Et sic exponit IOANNES 630 CRISOSTOMVS dicens: 'Notitiam huius dicit euangelista certissimam considerationem et comprehensionem tantam tanquam quantam habet Pater de Filio'. Per hoc tamen non excluditur quin beati tam homines quam angeli uideant Deum clare, quamuis non comprehensiuē.*

### QVESTIO TERTIA

VTRVM BEATI VIDENTES DIVINAM ESSENTIAM VIDEANT IN IPSA OMNIA ALIA

[1] Tertio queritur utrum beati uidentes diuinam essentiam uideant in ipsa omnia alia. Et uidetur quod sic, quia Deus uidendo suam 5

623 illa ... 633 Filio] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, ad 1 (484a-b); uide Aug., *Epist.* 147 (*De uidendo Deum*), 5, 13-15 (285-288)

631 Notitiam ... 633 Filio] cf. Ioh. Chrys., *In Ioh. homil.*, 15, 3 (99)

616 finitum] *coni.*: infinitum π

essentiam uidet in ipsa omnia alia; ergo similiter beati uidentes diuinam essentiam uident in ipsa omnia alia. Antecedens patet. Probatio consequentie, quia utraque uisione non est differentia ex parte essentie in se nec ex parte rerum que in ipsa representantur; ex  
 10 parte uero uidentium, scilicet intellectus diuini et intellectus creati, non est differentia quin ab utroque totum possit uideri, et de intellectu quidem diuino constat; de intellectu autem creato similiter patet, quia si intellectus creatus potest in essentiam diuinam, fortiori  
 15 ratione potest in omnia creata per diuinam essentiam representata, cum illa non excedant nec equantur essentie diuine. Ergo non est differentia nisi in claritate intellectuum; set illa non ponit in intelligendo nisi diuersitatem intensionis et non in pluritate intellectorum; ergo etc.

[2] Item ISIDORVS dicit in lib. De s u m m o b o n o quod *angeli*  
 20 in *uerbo Dei omnia sciunt antequam fiant*, et GREGORIVS IV Dyalogorum dicit quod *illi qui in claritate Deum conspiciunt quid est quod illi nesciant ubi scientem omnia sciunt*; uidetur ergo quod beati, tam angeli quam homines, uidendo diuinam essentiam uideant in ipsa omnia alia.

25 [3] In contrarium arguitur secundum DYONISIVM in VI Celestis hierarchie: *Angeli superiores purgant inferiores a nescientia; angeli autem inferiores diuinam essentiam uident; ergo angeli uidentes diuinam essentiam possunt aliqua nescire*, et fortiori ratione anime separate uidentes Deum.

30 [4] Responso. Questio ista non est utrum intellectus beatus uidens diuinam essentiam uideat alia a diuina essentia quacumque uisione, quia uisio beata non excludet a beatis cognitionem naturalem quam habent de rebus nec cognitionem reuelationis de aliquibus sciendis, que fit tam hominibus quam angelis; et ideo constat quod beati  
 35 uidentes diuinam essentiam quadam alia uisione uident res creatas. Nec rursus est questio utrum intellectus uidens diuinam essentiam possit miraculose impediri quod non uideat aliquid in ea preter

19 angeli ... 20 fiant] cf. Isidor., *Sent.*, I, 10, 17 (34,III)

21 illi ... 22 sciunt] cf. Greg., *Dialog.*, IV, 34, 5 (116,49-51); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 5, arg. 2 (493a)

26 Angeli ... 28 nescire] cf. Ps.-Dionys., *De cael. hier.*, III (792-793); IV (812-813); VII (855-860); VIII (880-882); ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 5, sed contra I (494a)

ipsam. Hoc enim uidetur QVIBUSDAM possibile, quia obiecto  
 representato potentie create stante illa dispositione qua unum est  
 π415ra cognoscibile | et reliquum est cognitium, adhuc Deus potest 40  
 suspendere actum potentie respectu sui obiecti, sicut et in naturalibus  
 uidemus quod combustium presens combustibili potest impediri  
 diuina uirtute ne comburat, sicut factum est de tribus pueris  
 existentibus in camino ignis, ut legitur Dan. 3; et eodem modo  
 potest Deus facere quod presentata diuina essentia intellectui nostro 45  
 disposito, siue ex se siue per lumen glorie, non uideatur. Et similiter,  
 dato quod essentia uideatur et res create per essentiam diuinam  
 represententur, potest Deus facere quod actus intelligendi non  
 impeditus respectu essentie diuine impediatur respectu rerum  
 representatarum in essentia. Intelligitur ergo questio tertio modo, 50  
 scilicet utrum intellectus beatus uidens essentiam diuinam eadem  
 uisione et ex natura eiusdem uisionis uideat omnia alia in ipsa.

[5] Et sic de hac questione sunt tres opiniones. Prima est quod  
 intellectus uidens diuinam essentiam ex natura talis uisionis uidet ea  
 que sunt realiter in ipsa, ut sunt persone diuine et relationes 55  
 personarum et modi emanationum, set res creatas non uidet. Primum  
 quidem supponitur tamquam clarum, quia uisa clare aliqua natura  
 uidentur ea que sunt naturaliter in ipsa; set in essentia diuina sunt  
 persone et relationes earum et origines et modi emanationum; quare  
 etc. 60

Secundum autem, quod est principale quesitum, probatur sic:  
*intellectus finitus et limitatus potest aliquis sub ratione absoluta  
 cognoscere absque hoc quod cognoscat ipsum sub ratione relata; set  
 essentia diuina est ratio cognoscendi se ipsam sub ratione absoluta; est  
 autem ratio cognoscendi alia sub ratione relata; ergo essentia diuina 65  
 potest cognosci secundum se et absolute absque hoc quod  
 cognoscatur in habitudine ad creaturas, ut ratio cognoscendi eas. Et  
 ita ex natura uisionis diuine essentie non est quod in ipsa uideantur  
 res create.*

38 obiecto ... 46 uideatur] cf. God. de Font., *Quodl.*, VI, 1 (98-100; 108)

obiecto ... 52 ipsa] cf. etiam Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 7, sol. (501a-b)

43 de ... 44 ignis] cf. *Dan.*, 3,20-24

53 Prima ... 60 etc] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., op. com. (112va)

54 intellectus ... 56 uidet] cf. e.g. Henr. de Gand., *Quodl.*, VII, 4, sol. (39,64-68)

61 Secundum ... 69 create] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic. (112va)

62 intellectus ... 69 create] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, resp. (192vb)



- 70 Item essentia diuina non ducit in cognitionem alicuius rei create nisi accepta sub ratione ydee; set non oportet quod intellectus uidens diuinam essentiam uideat ipsam sub ratione ydee; ergo non oportet quod in ipsa uideat aliquam rem creatam. Maior patet, quia ydea ponitur ratio cognoscendi rem et fiendi. Minor similiter probatur,
- 75 quia essentia diuina non habet rationem ydee nisi ut est a Deo apprehensa obiectiue, ut apparet ex I lib.; set non oportet quod intellectus uidens diuinam essentiam in se uideat eam ut apprehensam a se; ergo non oportet quod uidens diuinam essentiam in se uideat eam sub ratione ydee. Et hec fuit minor.
- 80 Item secundum AVGVSTINVM lib. De uidendo Deum Deus est speculum uoluntarium; set speculum uoluntarium non necessario representat in se aliud a se, alioquin non esset uoluntarium; ergo essentia diuina non necessario representat in se aliud a se. Set nichil cognoscitur in diuina essentia nisi quod representatur per ipsam; ergo
- 85 in essentia diuina non necessario uidetur aliud ab ipsa.

[6] Set illud non uidetur, quia perfectior est cognitio quam habet beatus de diuina essentia clare et manifeste uisa quam illa quam habemus ex naturalibus de quacumque substantia creata uel saltem de ipsa essentia diuina; set ex naturalibus cognoscimus substantias

90 creatas et etiam Deum non solum in se et cognitione absoluta, set etiam sub ratione cause, que est ratio respectiua; ergo fortiori ratione beatus non solum cognoscit essentiam diuinam in se et absolute, set sub ratione cause. Set sic intelligendo ipsam intelligit alia ab ipsa, quia non est causa sui ipsius, set aliorum; quare etc.

70 Item ... 79 ydee] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic. (112va)

essentia ... 73 creatam] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, VII, 5, sol. (40,13-41,14)

essentia ... 79 ydee] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, resp. (192va-b)

75 essentia ... 76 obiectiue] cf. supra, I, 36, 3, 20-21 (98vb-99ra); 26 (99rb)

80 Item ... 85 ipsa] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, VII, 4, ad 2 (40,80-89); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic. (112va)

secundum ... 85 ipsa] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, resp. (192vb)

Deus ... 81 uoluntarium<sup>1</sup>] cf. e.g. Aug., *Epist. 147 (De uidendo Deum)*, 7, 19 (292,10-13); II, 27 (301,6-8); 15, 37 (310,9-13); 19, 47 (322-323); Bonau., *Super Sent.*, II, 11, dub. 2, ad 2 (290b); 8, 2, 1, 6, ad 5 (234); Guill. de Alu., *De an.*, 7, 6 (212a); Henr. de Gand., *Quodl.*, VII, 4 (38-40); Thom., *Super Sent.*, II, 11, 2, 2, ad 4 (285); IV, 49, 2, 5, ad 6 (495b); B. Decker, *Die Entwicklung*, 54-57; N. Wicki, *Die Lehre*, 145-146

Deus ... 85 ipsa] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 5, ad 6 (495b)

89 ex ... 94 etc] uide Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., resp. (113ra)

Item, si beatus intelligeret diuinam essentiam solum sub ratione 95  
absoluta, talem intellectionem non sequeretur delectatio; set hoc est  
falsum; ergo et primum. Probatio consequentie, quia uoluntas non  
delectatur in aliquo nisi sit apprehensum sub ratione boni; set ratio  
boni est ratio respectiua, cum sit ratio conuenientis, et per hoc  
delectatur unusquisque in re apprehensa, quia apprehendit eam in 100  
ratione boni conuenientis; ergo si res aliqua apprehenderetur solum  
absolute, non sequeretur delectatio, quod est falsum de  
apprehensione diuine essentie.

[7] Et ad rationes patet responsio. Ad primam, quia uerum est  
quod aliquid potest apprehendi sub ratione absoluta absque respectu 105  
ad aliud; set illa est imperfectissima cognitio que potest haberi de re,  
*π415va* quod non est ponendum de uisione diuine essentie. |

[8] Ad secundum dicendum quod essentia diuina sub ratione ydee  
non ducit in cognitionem rerum creaturarum, set sequitur cognitionem  
earum; ille enim est processus secundum rationem in cognitione 110  
diuina quod Deus primo cognoscit essentiam suam, deinde res  
creatas representatas per essentiam diuinam ut effectus per causam,  
deinde cognoscit essentiam suam ut uario modo ymitabilem a  
creaturis, et sic cognoscit eam sub ratione ydee; propter quod  
cognitio essentie diuine sub ratione ydee sequitur cognitionem 115  
creaturarum; posterius autem non est ratio prioris. Et hec manifeste  
declarata sunt lib. I dist. 35.

[9] Ad tertium dicendum quod essentia diuina in hoc potest  
habere rationem speculi uoluntarii quod potest se ostendere  
intellectui creato uel non; set supposito quod ostendat se clara et 120  
nuda uisione, non est in potestate ipsius quod nichil representetur in  
ipsa, sicut patebit magis infra.

[10] Secunda opinio est huic totaliter contraria; ponit enim quod  
beati uidentes diuinam essentiam uident omnia in ipsa ex natura talis

95 si ... 103 essentie] uide Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., resp. (113ra)

104 uerum ... 107 essentie] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (309)

108 essentia ... 116 prioris] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (309); supra, I, 35, 2, 13 (94vb-95ra)

118 essentia ... 122 ipsa] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (309); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., resp. (113ra)

120 supposito ... 122 ipsa] cf. infra, 15 (222-224)

124 beati ... 125 uisionis] God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (312); cf. Greg., *Hom. in euang.*, 40, 8 (405,306-307); Lomb., *Sent.*, IV, 50, 7, 1 (559,11-12); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 45, q. unic., op. 3 (112va)

125 uisionis. Et probatur primo, quia quando plura representantur  
 equaliter unum et nullum representatorum, excedit facultatem  
 intellectus cui fit representatio nec omnia simul, qua ratione unum  
 cognoscitur eadem ratione et omnia. Et hoc patet, quia non potest  
 esse differentia ex parte representantis, cum equaliter representet  
 130 omnia simul et singula per se, nec ex parte intellectus cui fit  
 representatio, quia nec aliquid eorum per se nec omnia simul  
 excedunt eius facultatem; set omnia creata et creabilia representantur  
 in diuina essentia, alioquin Deus, qui non cognoscit nisi per  
 essentiam, non cognosceret omnia alia a se, quod falsum est;  
 135 representantur etiam equaliter quoad hoc quod clare et distincte  
 representantur, alioquin distincte non cognoscerentur a Deo. Item  
 non excedunt facultatem intellectus diuinam essentiam uidentis, quia  
 non excedunt, immo nec attingunt ad infinitatem diuine essentie  
 quare clare et nude uidetur, ergo qua ratione unum eorum uidetur  
 140 eadem ratione et omnia aut nullum. Ergo cum non sic dicendum  
 quod nullum eorum uideatur, oportet quod uideantur omnia.

Nec ualet, si dicatur quod maius est uidere diuinam essentiam et  
 creaturam simul quam solam essentiam diuinam, et ideo, licet  
 essentia diuina per se uel omnes creature per se non excedant  
 145 intellectum nostrum beatum quin ab ipso possint clare uideri, tamen  
 essentia diuina cum uniuersitate creaturarum excedit ipsum, et ideo  
 intellectus uidens diuinam essentiam non poterit uidere omnem  
 creaturam.

[11] Istud autem est falsum, quia ex quo est idem medium uidendi  
 150 utrumque uel magis unum est ratio uidendi alterum, utpote essentia  
 diuina est sufficiens ratio uidendi creaturas, si essentia diuina, que est  
 medium cognitionis, non excedit facultatem intellectus quin ab eo  
 possit clare uideri ipsa cum quocumque representato per ipsam non  
 excedet facultatem eiusdem; *ubi enim unum propter alterum utrobique*  
 155 *tantum unum.*

Secundo probatur idem sic: in beatitudine que consistit in uisione  
 diuine essentie terminatur capacitas intellectus, alioquin intellectus  
 beatus remaneret imperfectus, quod est contra rationem beatitudinis,

125 quando ... 128 omnia] cf. God. de Font., *Quodl.*, XV, 5 (35)

quando ... 141 omnia] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (311)

142 Nec ... 155 unum] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (311)

154 ubi ... 155 unum] cf. Arist., *Topic.*, III, 2, 117a18-19

156 in<sup>1</sup> ... 167 intellectu] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (311); *Quodl.*, XV, 5 (35-36)

que secundum BOETIVM est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*; set intellectus noster est capax cognitionis omnium (est 160 enim quo possibile est omnia fieri, ut dicitur III *De anima*); ergo intellectus beatus uidens diuinam essentiam uidebit et omnia. Ex hoc tamen non sequitur quod intellectus beatus uidendo diuinam essentiam et omnia alia in ipsa comprehendat ipsam sicut intellectus diuinus, quia quantumcumque equatur in multitudine intellectorum, 165 non tamen equatur in limpидitate intelligendi, et penes hoc principaliter attenditur comprehensio rei intellecte ab intellectu. Et sic ponit hec opinio quod quilibet intellectus beatus uidendo diuinam essentiam uidet in ipsa omnia alia sicut intellectus diuinus, non tamen equali limpидitate. 170

[12] Set nec ista opinio uidetur uera primo, quia non est concors Scripture Sacre, que habetur *Matth.* 24 ubi dicitur de die iudicii: *De die autem illa nemo scit neque angeli celorum*, et idem habetur *Matth.* 13; et si angeli beati nesciunt de die iudicii, eadem ratione multa alia sunt que nesciunt, licet uideant essentiam diuinam. 175

Item nec concordat dicti Sanctorum, qui dicunt reuelationes fieri sanctis angelis et animabus beatis, maxime beatus DYONISIVS in lib. *Celestis hierarchie*; frustra autem fierent eis reuelationes, si omnia scirent.

Apparet etiam idem per rationem, quia non plus potest beatus 180 uidendo diuinam essentiam in cognitionem illorum que dependent ex libertate arbitrii diuini quam possit uiator cognoscendo hominem cognoscere ea que dependent ex arbitrio hominis, quantum est ex natura utriusque cognitionis; set homo cognoscendo naturam alterius hominis, quantumcumque perfecte, ex hoc tamen non cognosceret ea 185 que dependent ex libero arbitrio eius, sicut habetur I *Cor.* 2: *Quis enim scit hominum que sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est*; ergo fortiori ratione beatus uidens diuinam essentiam non propter hoc scit ea que dependent ex libero arbitrio diuino. Talia autem sunt

159 status ... 160 perfectus] *Auct. Ar.*, 25, 34 (289,71); cf. Boeth., *Cons. Phil.*, III, 2 (60,10-11)

161 quo ... fieri] cf. Arist., *De an.*, III, 5, 430a14-15; *Auct. Ar.*, 6, 149 (186,48-56)

173 De ... celorum] *Matth.*, 24,36

176 reuelationes ... 177 beatis] cf. Ps.-Dionys., *De cael. hier.*, 4 (807b-c; 814c-815a); Thom., *Super Sent.*, IV, 43, 1, 3, 2, sed contra I (281a)

186 Quis ... 187 est] I *Cor.*, 2,11

190 omnes euentus rerum; ergo intellectus beatus uidens Deum non  
propter hoc scit quid sit futurum. Ad rationes opinionis patebit  
postea responsio.

[13] Tertia opinio est media inter duas precedentes que ponit quod  
beati uidentes diuinam essentiam ex natura illius uisionis uident  
195 aliquas res creatas et aliquas non, uel, ut magis proprie dicatur, uident  
omnes res creatas aliquo modo et aliquo modo non.

Ad cuius intelligentiam sciendum est quod res creature possunt  
cognosci dupliciter: uno modo quid sint, alio modo an sint. Et ille  
due cognitiones sunt separate, quia una potest esse sine alia; potest  
200 enim cognosci de re quid sit ignorando an sit, sicut de rosa potest  
sciri in hyeme quid est et tamen ignoratur an est. Et econtrario scitur  
de aliqua re an sit et tamen ignoratur quid sit in speciali, sicut est de  
multis rebus inuisis, si offerrentur hiis qui alias eas non uiderunt nec  
audierunt, tales scient, quia res ille sunt, set nescient quid sunt. Ponit  
205 ergo hec opinio quod intellectus beatus uidens diuinam essentiam  
cognoscit in ipsa omnes res creatas et creabiles cognoscendo quid  
sunt, set de nulla cognoscit an sit, quantum ex natura cognitionis  
essentie diuine.

Ad cuius probationem premittendum est qualiter res create  
210 representantur intellectui per diuinam essentiam, quo uiso  
probabitur intentum.

[14] Quantum ad primum sciendum est quod res create non  
representantur in diuina essentia, sicut res obiecte representantur in  
speculo nec sicut conclusio determinata in principio uniuersali  
215 sillogistico, set solum sicut causabile in suo principio causatiuo.

Primum patet, quia illud quod representatur in speculo representatur  
in ipso, quia ab alio impressum uel ab alio reflexum secundum duas  
opiniones que sunt de ymagine speculi. Nam QUIDAM dicunt quod in  
speculo est uere ymago impressa ab obiecto. ALII uero dicunt quod  
220 solum ab ipso reflectitur ymago uel species ad oculum; set in diuina

193 Tertia ... 208 diuine] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 45, 4, resp., op. antiquior et

uerior (192va); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, resp. (476b-477a)

194 beati ... 196 non] cf. Thom., *S.th.*, I, 12, 8, resp.; *S.c.g.*, III, 59, 2351-2352

205 intellectus ... 208 diuine] cf. Aeg. Rom., *Quodl.*, I, 17, resp. (37a-b)

218 in ... 219 obiecto] cf. Rog. Marst., *Quodl.*, IV, 25, resp. (419-420)

220 solum ... oculum] cf. Aug., *De Trin.*, XV, 8 (479,6); Alhaz., *Optica*, V, 64 (163-164);  
ap. Rog. Marst., *Quodl.*, IV, 25, arg. 1-2 (418-419)

209 create] *coni.*: creata π

essentia nichil est impressum a creaturis uel quocumque alio nec ab  
 ea est aliquid reflexum, ut sic per talem impressionem uel reflexionem  
 aliqua res creata possit uideri; ergo res create non representantur in  
 diuina essentia, sicut in speculo accipiendo proprie speculum, quia  
 large aliquando uocatur speculum omne in quo aliquid speculatur 225  
 qualitercumque: siue clare, ut in Filio cognoscitur Pater, unde et  
 Filius speculum Patris dicitur, Sap. 7: *Candor est enim lucis eterne et  
 speculum sine macula*, siue obscure, sicut in creaturis speculamur  
 Deum, de qua speculatione I Ad Cor. 13: *Videmus nunc per  
 speculum in enigmate*. Set proprie accipiendo speculum prout 230  
 distinguitur contra alia representatiua, uerum est quod in essentia  
 diuina non representantur res create sicut in speculo. Secundum  
 patet, scilicet quod in ipsa non representantur create sicut conclusio  
 in principio uniuersali sillogistico, quia per principium uniuersale  
 sillogisticum non representatur aliqua particularis conclusio actu 235  
 determinate nisi facta applicatione et assumptione sub ipso, set solum  
 in uniuersali et in potentia; set in essentia diuina representantur res  
 alie determinate sine quacumque deductione et applicatione; ergo  
 non sic representantur res in diuina essentia, sicut conclusiones  
 representantur in principio uniuersali. Ex quo sequitur quod licet 240  
 clarius uidens principium sillogisticum possit per ipsum cognoscere  
 plures conclusiones, quia scit facere plures applicationes et  
 deductiones quam uidens minus clare, tamen illud locum non habet  
 $\pi$ 416ra in uidentibus diuinam essentiam, que actu et | determinate  
 representat alias res absque quacumque applicatione et 245  
 determinatione.

[15] Restat ergo tertium, scilicet quod diuina essentia representat  
 res creatas, sicut causa representat effectum; et illud plenius probatum  
 est in I lib. dist. 35.

Ex hoc autem patet quod dictum est, scilicet quod intellectus 250  
 beatus uidens diuinam essentiam uidet in ipsa omnes res creatas et  
 creabiles quantum ad illud quod sunt. Quod probari potest sic:

227 Candor ... 228 macula] *Sap.*, 7,26

229 Videmus ... 230 enigmate] I *Cor.*, 13,12

247 diuina ... 248 effectum] cf. supra, I, 35, 2, 18 (95rb); 36, 3, 25 (99rb); Thom., *S.th.*, I,  
 12, 8, resp.; *De pot.*, 7, 6, ad 6 (202b)

235 actu] *coni.*: non  $\pi$   
 clarus  $\pi$

237 in potentia] *coni.*: impotentia  $\pi$

241 clarius] *coni.*:

intellectus beatus uidens clare et nude diuinam essentiam uidet in ipsa omnia que per ipsam naturaliter et ex necessitate representantur; 255 set diuina essentia representat naturaliter et ex necessitate omnes res creatas et creabiles quantum ad id quod sunt; ergo etc. Maior patet, quia ex parte representantis non est impedimentum, cum representet naturaliter et ex necessitate et determinate; nec ex parte intellectus cui fit representatio, quia ex quo potest in essentiam representantem 260 potest in omnes res per eam representatas, ut dictum est prius. Minor probatur; quod enim essentia diuina determinate representet omnes res essentielles et possibles, quantum ad illud quod sunt, non est dubium, quia aliter Deus non cognosceret per essentiam suam omnes res existentes et possibles; set quod representet eas naturaliter et ex 265 necessitate, probatur sic, quia diuina essentia representat res creatas, sicut causa representat effectum; set diuina essentia est causa secundum potentiam omnium rerum quantum ad id quod sunt naturaliter et ex necessitate, licet non sit causa actu producens nisi libere. Est enim in potestate diuine uoluntatis producere quamlibet 270 rem, set non est in libertate diuine nature habere potentiam producendi quamlibet rem, immo ex naturali perfectione essentie diuine est habere potentiam omnia producendi. Sicut autem causa secundum actum producit effectum quoad eius existentiam, ita causa secundum potentiam respicit effectum secundum essentiam uel 275 quantum ad id quod est, quia sicut ex parte cause est productiuum et producens, ita ex parte effectus est producibile et productum, quorum primum respicit essentiam absolute, secundum respicit essentiam sub actuali esse, sicut ex parte cause productiuum respicit essentiam absolute, producere autem respicit potentiam eandem cum 280 actione actuali. Res ergo causales, quantum ad id quod sunt, essentialiter representantur necessario per essentiam diuinam, ut est uirtus productiua, set quantum ad existentiam actualem representantur libere per essentiam diuinam, ut est actu uolens producere et producens. Patet ergo minor; igitur sequitur conclusio, 285 scilicet quod intellectus uidens diuinam essentiam uidet in ea omnia alia, quantum ad illud quod sunt. Scit enim de quolibet ente possibili, siue sit naturale siue sit supernaturale, quid est perfecte, ut

253 intellectus ... 256 sunt] cf. God. de Font., *Quodl.*, XV, 5 (35)

259 ex ... 260 representatas] cf. supra, 10 (218-219)

265 diuina ... 266 effectum] cf. supra (222,247-248)

quid est homo uel asinus, gratia uel gloria, cogitatio uel affectio. Et sic de singulis non solum in generali, set etiam in speciali, immo in singulari. Scit enim quilibet beatus non solum quid est homo, quia 290 est aliquid compositum *ex anima et corpore*, set etiam quid est *hic homo*, hoc est, quia est quoddam compositum *ex hac anima et hoc corpore*. Non tamen scit an homo uel hic homo sit in rerum natura, quia hoc dependet ex uoluntate diuina, nec representatur necessario in essentia diuina; Deus tamen sciens essentiam suam non solum scit 295 de rebus causatis quid sint, set an sint uel future sint.

[16] Et causa assignatur a QVIBVSDAM, quia Deus non solum nouit essentiam suam, ut representat res necessario quantum ad id quod sunt, set etiam nouit plene uoluntatem suam per quam res actu sunt uel future sint uel preterierunt. 300

Set contra hoc instatur quia *uoluntas non fertur nisi in precognitum*; ergo uoluntas diuina non uult aliquid esse uel fore nisi sit precognitum ab intellectu diuino; igitur intellectus diuinus non accipit cognitionem de rebus ex hoc quod cognoscit actum uoluntatis, set potius uoluntas exit in actum uolendi rem aliquam 305 fore uel non fore ex precognitione intellectus.

Quod concedendum est. Intellectus enim diuinis nouit plenissime essentiam diuinam, et ideo nouit de rebus creabilibus non solum quid sint uel quid esse possint, set qualiter se habent uel habere possint ad condecenciam bonitatis diuine. Et ideo se ipso, ut 310 practicus est, dictat quid et quando aliquid sit producendum ad manifestationem diuine bonitatis et perfectionis. Ad cuius | dictamen secundum nostrum modum intelligendi uoluntas diuina inclinatur et potentia exequitur, et sic intellectus diuinus scit quid uoluntas diuina uult fore uel non fore et quid erit uel non erit. Set talem cognitionem 315 de existentia rerum non habet, ex hoc quod cognoscit actum uoluntatis, set se ipso prius dictat quid erit uel non erit secundum decentiam bonitatis diuine. Et illud idem uoluntas diuina uult et potentia exequitur et quanuis beati ex natura uisionis beate non uideant res creatas ita ut sciant de eis an sint uel non sint, tamen hoc 320 sciunt per aliam cognitionem, scilicet per cognitionem naturalem uel

291 est<sup>1</sup> ... 293 corpore] cf. Thom., *De unit. intell.*, 4 (307,35-37); *S.th.*, I, 75, 4; supra, 44, 5, 7 (70,70-71)

297 Deus ... 300 preterierunt] cf. God. de Font., *Quodl.*, X, 3 (312)

301 uoluntas ... precognitum] Thom., *S.th.*, I-II, 76, 1, arg. 3; cf. *Super Sent.*, IV, 49, 2, 7, ad 7 (504a)



per reuelationem quantum ad eos attinet; et ita cognitio pertinet ad beatitudinem eorum accidentalem.

[17] Per hoc patet responsio ad primam rationem secunde  
325 opinionis, quia res non representantur in essentia diuina necessario quantum ad suam actualem existentiam, set solum quantum ad suam essentiam; et ideo non oportet quod per eam cognoscantur quantum ad suum existere, set solum quantum ad suas quidditates.

[18] Ad secundam dicendum quod in beatitudine appetitus  
330 intellectiuus erit perfectus et terminatus per hoc quod cognitione beata cognoscet omnes res quantum ad id quod sunt; et de quibusdam cognoscet utrum sint uel non quantum pertinebit ad quemlibet beatum; set hoc erit per aliam cognitionem pertinentem ad beatitudinem accidentalem. Nec oportet quod quidquid pertinet  
335 ad beatitudinem hominis habeatur in uisione diuine essentie, set sufficit quod eam concomitetur, ut patet de dotibus corporis et pluribus aliis que pertinent ad beatitudinem accidentalem.

[19] Ad rationes principales dicendum. Ad primum quod inter uisionem quam habet Deus de essentia sua et de rebus creatis et  
340 quam habet intellectus beatus de eisdem hoc interest quia Deus scit essentiam suam non solum ut est potens producere res alias, set etiam ut est actu uolens eas producere, propter quod cognoscit actu omnes res quid sint et an sint, set intellectus creatus, quia non cognoscit diuinam essentiam ut est actu uolens producere, set solum ut est  
345 uirtus potens producere, non cognoscit de eis an sint uel non, set solum quid sint, nisi in quantum unicuique bono reuelatur de existentia rerum prout ad ipsum pertinet.

[20] Per illud patet responsio ad secundam, quia auctoritates ISIDORI et GREGORII sunt intelligende de cognitione rerum quantum  
350 ad essentias earum, non autem quantum ad actualem existentiam nisi modo supra dicto, scilicet per reuelationem eorum que ad unumquemque beatum pertinent.

## QVESTIO QVARTA

VTRVM BEATITVDO NOSTRA CONSISTAT PRINCIPALITER IN VISIONE  
DIVINE ESSENTIE

[1] Quarto queritur utrum beatitudo nostra consistat principaliter in uisione diuine essentie. Et arguitur quod non, set quod consistat 5 potius in aliquo actu uoluntatis, quia beatitudo consistit in nobilissimo actu; set actus uoluntatis est nobilior actu intellectus; ergo etc. Maior patet ex I et X Et h i c o r u m . Probatur minor, quia ille actus est nobilior in quo et secundum quem sumus liberi quam ille secundum quem non habemus libertatem; set secundum actum 10 uoluntatis sumus liberi, non autem secundum actum intellectus qui necessitatur ab obiecto; ergo etc.

[2] Item beatitudo consistit in operatione que elicitur a potentia perfecta per nobilissimum habitum; set uoluntas perficitur nobiliori habitu quam intellectus; ergo in operatione uoluntatis magis consistit 15 beatitudo quam in opere intellectus. Maior patet ubi supra. Minor probatur, quia caritas est nobilior habitus quam quicumque alius, ut patet per APOSTOLVM I C o r . 13; caritas autem perficit uoluntatem; quare etc.

[3] Item in operatione illius potentie consistit beatitudo 20 principaliter que magis respicit obiectum sub ratione beatifica; set talis est uoluntas magis quam intellectus; quare etc. Maior uidetur manifesta, quia operationes sumunt rationem ex obiectis. Minor probatur, quia ratio obiecti beatifici est quod sit summum bonum et perfectum; set sub hac ratione uoluntas potissime respicit suum 25 obiectum, cum ratio boni sit ratio obiecti uoluntatis; quare etc. |

*π416va*

[4] Item in illo actu principaliter consistit beatitudo per quem perfectius et intimius unimur Deo; set talis est actus uoluntatis magis

6 beatitudo ... 7 actu] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 6, 1098a15-17; X, 7, 1177a19-20; Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 2, arg. 3 (458a)

beatitudo ... 12 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 1 (218vb)

13 beatitudo ... 19 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 7 (219ra); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, op. 1, arg. 5 (114rb)

17 nobilior ... alius] cf. I *Cor.*, 13,13; Thom., *S.th.*, I-II, 3, 4, arg. 4; *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 2, arg. 3 (458a)

20 in ... 26 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 2 (218vb)

27 in ... 32 uoluntatem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 3 (218vb-219ra); Ioh. Paris., *Super Sent.*, 49, 4 (615,7-9); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, op. 1, arg. 1 (114rb)

in ... 35 stat] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 2, arg. 5 (458a)

quam actus intellectus; ergo etc. Maior patet, quia beatitudo nostra  
 30 consistit in unione ad summum bonum. Minor probatur, quia unio  
 anime cum Deo inchoatur in uisione, set consummatur in  
 delectatione, que pertinet ad uoluntatem. Et iterum dicit HVGO DE  
 SANCTO VICTORE super 7 cap. *Celestis hierarchie quod  
 dilectio supereminet scientie et maior est intelletiuua, plus enim diligitur*  
 35 *Deus quam intelligatur, et intrat dilectio ubi scientia foris stat.*

Item quod est posterius generatione est prius perfectione; set actus  
 uoluntatis posterior est actu intellectus; ergo est perfectior; set in  
 perfectiore actu principalius consistit beatitudo; ergo etc.

[5] Item in optimo actu consistit beatitudo seu felicitas; set actus  
 40 uoluntatis est melior actu intellectus; ergo etc. Maior patet. Set minor  
 probatur dupliciter: primo, quia ille actus est melior quo effimur  
 meliores; set per actum uoluntatis dicimur boni simpliciter loquendo  
 et unus melior altero; secundum autem actum intellectus nullus  
 dicitur bonus nec unus melior altero loquendo simpliciter, set solum  
 45 cum determinatione, utpote bonus clericus uel huiusmodi; quare etc.  
 Secundo, quia ille actus est melior cuius oppositum est peius; set  
 dilectioni Dei opponitur odium Dei, quod est peius quam ignorantia,  
 que opponitur cognitioni; ergo diligere Deum est melius quam  
 cognoscere ipsum. Et sic patet minor; sequitur ergo conclusio.

[6] Item *premium correspondet merito; set meritum consistit magis in  
 actu uoluntatis* quam in actu intellectus; ergo et premium; set  
 50 beatitudo nominat finale premium; ergo etc.

[7] Item si in actu uoluntatis non consisteret beatitudo, tunc  
 uidens Deum et non delectatus in ipso esset beatus; hoc autem est  
 55 falsum; ergo etc. Antecedens patet. Probatio consequentie, quia si  
 uidens Deum non delectaretur, posset tritari, quia uisio Dei non

34 dilectio ... 35 stat] Hugo de S. Victore, *Exp. in hier. cael. S. Dionys.*, VI, 7 (1038D)

36 quod ... perfectione] cf. Thom., *In Metaph.*, IX, 8, 1856 (446-447); Arist., *Metaph.*, IX, 8, 1050a4-5

quod ... 38 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 2 (218vb); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, op. 1, arg. 3 (114rb)

39 in ... 45 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 6 (219ra)

41 ille ... 43 altero] cf. Aug., *Enarr. in Ps.*, CXLIV, 1 (2088,11-12)

50 premium ... 52 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 1, ratio 5 (219ra); Ioh. Paris., *Super Sent.*, 49, 4 (615,5-6); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, op. 1, arg. 2 (114rb)

53 si ... 55 etc] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, op. 1, arg. 4 (114rb)

excludet tristitiam, nisi quia causat delectationem; qui autem tristatur miser est, quia tristitia quedam miseria est; et sic idem simul esset beatus et miser, quod est impossibile.

[8] In contrarium arguitur quia sicut se habet uiuens ad non 60 uiuens, ita cognoscens ad non cognoscens; set actus uiuentis, inquantum uiuens est, est nobilior omni alio actu rei non uiuentis; ergo actus cognoscentis, inquantum cognoscens est, est nobilior actu cuiuscumque non cognoscentis. Set intellectus est cognoscens, uoluntas uero non; ergo actus intellectus est nobilior quocumque 65 actu uoluntatis. Set in nobilissimo actu consistit beatitudo; ergo etc.

[9] Item beatitudo est bonum in quo per se est sufficientia, ut dicitur *Ethicorum*. Set per se sufficientia consistit in uisione Dei secundum illud *Ioh. 9: Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis*. Ad idem est hoc quod dicitur *Ioh. 17: Hec est uita eterna, ut 70 cognoscant te solum Deum uerum*, et AVGVSTINVS dicit *I De Trinitate*, cap. penultimo, quod summa merces est intueri Deum; nomine autem mercedis beatitudo intelligitur; quare etc.

[10] Responso. Preter distinctionem prius positam de beatitudine per quam seclusimus beatitudinem obiectiue dictam, adhuc 75 beatitudo formaliter, de qua querimus, potest accipi dupliciter: uno modo prout includit omne illud quod pertinet ad perfectionem hominis siue secundum corpus siue secundum animam. Et sic sumitur ab AVGVSTINO XIII *De Trinitate* quod *beatus est qui habet quidquid uult et nichil mali uult*; constat enim quod quilibet 80 recte uult non tantum unam perfectionem uel unum bonum, set omne illud quo indiget et quod pertinet ad eius perfectionem. Sic etiam loquitur de beatitudine BOETIVS III *De consolatione* dicens quod beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione*

67 beatitudo ... sufficientia] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 5, 1097b7-8

beatitudo ... 70 nobis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 1, 2, sed contra 4 (458b)

69 Domine ... 70 nobis] *Ioh.*, 14,8

70 Hec ... 71 uerum] cf. *Ioh.*, 17,3

72 summa ... Deum] cf. Aug., *De Trin.*, I, 8, 17 (51,115); I, 9, 18 (54,14-16); uide etiam *Enarr. in Ps.*, XC, ii, 13 (1277,13-14); *De doctr. chr.*, I 32 (26,17-18)

74 Preter ... 75 dictam] cf. supra, 49, 1, 5 (191-192)

79 beatus ... 80 uult<sup>2</sup>] Aug., *De Trin.*, XIII, 5 (393,37-38)

84 status ... 85 perfectus] *Auct. Ar.*, 25, 34 (289,71); cf. Boeth., *Cons. Phil.*, III, 2 (60,10-11)

58 esset] *coni.*: esse π

59 beatus] beatur π

72 Trinitate] *coni.*: ciuitate π

85 *perfectus*. Et sic ad beatitudinem hominis pertinet quidquid pertinet ad eius perfectionem, siue secundum animam siue secundum corpus.

Et hoc modo non intendimus querere de beatitudine, quia iam esset soluta questio; immo nulla esset questio, quia beatitudo illo modo complectitur omnem perfectionem intellectus et uoluntatis et  
 90 corporis, nec tota consistit in aliqua dictarum perfectionum, et per consequens nec tota principaliter in aliqua earum. Alio modo dicitur beatitudo illud quod | est optimum inter omnia bona et omnes perfectiones humanas, et de ista procedit questio in quo actu uel in qua perfectione consistat principalius. π416vb

95 [11] Circa quam probabimus per ordinem quatuor conclusiones. Prima est quod beatitudo sic accepta consistat in aliqua operatione; secundo est quod consistat in una tantum et non in pluribus; tertia est quod illa operatio est intellectus uel uoluntatis disiunctiue; quarta quod est operatio solius intellectus precise. Prima conclusio patet sic:  
 100 summum bonum intrinsecum hominis et formale consistit in coniunctione uel adeptione summi boni extrinseci a quo dependet totum bonum hominis intrinsecum; set beatitudo formalis, de qua loquimur, est summum bonum hominis intrinsecum; Deus autem est summum bonum hominis extrinsecum a quo dependet totum  
 105 bonum hominis; ergo beatitudo hominis consistit in attingendo ipsum Deum. Set Deus non attingitur a nobis nisi per operationem aliquam; ergo beatitudo hominis consistit in operatione per quam potissime Deum attingimus.

[12] Secunda conclusio patet sic, quia inter perfectiones specie  
 110 differentes impossibile est esse equalitatem, set una est necessario perfectior altera; cum ergo beatitudo consistat in operatione perfectissima, impossibile est quod consistat in duplici operatione alterius et alterius rationis, quia una earum necessario deficit a perfectione alterius, et ita non est perfectissima.

115 [13] Tertia conclusio patuit supra, q. I huius distinctionis, quia cum supreme potentie anime sint intellectus et uoluntas, necessarium est nobilissimam operationem hominis esse operationem intellectus uel uoluntatis.

115 cum ... 118 uoluntatis] cf. supra, 49, I, II (194)

101 a ... 102 intrinsecum] *trans.*: ante consistit in coniunctione π

[14] Quarta autem conclusio, de qua principaliter queritur, probatur ad presens dupliciter. Primo sic: *quando due operationes sic se* 120 *habent quod una earum propter se queritur, altera uero non propter se queritur, set propter aliam finaliter, tunc illa que queritur propter se habet rationem optimi et finis,* et per consequens rationem beatitudinis; set operationes intellectus et uoluntatis, que sunt supreme hominis perfectiones, sic se habent quod operatio intellectus 125 queritur propter se, operatio autem uoluntatis numquam est propter se, set finaliter propter operationem intellectus; ergo operatio intellectus habet rationem optimi et finis et beatitudinis, et non operatio uoluntatis.

*Maior patet ex conditione beatitudinis supraposita,* scilicet quod 130 beatitudo est optima perfectio hominis, quam propter se uolumus, et alia propter ipsam. Minor probatur, quia sicut se habet appetitus naturalis ad formam naturalem, sic appetitus sensituius ad sensituiam potentiam et uoluntas seu appetitus intellectuius ad potentiam intellectuiam; set appetitus naturalis sic se habet ad formam 135 naturalem quod nec appetitus naturalis nec aliquis actus eius est propter se, set ordinatur finaliter ad aliquam perfectionem rei naturalis; ergo similiter uidetur de appetitu sensituiuo et intellectuiuo quia neuter eorum nec actus eorum est propter se, set propter aliquam aliam perfectionem ipsius appetentis. 140

Maior de se patet. Set minor probatur, quia appetitus rei naturalis, puta grauis deorsum et actus eius, scilicet motus, ad locum non habitum, et quies in loco habito non sunt propter se. Et hoc satis clarum est quantum ad actum appetitus naturalis, qui est moueri ad locum non habitum; numquam enim motus est propter se, set 145 propter terminum, cum motus habeat rationem uie et non finis.

Idem similiter patet de quiete in loco, quia propter eandem rationem mouetur aliquid ad locum et quiescit in loco, et hec causa est conseruatio rei in loco naturali, quia res naturales perfectius conseruantur in locis suis et uirtuosius operantur. Hoc etiam uidetur 150 satis clarum in appetitu sensituiuo, quia ad hoc uidetur esse appetitus datus animalibus, ut prosequantur conuenientia nature et fugiant nociua, ita ut numquam appetitus sensituius sit propter actum suum,

120 quando ... 130 supraposita] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 2, ratio 1 (219rb); uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, ex cond. 2 (114rb-va)

141 appetitus ... 166 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 2, ratio 1 (219rb-va)

set semper propter aliam perfectionem acquirendam et  
 155 conseruandam in appetente; appetunt enim animalia cibum non  
 habitum propter conseruationem nature et delectantur in habito  
 propter eandem causam, propter quod natura adhibuit delectationes  
 talibus operationibus ut animalia in hiis persistent. Consequens ergo  
 est quod ita sit in uoluntate, scilicet quod nulla eius operatio  
 160 queratur | propter se, set propter aliquid melius; nulla autem π417ra  
 perfectio nobis melior est uoluntatis actu quam actus intellectus; ergo  
 actus uoluntatis est propter actum intellectus. Per idem patet quod  
 actus intellectus queritur propter se, quia si quereretur propter aliud,  
 illud esset perfectius; set nichil in nobis potest esse perfectius actu  
 165 intellectus nisi illud esset actus uoluntatis, de quo tamen ostensum  
 est quod non perfectior; ergo etc.

[15] Secunda ratio talis est: si beatitudo consisteret in actu  
 uoluntatis, hoc esset potissime de delectatione que haberetur de Deo  
 uiso; set in delectatione non consistit beatitudo, ut probabitur; ergo  
 170 fortiori ratione non consistit in aliquo alio actu uoluntatis. Maior  
 patet, quia quicumque posuerunt beatitudinem in actu uoluntatis  
 uidentur eam posuisse in delectatione consequente uisionem Dei;  
 unde PHILOSOPHVS X *Ethicorum* de illo solo actu uoluntatis  
 mouet dubitationem querens utrum felicitas consistat in  
 175 contemplatione uel delectatione, resecans omnem alium actum  
 uoluntatis. Minor probatur, quia immediatum obiectum beatitudinis  
 est Deus; set immediatum obiectum delectationis non est Deus; ergo  
 beatitudo non consistit in delectatione. Maior patet, quia cum  
 beatitudo consistat in optima operatione, bonitas autem operationis  
 180 dependeat ex obiecto, oportet quod operatio in qua consistat  
 beatitudo habeat pro obiecto summum bonum, quod est Deus.  
 Minor supponatur nunc, quia quamuis probata sit I lib. dist. 1,  
 nichilominus adhuc probabitur inferius.

[16] Posset autem aliquis instare contra maiorem propositionem  
 185 predictae rationis dicendo quod beatitudo non consistat in  
 delectatione sequente uisionem, set potius in amore amicitie uel  
 beniuolentie, cuius obiectum immediatum est ipse Deus. Set nec

167 si ... 181 Deus] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 2, ratio 2 (219vb-220ra)

174 utrum ... 175 delectatione] cf. Arist., *Eth. Nic.*, X, 1-4, 1172a19-1175a18; 8, 1178a9-b33

182 quamuis ... 183 inferius] cf. supra, I (C), 1, 2 (14ra-15va); infra, 49, 5 (240-245)

illud ualet, primo quia ad Deum non est amicitia proprie, non solum propter inequalitatem, set quia beniuolentia proprie non est ad illum cui nichil potest acquiri et qui nichil potest amittere; per amorem 190 enim beniuolentie uolumus amicis bona que non habent et gaudemus quando eis adueniunt; nullum autem bonum potest Deo acquiri uel ab eo amitti; ergo non est proprie beniuolentia ad eum.

Set dato quod esset amor beniuolentie hominis ad Deum qualitercumque dictus, tamen in tali amore non potest consistere 195 beatitudo: primo, quia in eo quod est debitum et iustum exhiberi alteri non consistit beatitudo. Cuius probatio est quia tale magis habet rationem meriti quam premii (premium enim est ab alio receptum et non alteri exhibitum); set amor beniuolentie qualis potest esse hominis ad Deum est huiusmodi, quia ex iustitia 200 exhibendus est Deo; quare etc.

Et confirmatur per ANSELMVM De casu dyaboli cap. 4, ubi dicit quod omnes affectiones uoluntatis sunt affectiones iusti uel commodi et subiungit quod *ex commodis constat beatitudo*; igitur affectio uel actus uoluntatis que est affectio iusti non pertinet ad 205 beatitudinem, set tantum illa que est commodi.

Secundo, quia beatitudo non potest consistere in aliquo actu qui de se non requirit Deum uisum et presentem; set amor beniuolentie quantumcumque perfectus, ex ratione sua non requirit Deum uisum et presentem; ergo in tali amore non consistit beatitudo. Maior de se 210 patet. Set minor probatur, quia amor beniuolentie potest equaliter perfectus esse ad absentem sicut ad presentem. Equalem enim effectum et equale bonum uolo amico absenti sicut presenti. Et si uolo eius presentiam ut presentia est, hoc non pertinet ad amorem amicitie uel beniuolentie, set concupiscentie, quia non uolo amico 215 aliquod bonum, set michi uolo inquantum presentia eius est michi delectabilis uel utilis.

[17] Ad rationes in oppositum. Ad primam dicendum est per interemptionem minoris quia actus uoluntatis non est nobilior quam actus intellectus, immo econtrario, ut probatum est. Et cum dicitur 220

188 ad ... proprie] cf. Arist., *Eth. Nic.*, VIII, 9, 1158b35-1159a8; Thom., *S.c.g.*, IV, 54, 3927; *Super Sent.*, III, 32, 1, ad 2 (1003)

204 ex ... beatitudo] cf. Ans., *De casu diab.*, 4 (241,13-14)

219 actus ... 220 econtrario] cf. supra, 14-15 (230-231)

197 Cuius] huius  $\pi$       219 nobilior] mobilior  $\pi$



quod immo, quia actus uoluntatis est liber, non autem actus intellectus, dicendum quod libertas potest sumi dupliciter: uno modo prout opponitur coactioni, et sic intellectus est liber intelligendo sicut uoluntas in uolendo. Quod patet, quia illud solum est coactum  
 225 quod est contra inclinationem rei; set nullum intelligere est contra inclinationem intellectus, immo est secundum inclinationem eius; naturaliter enim intellectus inclinatur ad intelligendum, cum intelligere sit eius perfectio; ergo impossibile est quod intellectus intelligendo cogatur sicut nec uoluntas | in uolendo. Immo breuiter π417rb  
 230 nulla potentia cognitua nec appetitua cogitur respectu proprii actus, quia nec hoc inuenitur in potentiis naturalibus; non enim cogitur ignis ad calefaciendum neque graue ad descendendum neque uisus ad uidendum; semper enim coactio est contra naturam rei. Et quia potest contingere quod intellectus assentit alicui cuius oppositum  
 235 uoluntas magis acceptasset, ideo uoluntas hic cogitur in actu imperato, non tamen elicito, quatinus hoc fit contra eius inclinationem, non autem intellectus, cuius inclinatio est ad omnia intelligere, et illud plenius declaratum est in II lib. dist. 35 q. 3.

Alio modo sumitur *libertas prout opponitur necessitati*, et sic non  
 240 oportet quod actus sit nobilior qui est liberior; alioquin nobilior esset in Deo uelle alia a se quam se ipsum, et in nobis nobilior esset uoluntas eorum que sunt ad finem, que libere uolumus quam uoluntas finis quem necessario uolumus, que omnia sunt falsa. Et iterum: si propter libertatem poneretur felicitas in actu uoluntatis,  
 245 deberet poni in actu libero et non in actu necessario; set actus uoluntatis respectu Dei in patria erit necessarius et non liber siue in diligendo Deum amore beniuolentie sue fruendo Deo amore concupiscentie; ergo in nullo actu uoluntatis in patria consistit beatitudo.

250 Item nec illud est uerum quod intellectus non sit liber sicut et uoluntas; licet enim intellectus necessitetur quoad prima principia que de se continent claram ueritatem, nichilominus tamen non necessitatur respectu omnium que deducuntur ex primis principiis,

237 non ... 238 intelligere] cf. supra, II, 24, 3 (171vb-172vb)

239 sumitur ... necessitati] Thom., *De uerit.*, 22, 5, ad sed contra 3 (626,350-351); cf. Aug., *De ciu. Dei*, V, 10 (140-141)

241 alia] *coni.*: aliqua π

set quibusdam libere assentit, exceptis hiis que habent connexionem  
 et necessariam deductionem ex ipsis; similiter uoluntas necessitatur 255  
 respectu finis, set libertatem habet respectu eorum que sunt ad finem  
 nisi sint talia que necessariam colligantiam habeant cum fine; ergo tot  
 modis liber est intellectus, tam speculatiuus quam practicus, in  
 iudicando quot modis uoluntas libera est in eligendo.

Quod autem consueuit dici quod uoluntas imperat intellectui et 260  
 omnibus uiribus anime, non est sic intelligendum quod imperat  
 intellectui, ut superius suo inferiori, immo potius est inclinatio data  
 intellectui ad prosecutionem sue perfectionis, sicut dictum est de  
 appetitu rerum naturalium, qui datus est propter consecutionem sue  
 perfectionis naturalis. Vnde sicut ibi appetitus non importat forme 265  
 motum, set est inclinatio consequens rem propter consequendam et  
 conseruandam eius perfectionem, nec propter hoc potest dici quod  
 sit aliquid nobilius forma rei uel eius operatione, sic uoluntas est  
 inclinatio data intellectui ad prosequendam perfectionem quam  
 intellectus iudicat sibi conuenientem, nec propter hoc potest dici 270  
 quod ipsa sit nobilior intellectu aut quod imperet intellectui, sicut  
 superius inferiori, set solum quod est inclinatio data menti ad  
 prosecutionem eius quod per intellectum dictatum est.

[18] Ad secundum dicendum quod non potest proprie comparatio  
 fieri inter caritatem et ceteros habitus uie quis eorum sit nobilior, 275  
 quia non sunt habitus sic disparati quod unus possit esse sine altero  
 et econuerso, quia caritas in uia non potest esse sine fide et spe, fides  
 autem et spes possunt esse sine caritate, quamuis non sufficiant ad  
 meritum; et sic loquitur APOSTOLVS I C o r. 13, ut patet ex textu  
 circa principium illius capituli. 280

Et si comparemus has duas habitudines, patet quod fides et spes  
 plus precellunt caritatem quam caritas fidem et spem, quia fides et  
 spes sine caritate sunt aliquid, licet non sufficiant ad meritum, caritas  
 autem sine fide et spe omnino nichil est, nec in se nec quoad  
 meritum. Et ad hoc potest dici quod caritas inter habitus uie nobilior 285  
 est, non tamen inter omnes habitus simpliciter, quia lumen glorie  
 secundum ponentes ipsum est nobilius caritate, nec oportet quod

274 Ad ... 291 receptione] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, ad 7 (224rb)

277 fides ... 279 meritum] cf. I *Cor.*, 13,1-3

271 intellectu] *coni.*: intellectus π

habitus qui est precipuus respectu meriti sit precipuus respectu  
premi, cum meritum et premium quasi contrarias condiciones  
290 habeant, quia meritum consistit in exhibitione nostra, premium  
autem magis in receptione.

[19] Ad tertium dicendum quod uoluntas non magis respicit  
obiectum suum ut beatificum quam intellectus, quia *uoluntas non  
potest ferri nisi in cognitum*; propter quod omne quod offertur  
295 uoluntati et sub omni ratione sub qua offertur, quecumque sit illa,  
siue ratio beatificantis siue quecumque alia, oportet quod prius sit  
oblatum intellectui et ab eo apprehensum. Et quod dicitur quod  
obiectum habet rationem beatificantis inquantum bonum, bonum  
autem est obiectum | uoluntatis, dicendum quod bonum cadit per se π417va  
300 et per prius sub obiecto intellectus quam uoluntatis, set quia bonum  
est obiectum uoluntati adequatum (non autem intellectui, qui tendit  
in aliquid communius, scilicet in ens et in totam rationem entis), et  
ideo magis consueuit dici quod sit obiectum uoluntatis quam  
intellectus. Possemus autem in contrarium arguere quia potentia que  
305 fertur ad obiectum communius et secundum rationem  
communiorem est nobilior; set intellectus respectu uoluntatis est  
huiusmodi; ergo intellectus est nobilior uoluntate; et sic in actu eius  
potius debet consistere beatitudo.

[20] Ad quartum, cum dicitur quod per actum uoluntatis intimius  
310 unimur Deo quam per actum intellectus, *dicendum est quod falsum  
est. Actus enim uoluntatis sequens actum uisionis aut est amor  
beniuolentie aut concupiscentie. Si sit amor beniuolentie, per ipsum non  
unimur Deo intimius quam per solum actum intellectus eo quod amor  
beniuolentie est <ad> absentem sicut ad presentem, et si sit ad presentem,  
315 hoc est ratione uisionis totaliter. Si autem sit amor concupiscentie, idem  
sequitur, quia amor concupiscentie non habet Deum pro immediato  
obiecto, ut declaratum est, set habet pro immediato obiecto aliquem  
actum per quem unimur Deo et Deus nobis; propter quod per amorem  
concupiscentie nullo modo unimur Deo immediate, sicut per uisionem  
320 immediate unimur Deo. Et cum probatur quod immo, quia unio*

292 uoluntas ... 304 intellectus] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, ad 2 (223rb-va)

293 uoluntas ... 294 cognitum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 76, 1, arg. 3

309 cum ... 340 oppositum] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, ad 3 (223va-b)

316 amor ... 317 obiecto<sup>1</sup>] cf. supra, 15-16 (231-232)

290 quia] qui π      314 ad<sup>1</sup>] *suppl.: om. π*      318 quem] *coni.: quam π*

*anime cum Deo inchoatur in uisione et consummatur in delectatione, dicendum est quod uerum est consummatione accidentali. Propter hoc enim delectationes adiuncte sunt operationibus, ut permaneat in eis et redundet in operationem diuturnitas, ipsa etiam delectatio est quedam 325*  
*accidentalis perfectio precedentis operationis; essentialiter autem et* 325  
*immediate unimur Deo tantum sola uisione quantum uisione simul et*  
*delectatione, quia delectatio non est <de> Deo immediate, set de*  
*uisione Dei, ut probatum fuit. Set esto quod anima plus uniaturo Deo*  
*fruitione quam uisione, hoc erit pro tanto, quia unio secundum*  
*fruitionem includit seu supponit eam que est secundum uisionem et 330*  
*non econuerso; maior autem est unio secundum duo quam secundum*  
*unum, ex quo bene sequitur quod perfectius consistit beatitudo in uisione*  
*simul et delectatione quam in sola uisione. Quod utique uerum est, quia*  
*in uisione et delectatione simul continetur illud quod pertinet ad*  
*beatitudinem essentialiter et accidentalem, in sola autem uisione 335*  
*continetur illud quod pertinet ad beatitudinem essentialiter, minimum*  
*autem bonum adiunctum beatitudine reddit ipsam eligibiliorem, ut*  
*dicitur *Ethi corum*. Ex hoc tamen non sequitur quod per solam*  
*delectationem plus uniamur Deo quam per solam uisionem, immo*  
*oppositum. 340*

[21] Dictum autem HVGONIS DE S. VICTORE, quod *dilectio supereminet scientie* etc., intelligendum est pro statu uie et quoad rationem meriti, quemadmodum dictum est prius de caritate respectu fidei et spei. Et pro eodem statu uerum est quod plus diligitur Deus quam cognoscatur quoad intensionem actus, non 345  
autem quoad conditionem obiecti, quia nichil potest diligi nisi cognitum, nec sic intrat caritas nisi ubi prius fuerit cognitio; set bene potest aliquid intensius diligi quam cognosci, quia intensio dilectionis est secundum rationem bonitatis obiecti; quod autem apprehenditur sub ratione maioris bonitatis, magis diligitur quam 350  
illud quod apprehenditur sub ratione minoris boni; potest autem esse quod maius bonum minus cognoscatur et minus bonum magis, et tunc uoluntas maioris boni est intensior quam cognitio et uoluntas

327 delectatio ... 328 Dei] cf. supra, 16 (231-232)

336 minimum ... 337 eligibiliorem] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 5, 1097b16-18

341 dilectio ... 342 etc] cf. supra, 4 (227,34-35); Hugo de S. Victore, *Exp. in hier. cael. S. Dionys.*, VI, 7 (1038D)

327 de<sup>1</sup>] *suppl.: om. π*

minoris boni remissior quam cognitio. Et sic est de cognitione Dei in  
 355 uia respectu dilectionis eius, quia cognitio uie, licet sit de summo  
 bono, non tamen est summa; in patria autem quando cognitio erit in  
 summo sine quocumque enigmate non erit maior dilectio cognitione.  
*Et quod additur, quod illud quod est posterius generatione etc., dicendum*  
*quod illud quod est prius in generatione et se habet in ratione materie uel*  
 360 *subiecti respectu alterius est imperfectius, sicut de materia respectu forme;*  
 set inter perfectiones terminantes generationem prior est perfectior,  
*sicut forma substantialis est perfectior qualibet ipsam consequente* ordine  
*nature, quia ille ordinantur finaliter ad conseruandam formam in*  
*materia, sicut qualitates precedentes ordinantur ad ipsam acquirendam.*  
 365 Nunc est ita quod uisio et dilectio consequens non se habent ut  
 materia et forma, set ut due perfectiones, | quarum secunda ordinatur π417vb  
 ad primam; ut enim desiderium ordinatur finaliter ad aliquid  
 acquirendum, sic delectatio ad permanendum in eo quando est  
 acquisitum, et perfectior est uisio precedens quam delectatio sequens.  
 370 [22] Si dicatur autem iterum secundum DYONISIVM *quod amor*  
*transformat amantem in amatum, non autem cognitio, et ita per*  
*amorem intimius unimur Deo quam per cognitionem, dicendum est*  
*quod transformatio illa non est conuersio anime uel alicuius pertinens*  
 ad animam in Deum uel in quamcumque rem amatam (hoc enim est  
 375 absurdum), set est conformitas amantis ad amatum, si sit amor  
 amicitie, quatinus *amicus est quasi alter ipse* et amicorum est  
 conformiter uiuere, uel est inclinatio ad consequendum rem amatam,  
 si sit amor concupiscentie. Quocumque autem modo accipiatur  
 transformatio, aliquid dicitur transformari dupliciter, scilicet  
 380 inclinando uel formaliter. Si inclinando, sic est amor; et ex amore  
 enim inclinatur aliquis ad uiuendum conformiter cum amico et ad  
 consequendam rem amatam; si formaliter, sic non est amor, set  
 aliquid aliud ab amore, sicut conformitas amicorum uel est in simili  
 habitu quoad corpus uel in simili actu, puta studio, mercatione uel

358 Et ... 369 sequens] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, ad 2 (223va)  
 illud ... generatione] cf. supra, 4 (227,36-38)

370 Si ... 396 transformationem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, ad 3 (223vb)  
 amor ... 371 amatum] Thom., *Super Sent.*, III, 27, 1, 1, ad 4 (857); cf. Ps.-Dionys., *De diu.*  
*nom.*, 4 (215a-c)

376 amicus ... 377 uiuere] cf. *Auct. Ar.*, 12, 177 (245,47-48); Arist., *Eth. Nic.*, IX, 4,  
 1166a30-32

368 sic] *coni.*: sicut π

quocumque alio. Similiter consecutio rei amate amore concupiscentie 385  
 non est formaliter per actum amoris, set per aliquem alium actum;  
 perfectius autem transformat illud quod transformat formaliter quam  
 illud quod transformat inclinatiue. *Tunc ad propositum: amor*  
*transformat animam in Deum per modum inclinantis; inclinatur enim ad*  
*hoc, ut Deus habeatur et ut ei simus similes aliququaliter. Set ipsa 390*  
*transformatio formaliter consistit in habere Deum et in assimilari Deo,*  
*quod fit per uisionem; cum enim apparuerit similes ei erimus, quia*  
*uidebimus eum sicuti est, ut dicitur I Ioh. 3. Et quia secundum est*  
*perfectius quam primum, ideo perfectius transformamur in Deum per*  
*intellectum, in quo est talis transformatio formaliter, quam per 395*  
*uoluntatem, que solum inclinatur ad talem transformationem.*

[23] Ad quintum dicendum quod actus uoluntatis non est melior  
 quam actus intellectus, immo deterior, ut probatum fuit. Et cum  
 probatur quod immo, quia ille actus est melior quo effimur  
 meliores, concedatur. Et tunc ad minorem per interemptionem: 400  
 potest enim aliquis dici bonus dupliciter et absolute, quia est in se  
 perfectius; et talem bonitatem magis habet homo per intellectum  
 quam per uoluntatem; unde scientie sunt simpliciter meliores  
 habitibus perficientibus uoluntatem. Alio modo potest aliquis dici  
 bonus bonitate relata et ordinata ad aliquid acquirendum, et sic 405  
 aliquis homo dicitur magis bonus per uoluntatem et per actus  
 perficientes appetitum quam per intellectum. Set quia hec bonitas  
 habet rationem meriti, respicit meritum; prima autem magis respicit  
 premium; et ideo simpliciter et absolute meliores sunt actus <et>  
 habitus intellectus quam uoluntatis. 410

Ad secundam probationem eiusdem minoris, cum dicitur quod  
 illud est maius bonum cui opponatur maius malum, dicendum quod  
 ibi est duplex defectus. Primus quia illa propositio est intelligenda in  
 bonis disparatis quorum unum non supponit alterum, ut si dicatur  
 quod iustitia est melior liberalitate et iniustitia peior illiberalitate; set 415  
 inter bona quorum unum supponit alterum non habet locum, sicut

392 cum ... 393 est<sup>1</sup>] I Ioh., 3,2

397 actus ... 398 deterior] cf. supra, 14-16 (230-232)

399 ille ... 400 meliores] cf. supra, 5 (227,41-42)

412 illud ... malum] cf. supra, 5 (227,46)

393 I] conii.: infra π      409 et<sup>3</sup>] suppl.: om. π

non sequitur: 'euechia est maius bonum quam sanitas, ergo cachechia est maius malum quam egritudo', quia euechia includit sanitatem et non econuerso, ut apparet ex II *Thopicorum*; similiter in  
 420 proposito diligere includit cognoscere et non econuerso; et ideo non oportet quod, si odire est maius malum quam ignorare, quod ipsum diligere sit coniugiis bonum quam cognoscere.

Secundus defectus est quia ibi non est utrobique uniformiter oppositio, quia odium opponitur dilectioni contrarie; set ignorantia  
 425 non opponitur cognitioni contrarie, set priuatiue uel contradictorie.

[24] *Ad sextum dicendum est quod premium correspondet merito secundum quantitatem sic quod maius premium debetur maiori merito; set non oportet quod in eo premietur in quo meruit. Miles autem uincendo duellum meretur coronam; uincit enim brachiis pugnando, et*  
 430 *tamen non coronatur in brachiis, set in capite. Et ratio huius est quia per meritum acquiritur perfectio merenti cui non solum potest | deficere* *π418ra*  
*perfectio potentie, que est elicitua meriti, set perfectio cuiuscumque alterius potentie; et si sit suprema perfectio, non potest pertinere ad potentiam in qua est meritum, cum illa secundum omnem actum*  
 435 *suum ad aliquid perfectius ordinetur.*

[25] *Ad ultimum dicendum quod beatitudo, prout includit omnem perfectionem hominis, nata est totaliter quietare appetitum humanum. Set sic non loquimur de beatitudine, ut dictum fuit in principio questionis, set solum ut includit unicum bonum inter alia*  
 440 *perfectissimum. Et illud bonum natum est quietare appetitum humanum non totaliter ratione sui precise, set potissime comparatione cuiuscumque alterius boni singularis, quia ad ipsum sequitur delectatio maior quacumque alia. Si ergo uirtute diuina fieret quod intellectus clare uideret Deum et uoluntas non*  
 445 *delectaretur in ipso, hoc non esset, quia uisio intellectus non esset sufficiens quantum est de se maxime quietare uoluntatem, set quia prohibetur diuina uirtute consecutio talis quietationis; et tunc homo beatus esset in habendo illud quod inter omnia bona humana est potissimum, set non in habendo quidquid natum est consequi ad*

417 euechia ... 418 egritudo] cf. Arist., *Topic.*, VIII, 2, 157b18-20

418 euechia ... sanitatem] cf. Arist., *Topic.*, II, 8, 113b35-36

426 Ad ... 435 ordinetur] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 4, ad 5 (224ra-b); Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 4, ad 3 (114vb)

419 *Thopicorum*] *coni.*: *ethicorum* π

ipsum. Et ad hoc quod dicitur, quod si uidens Deum posset non 450  
 delectari, sequeretur quod posset tritari, et sic esset miser, dicendum  
 quod non sequitur, quia tristitia non potest esse nisi de aliquo habito  
 apprehenso sub ratione mali et noliti. Deus autem et uisio eius, si  
 ponatur sola, non potest habere rationem mali et noliti, et ideo  
 quamuis posset uirtute diuina actus delectationis suspendi ne 455  
 sequeretur ad uisionem, non tamen in uidente Deum causare  
 tristitiam neque de Deo neque de uisione Dei. Si autem de alio  
 obiecto posset inesse tristitia, sequeretur quod idem homo simul esset  
 beatus et miser secundum aliud et aliud, hoc est habens optimam  
 perfectionem, que est essentialiter beatitudo, et defectum alterius 460  
 perfectionis, ratione cuius esset secundum quid miser; et illa non  
 repugnant.

#### QUESTIO QUINTA

##### VTRVM DEVS POSSIT ESSE IMMEDIATVM OBIECTVM DELECTATIONIS

[1] Quinto queritur de hoc quod suppositum est in questione  
 immediate precedente, utrum Deus posset esse immediatum  
 obiectum delectationis. Et arguitur quod sic, quia si immediatum 5  
 obiectum delectationis non esset Deus, set uisio Dei, sequeretur quod  
 inter uisionem et delectationem caderet actus medius reflexus; hoc  
 autem est falsum, ut probabitur; ergo etc. Maior patet, quia  
 delectatio non est nisi de obiecto cognito; si ergo uisio Dei esset  
 immediatum obiectum delectationis, sequeretur quod ipsa esset 10  
 cognita; set uisio non potest esse cognita nisi per actum reflexum,  
 quo uidemus nos uidere; ergo etc. Minor probatur, quia bonitas Dei  
 summa et infinita est prius uisa a beato quam bonitas uisionis, que  
 est finita; set uoluntas non potest non ferri actu desiderii in summum  
 bonum sibi presentatum per modum absentis in uia; ergo similiter 15  
 ipsa non potest non ferri actu delectationis in summum bonum sibi  
 presens in patria. Prius ergo delectatur uoluntas in Deo quam  
 cognoscatur ipsa uisio; ergo cognitio uisionis non cadit media inter  
 uisionem Dei et delectationem sequentem. Et hec fuit minor.

[2] Item in omni actu dilectionis et delectationis alicuius habiti et 20  
 habitationis, quando habitum est magis dilectum quam eius habitio,



tunc ipsum habitum est obiectum immediatum, tam dilectionis quam delectationis, et non habitio eius; set in delectatione et dilectione patrie, que sunt de Deo habito, ipsum habitum, scilicet  
 25 Deus, est magis dilectus quam habitio eius, scilicet uisio; ergo est immediatum obiectum dilectionis et delectationis et non uisio per quam habetur. Maior probatur dupliciter, scilicet ratione et exemplo. Ratione sic: illud quod magis amatur, immediatius amatur, sicut finis magis amatur quam ea que sunt ad finem, ideo immediatius amatur,  
 30 quamuis in assecutione sit oppositum. Idem patet per exemplum: quia enim magis diligo gustum uini quam ipsum uinum, quia non diligo uinum nisi ut gustem, ideo immediatum obiectum huius dilectionis est gustus uini et non uinum. Econtrario: quando habeo amicum presentem, ipse amicus est magis dilectus quam eius habitio  
 35 uel presentia, et ideo est immediatum obiectum dilectionis et delectationis. Et sic patet maior. Minor | etiam patet, quia nisi Deus *π418rb* habitus magis amaretur quam habitio eius, talis amor esset peruersus, qui in patria locum non habet; ideo etc.

[3] Item illud quod est immediatum obiectum summe cognitionis  
 40 et summe dilectionis est immediatum obiectum summe delectationis; set Deus est huiusmodi et non aliquod causatum; ergo etc. Maior patet, quia uoluntas et omnis appetitus delectatur in eo quod amat et summe in eo quod summe amat. Minor similiter patet, scilicet quod Deus sit immediatum obiectum summe cognitionis, scilicet beate, et  
 45 summe dilectionis.

[4] Item illud est immediatum obiectum fruitionis quod est immediatum obiectum caritatis a qua fruitio elicitur, cum idem sit obiectum mediatum uel immediatum habitus et actus; set immediatum obiectum caritatis est solus Deus et non aliquid  
 50 creatum, tam in uia quam in patria; ergo immediatum obiectum fruitionis uel delectationis est solus Deus.

[5] In contrarium arguitur quia actus ille quo attingitur finis extra uidetur esse immediatum obiectum fruitionis uel delectationis; sicut enim finis est obiectum fruitionis, sic finis extra, qui est finis  
 55 mediatum, est obiectum mediatum, finis uero intra, qui est nobis immediatus, est obiectum immediatum; talis autem finis est actus quo finis extra attingitur; ergo ipse est immediatum obiectum fruitionis seu delectationis. Set uisio Dei est actus quo attingitur finis

extra, scilicet ipse Deus; ergo uisio est immediatum obiectum delectationis et non ipse Deus. 60

[6] Respondendum est ad questionem istam quod immediatum obiectum delectationis quam habent beati de Deo uiso non est ipse Deus secundum se, set eius uisio. Et uniuersaliter immediatum obiectum cuiuscumque delectationis est operatio aliqua uel perfectio formalis per operationem acquisita. Et loquor de delectatione que est 65 de re actualiter habita, quamuis etiam proportionabiliter sit uerum de delectatione que sequitur spem uel memoriam. Et quamuis illud alias fuerit probatum, adhuc tamen potest probari aliis rationibus. Quarum prima talis est: *Ad delectationem duo requiruntur, scilicet consecutio proprii boni et cognitio boni consecuti.* 70

Ex hoc sic arguitur: illud solum potest esse proprium bonum et immediatum obiectum delectationis quod est uel potest esse proprium bonum illius qui delectatur; set Deus et quecumque res supposito distincta ab homine non potest esse proprium bonum eius, immo non potest esse aliquod bonum eius nisi ratione operationis 75 per quam attingitur; ergo nec Deus nec aliqua res subiecto distincta ab homine potest esse immediatum obiectum delectationis humane.

Maior patet, quia nullus delectatur in quocumque bono nisi quatinus existimat ipsum esse aliquo modo suum. Vnde PHILOSOPHVS VIII ETHICORUM dicit quod amabile quidem 80 bonum, unicuique autem proprium. Ad cognitionem autem boni secundum que est speculatiua, nulla affectio sequitur. Hanc etiam positionem omnes doctores tenent et scribunt.

Minor probatur, quia quando aliquis dicitur talis per denominationem extrinsecam et alius dicitur talis per 85 denominationem formalem, illud quod dicitur tale per denominationem extrinsecam nullo modo potest conuenire alicui nisi ratione formalis denominationis. Verbi gratia sanum dicitur de medicina et dieta <et animali, set de medicina et dieta> per

61 immediatum ... 63 uisio] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 5, sol. 5 (523b-524a)

67 alias ... 68 probatum] cf. supra, I (C), I, 2, 7-20 (14rb-15ra)

69 Ad ... 70 consecuti] Thom., *S.th.*, I-II, 32, 5, resp.

Ad ... 108 delectationis] supra, I (C), I, 2, 17 (14vb-15ra)

71 illud ... 77 humane] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 2, ratio 2 (220ra)

82 que ... nulla] Arist., *Eth. Nic.*, VIII, 2, 1155b23-25

88 sanum ... 92 formaliter] cf. Arist., *Metaph.*, IV, 2, 1003a33-b1

89 et<sup>2</sup> ... dieta<sup>2</sup>] *suppl.: om. π*

90 denominationem extrinsecam, de animali uero per predicationem  
 formalem; et ideo nec medicina nec dieta potest dici sana homini nisi  
 ratione sanitatis que in ipso est formaliter. Similiter aliquid potest  
 dici bonum homini per denominationem extrinsecam, quia est causa  
 alicuius bonitatis in homine, sicut sol est bonus frigescenti, quia  
 95 causat in eo calorem, qui formaliter est ei bonus; nec umquam posset  
 dici sol bonus frigescenti nisi ratione caloris qui est ei bonus  
 formaliter. Nunc est ita quod Deus non potest dici esse bonum  
 hominis formaliter, neque quecumque res ab homine subiecto  
 distincta, set solum per denominationem extrinsecam, qualiscumque  
 100 sit illa; ergo esse bonum hominis non potest competere Deo nisi  
 ratione bonitatis formalis que est in homine formaliter. Immo plus,  
 quod sicut <non> est alia sanitas numero sanitas que est in homine  
 formaliter et sanitas a qua denominatur medicina sana, set est una et  
 eadem, sic non est alia bonitas qua Deus dicitur bonus beato homini  
 105 uel ignis bonus frigescenti | quam bonitas per quam beatus est bonus π418va  
 formaliter et bonitas qua frigescenti dicitur bene se habere formaliter.  
 Et sic patet minor. Sequitur ergo conclusio principalis, scilicet quod  
 Deus secundum se non est immediatum obiectum delectationis. Et  
 in hoc confirmatur prima ratio posita ad hoc I lib. 1 dist., que erat  
 110 quod immediatum obiectum amoris concupiscentie, ad quem  
 pertinet delectatio, non potest esse res subiecto distincta a  
 concupiscente.

Contra tamen rationem istam opponuntur multa que sunt soluta  
 in I lib. dist. 1. Item quod delectatio pertineat ad amorem  
 115 concupiscentie probatur sic: *amor habens pro formali ratione obiecti  
 bonum delectabile uel utile est amor concupiscentie*; set delectatio est  
 huiusmodi; ergo etc.

[9] Contra hoc instatur quia delectatio non solum habet pro  
 obiecto bonum utile uel delectabile, immo etiam bonum honestum.  
 120 Set hec instantia nulla est, quia sufficit ad propositum nostrum quod  
 ille amor qui habet bonum delectabile uel utile pro obiecto sit amor

110 immediatum ... 112 concupiscente] cf. supra, I (C), 1, 2, 8 (14rb); Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 2, ratio 2 (220ra)

115 amor ... 117 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 3, 2 (220ra)

118 delectatio ... 119 honestum] cf. Arist., *Eth. Nic.*, VIII, 3, 1156a7; VIII, 2, 1155b18-19; VIII, 3, 1156a10-11.15.16-17.24-26; *Auct. Ar.*, 12, 143 (243,97-100)

102 non] *suppl.*: om. π      110 quem] *coni.*: quam π

concupiscentie. Et uoco bonum delectabile non quod delectat formaliter, quia hoc est delectatio, set illud quod delectat ut immediatum obiectum de quo habetur delectatio, siue ipsa efficiatur ab obiecto siue non. 125

Item, dato quod obiectum delectationis esset bonum honestum, adhuc habemus propositum, quia bonum honestum non est aliquod bonum per se subsistens, set est bonum et perfectio alteri inherens, sicut uirtus uel aliquid tale. Et sic redibit quod res subiecto distincta <a> concupiscente et maxime subsistens non potest esse immediatum 130 obiectum delectationis. Bonum enim utile, delectabile et honestum sunt obiectum concupiscentie secundum unam communem rationem repertam in eis, que est ratio commodi. Et quia nichil extrinsecum et maxime per se subsistens potest esse commodum alterius nisi ratione alicuius actus per quem attingitur, qui est 135 commodum nostrum formaliter, ideo nichil extrinsecum et maxime per se subsistens potest esse immediate bonum nostrum utile, delectabile uel honestum.

[10] Ad rationes principales. Ad primam dicendum est per interemptionem minoris. Et cum probatur quia bonitas Dei est prius 140 uisa quam bonitas uisionis, concedatur, set non est prius uisa ut bona nobis in patria quam bonitas uisionis, ratione cuius Deus est primo bonus beatis. Et quia bonitas Dei absolute nec desideratur a nobis nec in ea delectamur, nec in uia nec in patria, ideo uisio bonitatis diuine absolute in patria uel cognitio eius in uia non sufficit ad 145 desiderium uel delectationem.

[11] Ad secundam dicendum quod maior propositio est falsa, quia quando bonum habitum est magis dilectum quam eius habitio, illud quidem bonum potest esse immediatum obiectum amoris amicitie, sicut est de Deo uel de amico cui bonum uolumus, set eius habitio et 150 non ipsum habitum est immediatum obiectum amoris concupiscentie, siue quantum ad desiderium siue quantum ad delectationem. Verbi gratia: in exemplo EORVM amicus presens est immediatum obiectum amicitie; set eius presentia quam desiderauit, dum esset absens, et in qua delector, dum est presens, est 155 immediatum obiectum concupiscentie et non ipse amicus, qui est amicus, siue sit presens siue sit absens; et quia quod amatur amore amicitie magis amatur quam illud quod amatur amore

concupiscentie, ideo tale amatum, quamuis sit illud simpliciter magis  
 160 quod amatur quam eius habitio, tamen non est immediatius amatum  
 amore concupiscentie, set eius habitio. Si autem tam habitum quam  
 habitio pertineant solum ad amorem concupiscentie, tunc est  
 uniuersaliter uerum quod dicunt quia illud quod est plus amatum est  
 immediatius amatum, ut patet in cibo et in potu, non autem quando  
 165 alterum pertinet ad amorem amicitie, scilicet bonum habitum,  
 alterum uero ad amorem concupiscentie, scilicet habitio eius.

[12] Ad tertiam patet responsio, quia illud quod est obiectum  
 summe cognitionis et dilectionis non est immediatum obiectum  
 summe delectationis, quia obiectum summe dilectionis et summe  
 170 delectationis, que est dilectio amicitie, est summum bonum  
 secundum se; set obiectum summe delectationis est illud quod est  
 summum bonum ei qui delectatur; illud autem non est Deus  
 secundum se, ut probatum fuit, set uisio eius, que est summe bona  
 inter ea que sunt nobis bona formaliter.

175 [13] Ad quartam dicendum quod maior propositio est falsa, | quia *π418vb*  
 cum caritas pertineat ad amorem amicitie, obiectum eius est Deus  
 secundum se in quantum Deum diligimus propter se; fruitio autem  
 non pertinet ad amorem amicitie, set concupiscentie, cuius Deus non  
 potest esse immediatum obiectum, cum non sit immediate bonum  
 180 nostrum; et tamen fruitio beata dicitur elici mediante habitu caritatis,  
 quia uisionem Dei, que erit immediatum obiectum fruitionis, et nos  
 ipsos referemus in Deum tamquam in finem ultimum.

#### QVESTIO SEXTA

##### VTRVM VIATORI MANENTI IN STATV VIE POSSIT COMMVNICARI VISIO DEI INTUITIVA QVE NON SIT BEATIFICA

[1] Sexto queritur utrum uiatori manenti in statu uie possit  
 5 communicari uisio Dei intuitiua que non sit beatifica. Et arguitur  
 quod sic, quia cui potest communicari uisio Dei intuitiua absque hoc  
 quod communicetur ei dilectio Dei uel delectatio, illi potest  
 communicari uisio Dei intuitiua que non est beatifica; set uiatori  
 potest communicari uisio Dei intuitiua absque hoc quod  
 10 communicetur ei dilectio uel delectatio; ergo etc. Maior probatur,

quia ad beatitudinem non solum requiritur cognitio Dei intuitiua, set dilectio et delectatio sequens illam cognitionem, que se habet in beatitudine ex equo cum uisione, ut QUIDAM dicunt, uel principalius quam uisio, ut ALII sentiunt, uel minus principaliter, quamuis essentialiter, ut tenent sic ARGVENTES; igitur cui communicaretur 15 uisio sine dilectione uel delectatione, talis uisio non esset beatifica, cum nulla res maneat substracta quacumque essentiali parte sui. Et hec fuit maior. Minor similiter probatur, quia in habentibus ordinem Deus potest facere prius sine posteriore; set uisio se habet ad dilectionem et delectationem sicut prius ad posterius; ergo Deus 20 potest communicare alicui uisionem sui intuitiuam absque dilectione et delectatione. Et hec fuit minor. Sequitur ergo conclusio.

[2] Item cuicumque potest communicari uisio Dei per unum instans, illi potest communicari per totum eternum; set uisio Dei intuitiua non beatifica potest communicari et communicata fuit 25 alicui per unum instans, sicut Paulo in raptu, qui uidit Deum intuitiue, nec tamen fuit beatus, set mansit uiator; ergo illa uisio potuisset ei communicari per totum eternum nec fecisset eum beatum. Maior patet, quia breuitas uel diuturnitas non facit possibilitatem uel impossibilitatem aliquorum, set oppositio uel 30 repugnantia que, si non sit pro uno instanti, non erit pro toto eterno. Minor declarata est.

Et confirmatur hec ratio, quia per maiorem uel minorem permanentiam uel durationem non est aliquid melius essentialiter, sicut arguit ARISTOTILES I E t h i c o r u m contra PLATONEM. Et ideo, 35 si uisio quam habuit Paulus in raptu fuisset semper in eo continuata, non propter hoc fuisset essentialiter perfectior; et ideo si non fuit beatifica in raptu, non fuisset beatifica, si ipsi semper fuisset continuata.

[3] Item cui potest communicari uisio Dei intuitiua absque hoc 40 quod ei communicetur uisio aliarum rerum quam habent beati, communiter illa uisio non est beatifica; set alicui uiatori potest

11 ad ... 13 uisione] cf. Guill. Altissiod., *Summa*, IV, 18, 3, 3 (501,155-502,167)

13 principalius ... 14 uisio] Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 6, resp. et ad 9 (653b)

14 minus ... 15 essentialiter] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 3, 4, resp.; *Super euang. Ioh. lect.*, 17, 1, 3, 2186 (413)

33 maiorem ... 34 essentialiter] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 4, 1096b3-4

11 intuitiua] in *praem.* π 13 beatitudine] *coni.*: beatitudinem π

communicari talis uisio et fuit communicata; ergo etc. Minor probatur, ut prius in Paulo cui communicata est uisio diuine essentie  
 45 in raptu et tamen non fuit ei communicatum quod sciret an fuisset *in corpore an extra corpus*, sicut dicitur I C o r. 12, quod tamen omnes beati communiter sciunt; quare etc. Et si dicatur quod uisio beatifica consistit in uisione diuine essentie et non in cognitione aliarum rerum secundum illud AVGVSTINI lib. C o n f e s s i o n u m : *Infelix*  
 50 *homo qui illa scit, te autem nescit, felix autem qui te scit, etiamsi illa nesciat, qui autem te scit et illa, non propter illa, set propter te solum beatior*, non ualet, quia illud solum intelligendum est de beatitudine uie et non patrie. Et dato quod intelligeretur de beatitudine patrie, intelligendum esset secundum quod li ‘propter’ dicit causam, ut sit  
 55 sensus quod causa beatitudinis non sit nisi uisio Dei; set illa uisio non est beatifica sine cognitione creaturarum, quia licet cognitio creaturarum non sit causa propter quam aliquis est beatus, est tamen causa sine qua nullus esset beatus. |

π419ra

[4] In contrarium arguitur quia illud non potest communicari  
 60 uiatori propter quod status patrie distinguitur a statu uie; set status patrie distinguitur a statu uie per hoc quod cognitio patrie est intuitiua, cognitio uero uie est enigmatica secundum illud I C o r. 13: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*; uisio ergo Dei intuitiua non potest communicari uiatori quin sit  
 65 beatifica, et per consequens uiator non erit simpliciter uiator.

[5] Responso. Sicut fuit prius dictum, beatitudo accipitur dupliciter: uno modo pro statu comprehendente omnem perfectionem homini possibilem, et sic diffinitur a BOETIO quod beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Et hoc  
 70 modo beatitudo non consistit in aliquo uno bono uel in aliqua una perfectione, set in omnibus simul. Alio modo accipitur beatitudo pro summa et optima hominis perfectione, et sic beatitudo consistit in optima hominis operatione, que est optime potentie respectu optimi obiecti.

75 Hoc supposito dicendum est quod aliud est querere utrum uisio Dei intuitiua posset communicari alicui absque hoc quod sit beatus

45 non ... 46 corpus] cf. II *Cor.*, 12,2

49 Infelix ... 52 beatior] Aug., *Conf.*, V, 4 (60,2-4)

63 Videmus ... faciem] I *Cor.*, 13,12

66 beatitudo ... 74 obiecti] cf. supra, 49, 4, 10 (228-229)

69 status ... perfectus] *Auct. Ar.*, 25, 34 (289,71); cf. Boeth., *Cons. Phil.*, III, 2 (38,9-10)

beatitudine primo modo dicta, prout dicit *statum omnium bonorum aggregatione perfectum*, et aliud est querere utrum potest communicari alicui absque hoc quod sit beatus beatitudine que dicit potissimum actum et potissimam perfectionem. Si primo modo intelligatur 80 questio, nullo modo est dubia, quia constat quod uisio Dei intuitiua potest communicari alicui absque hoc quod habeat dotes corporis et multa alia que requiruntur ad statum beatitudinis; sic enim factum est in Christo et in Paulo et in Moyse, sicut dicit AVGVSTINVS S u p e r Genesim ad litteram. Oportet ergo, si questio sit dubia, 85 sicut debet esse omnis questio, quod intelligatur secundo modo, scilicet utrum uisio Dei intuitiua possit communicari alicui uiatori absque hoc quod sit beatifica, hoc est absque hoc quod beatificet ipsum formaliter, ut supremus actus in quo consistit beatitudo. Et sic intelligendo questionem dicendum est quod non. 90

Cuius ratio est quia quando duo actus sunt eiusdem rationis specificice et eque perfecti, in illa specie necessarium est quod perficiant suum subiectum equaliter perfectione formali et specifica. Et oppositum huius uidetur implicare contradictionem, sicut contradictionem implicat quod duarum albedinum una faciat 95 subiectum suum album et alia non, et si sint eque perfecte albedines, implicat contradictionem quod non equaliter faciant subiecta sua alba. Set omnis cognitio Dei intuitiua que potest communicari homini est una secundum speciem, et per consequens una potest equari alteri in perfectione. Ergo cum aliqua earum sit beatifica (in 100 aliqua enim earum consistit beatitudo secundum omnes), necesse est quod quelibet talis sit beatifica et beatificet subiectum suum formaliter. Maior iam patet. Set minor declaratur, quia si non omnis uisio Dei intuitiua esset eiusdem speciei, hoc esset uel ex parte subiecti uel ex parte obiecti uel ex parte habitus, scilicet luminis 105 glorie, secundum ponentes ipsum. Non potest esse ex parte subiecti uel obiecti, quia idem subiectum uel obiectum eodem modo representatum supponitur utrobique, nec ex parte luminis glorie, quia uel tale lumen est necessarium ad uisionem Dei intuitiuam uel non: si sit necessarium, tunc oportet quod sit in qualibet uisione, et 110

84 et<sup>2</sup> ... Moyse] cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 28 (422,20-21)

105 luminis ... 106 ipsum] cf. supra, 49, 2, 11-22 (198-208)

101 earum] *coni.*: eorum π



sic ex parte eius nulla est differentia; si uero non sit necessarium, set potest adesse et abesse, tunc non uariat speciem.

[6] Ad primum argumentum dicendum quod maior est falsa, quia nos loquimur de beatitudine prout dicit supremam et perfectissimam  
 115 operationem homini possibilem; talis autem non potest esse nisi una, quia plures operationes specie differentes non possunt esse eiusdem gradus, et ita impossibile est quod dilectio seu delectatio pertineant cum uisione ad beatitudinem, prout de beatitudine nunc loquimur. Et iterum dato quod concurrerent simul ad beatitudinem, adhuc  
 120 maior esset falsa, quia uisio et delectatio non concurrerent ad beatitudinem tamquam partes unius perfectionis, set concurrerent solum per modum cuiusdam aggregationis, ita quod perfectior esset beatitudo aggregans utrumque actum quam continens unum solum. Verumptamen siue hee due operationes sint simul siue quelibet per se  
 125 maxime uisio que potest esse sine delectatione, dummodo permaneant in sua natura et in sua intrinseca perfectione tantum, perficit quelibet earum suum subiectum, si per se sit in subiecto quantum perficit quando est ibi cum alia; unde uidens Deum et non diligens ita | perfecte uidet Deum et ita perfecte beatificatur π419rb  
 130 beatificatione uisionis, sicut beatificatur beatificatione uisionis uidens Deum et diligens, quamuis uidens Deum et diligens pluribus beatificetur, scilicet uisione et delectatione, set non plus intensiue ipsa uisione.

[7] Ad secundum argumentum dicendum per interemptionem  
 135 minoris, quia uisio que fuit communicata Paulo in raptu fuit beatifica beatitudine que est per actum in quo principaliter et essentialiter consistit beatitudo. Vnde AVGVSTINVS dicit quod ipse uidit Deum sicut et beati uident ipsum. Et si dicatur quod non fuit beatifica, quia non fuit mediante lumine glorie, non ualet, quia, sicut dictum fuit  
 140 prius, si lumen glorie esset necessarium ad uisionem diuine essentie intuitiuam, illa responsio non haberet locum, quia oportet dicere quod illa uisio fuisset mediante illo lumine. Si uero lumen glorie requiratur propter permanentiam actus (propter quam PHILOSOPHVS dicit ad beatitudinem naturalem requiri habitum), non ualet, quia

137 ipse ... 138 ipsum] cf. Aug., *In Iob.*, 7, 23 (80,19-24)

138 si ... 142 lumine] cf. supra, 5 (248,108-249,111)

144 ad ... habitum] cf. *Auct. Ar.*, 12, 11 (233,22-24); Arist., *Eth. Nic.*, I, 6, 1098a15-18; X, 8, 1178a9-22; I, 11, 1100b12-13; uide etiam X, 6, 1176a33-b1

ubi obiectum secundum se semper est presens potentie et potentia 145  
nata est ferri in obiectum, frustra poneretur aliquid causans  
permanentiam actus, quia illo excluso adhuc semper esset actus  
permanens ex presentia obiecti ad potentiam; unde si in nobis pro  
statu uie semper esset obiectum presens potentie cognitue, non  
oporteret ponere habitum ad cognoscendum uel considerandum 150  
obiectum, quia propter facilitatem considerationis ponitur habitus  
quo quis potest uti cum uoluerit et ratione cuius intellectus faciliter  
conuertitur ad fantasmata que representant ipsi obiectum suum; cum  
igitur in uisione Dei intuitiua obiectum secundum se sit presens  
potentie (et si esset absens in ratione obiecti, lumen glorie nichil 155  
faceret ad hoc ut obiectum haberetur principaliter), patet quod tale  
lumen non est ponendum propter permanentiam actus. Esset etiam  
repugnantia in dictis, quia secundum hoc uisio que fuit in raptu  
Pauli sine lumine et que est in beatis cum lumine, non differret  
quantum ad aliquam intrinsecam perfectionem, set solum differret 160  
sicut transiens et permanens. Exclusa ergo hac differentia idem esset  
iudicium de utraque. Si ergo uisio Pauli fuisset conseruata in sua  
permanentia, fuisset beatifica sicut est uisio beatorum, cuius  
contrarium IPSI dicunt. Et quia breuitas uel diuturnitas durationis  
non auget uel minuit essentialem perfectionem rei, ut IPSIMET 165  
dicunt, sequitur quod uisio Pauli, que fuit in raptu Pauli, fuit eque  
beatifica, sicut si fuisset semper continuata. Et si lumen glorie non  
requiritur nisi propter continuationem operationis, non potest poni  
sine contradictione quod propter lumen glorie aliqua uisio intuitiua  
sit beata, que sine ipso non esset beata, et quod diuturnitas 170  
operationis nichil faciat ad perfectionem eius.

[8] Ad tertium dicendum quod maior est falsa et minor similiter.  
Maior, que dicit quod cuicumque potest communicari uisio Dei  
intuitiua absque hoc quod cognoscat alia que beati cognoscant, illa  
uisio non est ei beatifica, falsa est, quia quilibet uidens Deum, dato 175  
quod non uideret alia, esset beatus beatitudine essentiali. Quod patet  
auctoritate beati AVGVSTINI et PHILOSOPHI: auctoritate PHILOSOPHI,  
qui dicit I et X E t h i c o r u m quod felicitas consistit in operatione

163 cuius ... 164 dicunt] cf. Thom., *De uerit.*, 13, 2 (421,133-142); *S.th.*, II-II, 175, 3, ad 2;  
*In II Cor.*, XII, 2, 455 (542b)

164 diuturnitas ... 165 rei] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 4, 1096b3-4

178 felicitas ... 179 obiecti] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 6, 1098a15-17; X, 7, 1177a19-20

respectu obiecti; obiectum autem optimum est solus Deus et non alia  
 180 ab ipso; item auctoritate AVGVSTINI prius allegata ex V lib.  
 C o n f e s s i o n u m : *Infelix homo* etc.

Nec ualent due responsiones prius date. Prima, que dicit quod illa  
 auctoritas intelligitur de beatitudine uie et non patrie, non ualet, quia  
 proportionaliter uidetur se habere cognitio Dei in uia ad  
 185 beatitudinem uie et cognitio Dei in patria ad beatitudinem patrie; si  
 ergo secundum expositionem istam ad beatitudinem uie sufficeret  
 cognitio Dei in uia sine cognitione aliorum, uidetur quod uisio Dei  
 est in patria sufficiens ad beatitudinem patrie absque hoc quod alia  
 cognoscantur in Deo. Ipsa etiam expositio secundum se est falsa, quia  
 190 cognitio aliorum a Deo magis est necessaria in uia ad cognitionem  
 Dei, in qua consistit naturalis beatitudo, quam sit necessaria in patria.  
 Et si loquamur de beatitudine uie non solum naturali, set etiam  
 supernaturali, que est secundum fidem et spem ut faciunt ad  
 meritum, adhuc expositio nulla est, quia ad illam beatitudinem magis  
 195 est necessaria aliorum cognitio a Deo quam ad beatitudinem | patrie,  $\pi 419va$   
 quia sola cognitio Dei in uia sine cognitione aliorum que facienda  
 sunt propter Deum circa se ipsum et proximum non sufficeret ad  
 meritum.

Secunda etiam responsio, que dicit quod si intelligatur de  
 200 beatitudine patrie, tunc li 'propter' dicit causam, et sic propter  
 uisionem diuine essentie homo est beatus, set non sine uisione  
 aliorum, non ualet, quia uerba AVGVSTINI contradicunt. Dicit enim  
 sic: *Beatus autem est qui te scit, etiamsi illa nesciat*; ex quo patet quod  
 ad beatitudinem non requiritur cognitio creaturarum, neque sicut  
 205 causa propter quam neque sicut causa sine qua non. Minor etiam est  
 falsa, quia nulli uidenti Deum communicatur uisio aliorum in Deo  
 que non communicetur omnibus uidentibus Deum, etiamsi in raptu  
 et in transitu uideant, quia uisio Dei et aliorum in Deo non est nisi  
 eorum que ex necessitate representantur in diuina essentia, siue sint  
 210 intrinseca, ut relationes, siue extrinseca, ut quidditates rerum; et hec  
 nullum uidentem Deum latent nec forte latere possunt, quamuis

181 *Infelix homo*] cf. Aug., *Conf.*, V, 4 (60,2-4)

182 *illa ... 183 patrie*] cf. supra, 3 (247,52-53)

199 *si ... 202 aliorum*] cf. supra, 3 (247,53-58)

203 *Beatus ... nesciat*] cf. Aug., *Conf.*, V, 4 (60,3)

185 *beatitudinem*<sup>2</sup>] *coni.*: cognitionem  $\pi$

QVIBVSDAM uideatur contrarium, ut dictum fuit prius. Cognitio uero de euentu rerum, utrum sint uel non sint, fient uel non fient, uariatur in diuersis uidentibus Deum absque preiudicio beatitudinis, quia cognitio talium non pertinet ad cognitionem beatam per quam 215 quilibet beatus uidet a principio quidquid uidere potest, set pertinet ad aliud genus cognitionis que est per reuelationem per quam unusquisque beatus cognoscit illud quod ad se pertinet. Et talis reuelatio non oportet quod fiat uiatori, si rapiatur ad uisionem diuine essentie, quia nec fuit facta Paulo, ut arguebatur. 220

Responsio ad maiorem propositionem sufficit et nichil dubii includit, set responsio ad minorem unum dubium includit, hoc scilicet quod uidens Deum non possit non uidere ea que ex necessitate in diuina essentia representantur.

### QUESTIO SEPTIMA

#### VTRVM BEATITVDO SANCTORVM SIT FUTVRA MAIOR POST RESVRRECTIONEM QVAM SIT MODO

[1] Septimo queritur utrum beatitudo sanctorum sit futura maior post resurrectionem quam sit modo. Et uidetur quod sic, quia sicut se 5 habet miseria ad dampnatos reprobos, sic gloria ad bonos; set miseria reproborum non solum hominum, set etiam demonum erit maior post resurrectionem quam modo; ergo et gloria bonorum.

[2] Item *gloria perficit naturam*; igitur natura existente perfectiore erit gloria perfectior; set natura anime erit perfectior post 10 resurrectionem quam sit modo, quia perfectiori modo existet in toto quam separata a toto, tunc uero existet in ea et in toto, cum sit naturaliter pars totius hominis; ergo eius gloria erit perfectior.

[3] In contrarium arguitur quia operatio que in nullo indiget corpore non perficitur in aliquo ex presentia corporis; set operatio in 15

212 quibusdam ... contrarium] cf. supra, 49, 3, 4 (216,38-46); God. de Font., *Quodl.*, VI, 1 (98-100; 108)

4 utrum ... 5 modo] uide etiam Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 2 (113vb-114ra)

5 sicut ... 8 bonorum] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, sed contra 1 (469b)

9 gloria ... naturam] cf. e.g. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 3, ad 8 (491b); *De uerit.*, 8, 5, arg. 3 (234,15-16); *S.th.*, II-II, 26, 13, sed contra

qua consistit beatitudo in nullo indiget corpore; ergo nullo modo perficietur gloria per resurrectionem corporis. Maior de se patet. Set minor probatur, quia operatio in qua consistit beatitudo non indiget corpore ut subiecto, quia nulla operatio intellectualis indiget corpore  
 20 illo modo nec indiget corpore ut obiecto, quia non fit mediante fantasmate, sicut fiunt operationes naturales; quare etc.

[4] Responso. Circa istam questionem intelligendum est quod beatitudinem sanctorum augeri post resurrectionem potest intelligi dupliciter: uno modo extensiuē, quia erit in pluribus, alio modo  
 25 intensiuē, ita scilicet quod anima beata que nunc uidet Deum uideat ipsum clarius et diligit eum intensius resumpto corpore. Si loquamur de beatitudinis augmento extensiuē, sic clarum est quod augebitur beatitudo post resurrectionem, quia tunc homo beatificabitur non solum in anima quoad uires <superiores, que sunt intellectus et  
 30 uoluntas, set quoad uires> inferiores sensitivas, et etiam in corpore quantum ad dotes suas, sicut econtrario dampnati affligentur non solum in anima quoad intellectum et uoluntatem, set etiam in corpore quoad sensualitatem. Et sic loquitur glossa super illud Apoc. 6: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum*, que dicit quod  
 35 anime sanctorum modo sunt in minori dignitate quam future sint post resurrectionem, et HIERONYMVS, qui dicit quod *peracto finali iudicio Deus ampliozem gratiam monstrabit sanctis*; hec enim maior dignitas uel amplior | gratia erit secundum extensionem, que erit quoad plura. π419vb

[5] Si uero loquamur de augmento beatitudinis intensiuē, modo  
 40 quo expositum est, sic est duplex modus dicendi. Primus est quod beatitudo essentialis, que consistit in Dei uisione, augebitur intensiuē post resurrectionem. Quod probatur dupliciter. Primo sic et est ratio

22 Circa ... 33 sensualitatem] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 2 (216rb-va)

24 uno ... 33 sensualitatem] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, sol. 1 (477a)

33 glossa ... 36 resurrectionem] ap. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, 1, sed contra 1 (476a)

34 Vidi ... interfectorum] cf. *Apoc.*, 6,9

35 anime ... 36 resurrectionem] cf. *Glossa ord. Apoc.*, 6,9 (557d); ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, sed contra 3 (469b)

36 peracto ... 37 sanctis] cf. *Glossa ord. Os.*, 6, 1 (361d); ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, sed contra 2 (469b)

39 Si ... 47 etc] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 2° (216va)

41 beatitudo ... 42 resurrectionem] ap. Bonau., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 1, 1, 1, resp. (1013a); Alb., *Super Sent.*, IV, 49, E, II, resp. (684b); N. Wicki, *Die Lehre*, 284-5

27 augmento] *coni.*: argumento π      29 superiores ... 30 uires] *suppl.*: om. π

in arguendo tacta: operari supponit esse, ergo quod habet perfectius esse habet perfectius operari; set anima resumpto corpore habebit perfectius esse quam nunc habeat separata, cum sit *pars*, que *semper* 45 *habet perfectius esse in suo toto* quam separata ab ipso; ergo habebit perfectius operari; set in operatione consistit beatitudo; ergo etc. Secundo sic: delectatio sequens uisionem Dei proportionatur uisioni; set delectatio augebitur resumpto corpore; ergo et uisio. Probatio minoris, quia sicut se habet tristitia ad minuendum delectationem, 50 sic delectatio ad augendum eam (sicut enim unumquodque minuitur per suum contrarium, sic augetur per suum simile); set omnis tristitia adueniens delectationi minuit eam; ergo omnis delectatio adueniens preexistenti delectationi auget ipsam; set resumpto corpore delectationi que est de uisione Dei adueniente corpore adduntur 55 complures alie de beatificatione corporis; ergo per eas augebitur precedens delectatio de uisione Dei, et sic delectatio et uisio.

[6] Set illud non uidetur ualere primo, quia *manente eodem principio formali* eque intenso *et in subiecto proximo manet eque perfecta operatio* excluso subiecto remoto, sicut uidemus quod 60 manente calore uel colore in quantitate exclusa substantia eque potest calor calefacere et color seu albedo disgregare, sicut si maneret subiectum remotum; set potentia intellectiua et lumen glorie manent eque intensa et perfecta in anima separata, sicut post resurrectionem (nullum enim istorum intendetur, sunt etiam in anima separata ut in 65 subiecto proximo); ergo manet in anima separata eque intensa et perfecta operatio.

Secundo, quia uidemus quod conditio subiecti remoti non uariat operationem nisi uarietur in aliquo immediatum principium operationis; quamuis enim natura humana sit perfectior quam natura 70 aquile, intensius tamen uidet aquila quam homo. Videmus enim quod uariato principio operationis immediato uariatur et operatio, dato quod non uarietur subiectum, et multiplicato multiplicatur

43 operari ... 47 etc] cf. Rich. de Mediau., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 7, resp. (662b-663a); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, resp. (469b); Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, sol. 1 (477b); *Quaest. disp. de an.*, 15, arg. 11 (132,105-109); supra, 2 (252)

48 delectatio ... 49 uisio] Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, resp. (469b)

58 manente ... 67 operatio] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 3<sup>o</sup> (216vb-217ra)

68 conditio ... 70 operationis] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 2 (217va)

70 natura<sup>1</sup> ... 71 homo] uide Thom., *In Phys.*, VI, 5, 795 (395a)

62 sicut] *transp.*: ante albedo disgregare  $\pi$

absque multiplicatione subiecti, propter quod tota conditio  
 75 operationis uidetur sequi conditionem principii immediati secundum  
 se; cum igitur immediata principia operationis in qua beatitudo  
 consistit, sic secundum se eque perfecta in anima separata, sicut in ea  
 erunt resumpto corpore, sequitur quod eorum operatio est eque  
 perfecta prius ut est postea.

80 [7] Ad rationes opinionis patet responsio. Quod enim primo  
 dicitur quod anima habet perfectius esse resumpto corpore quam  
 separata, dicendum quod li 'perfectius' potest esse nomen uel  
 aduerbium. Si sit nomen, tunc falsum est quod anima coniuncta  
 habet perfectius esse quam separata, quia *perfectius esse habere est*  
 85 *habere esse quod in se et in sua natura est magis perfectum; anima autem*  
*coniuncta non habet esse quod in se sit magis perfectum quam quando*  
*est separata, set habet omnino idem esse, nec intensius nec remissius; et*  
 et si haberet intensius, bene sequeretur quod intensius operaretur; set  
 non habet, ut dictum est. Si uero li 'perfectius' teneatur aduerbialiter,  
 90 *sic uerum est quod anima coniuncta habet perfectius esse, idest perfectiori*  
*modo, quam separata, quia pars perfectiori modo existit in toto quam*  
*separata ab ipso.* Et simili modo potest dici quod habet perfectius  
 operari non intensiue, quia nec sic habet perfectius esse, set  
 perfectiori modo, quia est operatio perfectioris, scilicet compositi,  
 95 quod est perfectius qualibet sui parte; set de hac perfectione non  
 querimus, set de illa que est per intensionem.

[8] Ad secundum dicendum quod delectatio de uisione Dei non  
 augebitur resumpto corpore. Et cum probatur quod immo, quia  
 omnis tristitia minuit delectationem, ergo omnis delectatio auget  
 100 eam, dicendum quod non sequitur. Causa enim quare tristitia minuit  
 delectationem non semper est contrarietas unius ad alteram, quia non  
 omnis tristitia | contrariatur delectationi, set hoc est quia omnes  
 105 *potentie anime radicanur in una essentia; propter quod quando*  
*intentio anime uehementer trahitur ad operationem unius potentie*  
*retrahitur uel minuitur ab operatione alterius. Manifestum autem est*  
 quod omnis tristitia maxime trahit ad se intensionem anime, quia  
 unumquodque naturaliter tendit ad repellendum contrarium; et ideo

*π420ra*

81 habet ... 82 separata] cf. supra, 5 (254,43-46)

82 li ... 92 ipso] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 2, ad 1 (217rb); uide etiam Iac. Met.,  
*Super Sent.*, IV, 49, 2 (113vb-114ra)

97 secundum] cf. supra, 5 (254,48-57)

in omni tristitia attrahitur intentio anime a quacumque alia operatione, propter quod minuit ipsam. Et sic est in delectatione; quia enim intentio anime intendit in id quod delectat, per 110 consequens retrahitur ab aliis operationibus, et ex hoc minuitur; et ideo delectatio minuit omnem aliam delectationem, nisi quando est de eodem obiecto et secundum eandem operationem uel quando una ordinatur ad aliam, ut in proposito.

[9] Secundus modus dicendi est quod beatitudo erit perfectior 115 resumpto corpore quam ante, non quidem intensiue, ut ponit precedens opinio, set quia magis prompte seu expedite exercebit anima suam operationem resumpto corpore quam ante. Et ratio huius opinionis est quia in anima separata uidetur esse quidam naturalis appetitus ut reuniatur corpori, et hic naturalis appetitus 120 uidetur animam impedire ne ita libere et prompte feratur in Deum tota intentione sicut resumpto corpore. Et confirmatur per AVGVSTINVM XII Super Genesim ad litteram; cum enim ibi quereretur utrum *spiritibus defunctorum sine corporibus possit summa beatitudo illa preberi*, respondet quod *non possunt sic uidere illam* 125 *incommutabilem essentiam, siue alia latentiore causa, siue ideo, quia inest naturalis appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardantur ne tota intentione pergant in summum Deum*, hoc est in Trinitatem per cognitionem et amorem.

[10] Set nec illud ualet, quia sicut statim dictum est, distractio 130 intentionis circa unum minuit operationem circa alterum; set secundum illam opinionem anima separata non ita expedite et libere fertur in Deum sicut coniuncta, propter hoc solum, quia intentio eius distrahatur ad alterum, scilicet ad administrationem corporis, ut patet plane ex uerbis AVGVSTINI per EOS allegatis; ergo propter hanc 135 distractionem remittitur eius operatio circa Deum et ita minor est eius beatitudo, quod tamen ISTI negant.

115 beatitudo ... 122 corpore] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, resp. (469b); Anon. Brug., *Super Sent.*, IV, 49, 1 (315ra)

beatitudo ... 129 amorem] cf. Iac. Met., *Super Sent.*, IV, 49, 2 (114ra)

123 cum ... 128 Deum] cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 35 (432,15-25); ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 49, 2, 4° (216vb); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, sed contra 4 (469b)

137 quod ... negant] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 4, resp. (469b)



Item anima resumpto corpore non magis expedite feretur in Deum quam ante, nisi uel quia habebit plura adiuncta uel quia non habebit  
 140 tot impedimenta: non quia [non] habebit plura adiuncta, quia corpus et uires corporee nichil conferunt ad uisionem diuine essentie, nec subiectiue nec obiectiue; potentie etiam intellectiua et uolitiua supponuntur eque perfecte. Si uero dicatur quod non habebit tot impedimenta sicut separata, non stat cum principali conclusione,  
 145 quia illud quod est impeditum numquam eque intense operatur nisi magis conetur. Si ergo anima separata habeat plura impedimenta quam coniuncta, sequitur quod non ita intense uideat Deum sicut coniuncta nisi magis conetur; fingere autem in ea maiorem conatum non est facile, ergo nullo modo stant simul quod anima coniuncta  
 150 liberius feratur in Deum quam separata et non intensius. Tenendum est ergo quod sicut anima separata eque intense fertur in Deum ut coniuncta, sic fertur eque expedite et libere.

[II] Nec ratio in oppositum cogit, quia appetitus anime separate de administrando corpus in nullo impedit uel minuit uisionem uel  
 155 fruitionem diuine essentie, quia uel ille appetitus est naturalis qui competit anime ut est forma, et talis non impedit aut distrahit cognitionem, quia nec cognitionem exigit (est enim similis appetitus in rebus cognitione carentibus), uel est appetitus sequens cognitionem, utpote quia anima separata cognoscendo suam naturam  
 160 quoad aliquid imperfectam, quia nondum beatificatam quoad uires sensitiuas, que corpus perficiunt, appetit uniri corpori ut in ipso perficiatur plenius; set nec ille appetitus minuit in aliquo aut retrahit uisionem diuine essentie nec fruitionem de uisione, quia duorum quorum ratio unius sumitur ex altero unum non est impedimentum  
 165 alterius, sicut cognitio rerum in Verbo non impedit aut distrahit cognitionem Verbi, quia Verbum est ratio cognoscendi cetera in Verbo. Similiter appetitus anime uidentis Deum de administrando corpore regulatur secundum appetitum uidendi Deum et fruendi Deo, sicut ea que | sunt ad finem rationem et regulam sumunt a fine. *π420rb*  
 170 Vnde anima non appetit reuniri corpori nisi sicut placere uidet diuine uoluntati et diuine bonitati quam intuetur et qua fruitur; propter quod unum non est distractiuum uel impedimentum alterius. AVGVSTINVS autem in auctoritate allegata magis loquitur inquirendo

140 non<sup>2</sup>] *secl.: hab. π*    142. potentie] *coni.: potentia π*    146 habeat] *coni.: habeant π*  
 154 administrando] *coni.: amando π*    169 que] *coni.: qui π*

quam asserendo, ut patet ex uerbis suis; dicit enim: *siue ideo siue ex alia latentiore causa* etc. 175

[12] Tertius modus est quod anima resumpto corpore non intensius uidit Deum nec expeditius quam separata. Et licet hoc satis pateat ex reprobatione duarum opinionum precedentium, tamen adhuc potest alia ratio adduci que est communis et est satis efficax, que est talis: si anime beatorum resumptis corporibus intensius aut liberius uiderent Deum quam ante, hoc esset uel ex parte potentie cognitiue uel ex parte luminis glorie ipsam eleuantis uel ex parte obiecti representatis uel ex parte alicuius impedimenti in anima separata existentis: non ex parte potentie cognoscentis, quia illa remanet penitus eadem non intensa neque remissa, neque ex parte luminis propter eandem causam neque ex parte obiecti, quia tunc non representabitur aliter, nec ex parte alicuius impedimenti, quia nullum est in anima separata plus quam in coniuncta, ut deductum est; ergo anima resumpto corpore non uidebit Deum expeditius uel intensius quam ante. 180 185

[13] Ad rationes in oppositum patet responsio. Solum enim probant quod beatitudo augebitur et resumptis corporibus extensiuę et non intensiuę; miseria enim reproborum, de qua procedit primum argumentum, non erit intensior resumptis corporibus quantum ad dolorem quem habent de carentia uisionis diuine, qui dolor correspondet uisioni et fruitioni diuine essentie, set erit in pluribus, quia torquebuntur non solum in anima, set etiam in corpore; et proportionabiliter augebitur beatitudo in electis. Miseria uero demonum non augebitur post iudicium quantum ad dolorem quem habent de omissione uisionis diuine essentie, qui dolor correspondet premio essentiali bonorum angelorum, set augebitur accidentaliter in quibusdam accidentibus, sicut beatitudo bonorum augebitur accidentaliter post iudicium propter meritum accidentale quod habent procurando hominum salutem, sicut et simile demeritum habent demones procurando hominum dampnationem. 190 195 200

[14] Sub eodem sensu procedit secundum argumentum, quia natura humana resumpto corpore erit perfectior eo quod consistet in omnibus suis partibus et in omnibus glorificabitur; set non erit perfectior quantum ad animam intrinsece nec secundum eam 205

174 siue! ... 175 causa] cf. Aug., *De Gen. ad litt.*, XII, 35 (432,22-23)

174 ideo] *coni.*: ex deo π

glorificabitur magis intensiue. Et sic patet responsio ad obiecta in  
210 oppositum.

## QVESTIO OCTAVA

VTRVM OMNES HOMINES APPETANT SVMME ET DE NECESSITATE  
BEATITVDINEM

[1] Octauo queritur utrum omnes homines appetant summe et de  
5 necessitate beatitudinem. Et arguitur quod non, quia nullus appetit  
illud quod reputat sibi impossibile; set reprobi sciunt beatitudinem  
sibi impossibilem; ergo eam non appetunt.

[2] Item *nullus appetit quod ignorat*, quia appetitus sequitur  
cognitionem; *set multi ignorant* quid sit beatitudo et in quo consistit,  
10 unde et circa hoc plures errauerunt, ut dicitur I E t h i c o r u m ; *ergo  
non omnes appetunt beatitudinem.*

[3] Item meritum non consistit in actu necessario; set aliqui  
merentur appetendo beatitudinem; ergo eam non appetunt saltem  
necessario.

15 [4] In contrarium arguitur per illud quod dicit AVGVSTINVS XIII  
De Trinitate cap. 8 quod *omnes beatitudinem appetunt, ut ueritas  
clamat*; et idem dicit ANSELMVS De casu dyaboli cap. 4; set  
illud quod omnes appetunt uidetur necessario appeti, nam  
contingentia insunt uni et non alteri; ergo beatitudo necessario  
20 appetitur.

5 nullus... 7 appetunt] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 3, 1, arg. 3 (471a); Duns Scot.,  
*Ord.*, IV, 49, 9, arg. 2 (316b-317a)

8 nullus... 11 beatitudinem] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 2, arg. 1 (468a);  
Thom., *Super Sent.*, IV, 49, 1, 3, 1, arg. 1 (470b-471a); cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 9, arg. 1  
(316a)

9 multi... consistit] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 2, 1095a20-28

12 meritum... 14 necessario] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 9, ad princ. 1 (317a)

15 In... 20 appetitur] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, sed contra 1 (317a)

16 omnes... appetunt] cf. Arist., *Pol.*, VII, 13, 1331b39-40

omnes... 17 clamat] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 8, 11 (397.41-398.43)

17 idem... Anselmus] cf. Ans., *De casu diab.*, 4 (241.13-14); 12 (255.2-4)

2 summe] *coni.*: summa π

[5] Item AVGVSTINVS in ENCHIRIDION dicit quod miseri esse non solum nolimus, set numquam uelle possumus; ergo ex opposito sic uolumus esse beati quod necessario hoc uolumus. Et probatur  
 π420va consequentia, quia sicut se habet nolle ad miseriam, | sic uelle ad  
 beatitudinem; et iterum omne nolle causatur ex aliquo uelle, nec 25  
 aliquid uelle est ex quo causatur nolle esse miserum nisi uelle esse  
 beatum.

[6] Responsio. Circa questionem istam primo ponetur quedam distinctio appetitus et secundo iuxta eam respondebitur ad questionem. 30

[7] Quantum ad primum sciendum est quod quantum ad propositum pertinet duplex est appetitus, scilicet naturalis et electiuus, accipiendo appetitum electiuum non solum pro appetitu consequente cognitionem eorum que sunt ad finem, set pro omni appetitu consequente cognitionem intellectiuam, que sola fertur in 35  
 beatitudinem. Et differunt isti duo appetitus quantum ad actus suos, quia actus appetitus naturalis non est aliquis actus elicitus, set est sola naturalis inclinatio ad illud quod appetitur, actus uero appetitus electiui, ut nunc loquimur, non est sola naturalis inclinatio, set est quidam actus elicitus qui dicitur uelle. Quod autem actus appetitus 40  
 naturalis non sit aliquis actus elicitus, probatur sic, quia actus appetitus naturalis semper est stante natura cuius est appetitus; set nos non experimur quod aliquis actus elicitus sit semper in nobis, maxime in intellectu et uoluntate, de quorum appetitu respectu beatitudinis agitur; ergo talis actus non est elicitus. Et confirmatur 45  
 per illud quod dicit PHILOSOPHVS II Posteriorum contra Platonem quod inconueniens est in nobis esse nobilissimos habitus et quod lateant nos; et fortiori ratione est inconueniens nos habere nobiles actus qui lateant nos.

Et iterum appetitus naturalis communis est omnibus 50  
 cognoscentibus et non cognoscentibus, et non solum actui, set potentie, puta materie; set constat quod actus appetitus naturalis in non cognoscentibus non est aliquis actus elicitus, set est sola naturalis inclinatio rei, sicut appetitus materie est eius inclinatio ad formam,

21 miseri ... 22 possumus] cf. Aug., *Enchir.*, XXVIII, 105 (106,19-20)

46 dicit ... 48 nos<sup>1</sup>] Thom., *Super Sent.*, I, 17, 1, 4 arg. 2; cf. Arist., *Anal. Post.*, II, 20, 99b22-26; Thom., *Exp. Post.*, II, 20 (243,30-40)

55 secundum quod PHILOSOPHVS dicit I P H I S I C O R U M quod *materia*  
*appetit formam* et actus appetitus grauis est inclinari deorsum (moueri  
 enim deorsum est actus generantis et non ipsius grauis, ut determinat  
 PHILOSOPHVS VIII P H I S I C O R U M ); ergo similiter actus appetitus  
 naturalis in quacumque re non est aliquid elicatum, set est pura  
 60 inclinatio rei naturalis ad suam perfectionem.

[8] Hoc supposito dicendum est ad questionem quod, si loquamur  
 de appetitu naturali, sic omnes homines de necessitate et summe  
 appetunt beatitudinem. Quod de necessitate appetant, probatur sic:  
 quolibet res imperfecta nata perfici per aliam naturali appetitu ex  
 65 necessitate appetit illam per quam formaliter perficitur. Et hoc statim  
 patet, quia naturali appetitu quodlibet imperfectum appetit suam  
 perfectionem, cum talis appetitus non sit quam naturalis inclinatio  
 imperfecti ad suam perfectionem; est etiam hec inclinatio necessaria,  
 cum non sequitur cognitionem, sine qua non est libertas; set natura  
 70 humana quantum est de se est imperfecta, summa autem perfectio ei  
 possibilis est beatitudo; ergo omnes homines de necessitate appetunt  
 beatitudinem. Quod autem summe appetant eam tali appetitu,  
 scilicet naturali, probatur sic: illud in cuius potestate non est agere, in  
 eius potestate non est remisse agere, set sicut necessario agit, ita agit  
 75 necessario toto conatu; set natura humana et quecumque alia  
 quantum ad appetitum naturalem non habet in potestate sua  
 appetere uel non appetere, set necessario appetit quidquid appetit;  
 ergo non est in potestate eius remisse appetere, set necessario appetit  
 toto conatu, hoc autem est summe appetere, quare etc. Iste autem  
 80 appetitus non est appetitus uoluntatis, set intellectus, quia, sicut  
 probatum fuit, beatitudo est actus et perfectio intellectus; appetitu  
 autem naturali unumquodque appetit suam perfectionem et non  
 aliud; et ideo appetitu naturali intellectus appetit beatitudinem et  
 non uoluntas nisi beatitudinem accidentalem, que potest esse  
 85 perfectio eius.

[9] Vtrum autem omnes homines appetant ex necessitate  
 beatitudinem actu elicitu qui est uelle sequens cognitionem, duplex

55 materia ... 56 formam] *Auct. Ar.*, 2, 32 (142,51); cf. *Arist., Phys.*, I, 9, 192a22-23

56 moueri ... 57 grauis] cf. *Thom., S.c.g.*, II, 47, 1239; III, 88; *S.th.*, I, 105, 4, ad 1; *De uerit.*, 22, 1, resp. (613,167); *Arist., Phys.*, VIII, 4, 256a1

81 beatitudo ... intellectus] cf. supra, 49, 4, 14-15 (230-231)

84 beatitudinem] *coni.*: habitudinem π

est modus dicendi. Vnus est quod uoluntas non uult <ex> necessitate  
 beatitudinem sibi propositam, siue in uniuersali siue in particulari,  
 set libere. Et illud probatur tripliciter. Primo sic: nulla necessitas 90  
 potest esse in actione potentie superioris a necessitate actionis  
 potentie inferioris, quia hoc includit contradictionem; quod enim  
 π420vb necessitatur | ab alio est inferius eo ut sic, et ideo si superior potentia  
 potest necessitari ab inferiori, iam non esset superior, set inferior; set  
 uoluntas inter omnes potentias est superior; ergo non potest 95  
 necessitari in actione sua ex actione cuiuscumque alterius potentie. Si  
 ergo in ea sit necessitas, oportet quod illam habeat ex se. Tunc  
 arguitur sic: potentia superior que habet necessitatem respectu sue  
 actionis eadem necessitate mouet potentias sibi subiectas; set uoluntas  
 potest mouere omnes alias potentias; ergo si ipsa necessitatur ad 100  
 aliquid uolendum, oportet quod necessario moueat alias potentias ad  
 ostendendum sibi suum uolitum. Hoc autem est falsum, quia si  
 potentie inferiores necessitarentur ad ostendendum uoluntati suum  
 obiectum respectu cuius necessitatur ipsa ad uolendum, sequeretur  
 quod illud obiectum semper esset ostensum et semper uolitum, quod 105  
 est manifeste falsum. Secundo, quia si nullus habitus acquisitus,  
 quantumcumque sit intensus, potest tantum inclinare uoluntatem  
 quantum appetitus naturalis; set si uoluntas necessitaretur ad aliquid  
 uolendum, tunc tantum inclinaretur in obiectum suum per aliquem  
 habitum acquisitum quantum inclinatur per appetitum naturalem, 110  
 quia utroque modo inclinaretur ex necessitate; ergo uoluntas nullo  
 actu elicito etiam concurrente quocumque habitu acquisito  
 quantumcumque intenso necessitatur ad aliquid uolendum, set libere  
 uult quidquid uult, etiam beatitudinem tam in uniuersali quam in  
 particulari. Tertio confirmatur hoc per auctoritatem beati AVGVSTINI 115  
 in ENCHIRIDION 86 cap., ubi dicit sic: *Neque enim aut uoluntas  
 non est aut libera dicenda non est qua beati esse sic uolumus ut esse  
 miseri non solum nolumus, set nequaquam prorsus uelle possumus.* Ecce  
 quod liberam dicit uoluntatem in uolendo beatitudinem.

90 nulla ... 106 falsum] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (e), resp. (331a-b)

106 nullus ... 115 particulari] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (f) (331b-332a)

116 Neque ... 118 possumus] cf. Aug., *Enchir.*, XXVIII, 105 (106,17-20); ap. Duns Scot.,  
*Ord.*, IV, 49, 10, (g) (332a)

120 ISTE autem dicunt quod si uoluntas habeat aliquem actum respectu  
 beatitudinis, ille actus erit uelle, et respectu miserie erit nolle; set non  
 est necessarium secundum EOS quod respectu beatitudinis uel miserie  
 propositae uoluntas habeat aliquem actum positiuum, quia proposito  
 sibi quocumque obiecto bono uel malo potest suspendere omnem  
 125 actum uoluntatis.

[10] Et per hoc respondent ad rationes in oppositum dicentes quod  
 auctoritates beati AVGVSTINI XIII De Trinitate et ANSELMI De  
 casu dyaboli intelliguntur de appetitu naturali quo quelibet  
 creatura rationalis necessario appetit beatitudinem, non autem de  
 130 actu elicito.

[11] Ad illud quod postea subiungitur de AVGVSTINO in  
 Enchiridion cap. preallegato, dicunt quod uerum est quod nos  
 non possumus uelle miseriam; set non sequitur 'ergo de necessitate  
 nolimus miseriam', <nam a negatiua ad contrariam non tenet  
 135 consequentia, quia possum nec de necessitate uelle beatitudinem nec  
 de necessitate nolle miseriam>, quia possum circa utramque  
 suspendere omnem actionem tam nolendi quam uolendi; et ideo  
 neuter est necessarius simpliciter et absolute, set sub conditione,  
 scilicet si habeamus aliquem actum positiuum circa aliquod eorum,  
 140 quia respectu beatitudinis non possumus habere positiuum actum  
 nisi illum qui est uelle, et respectu miserie nisi nolle.

[12] Quidquid de conclusione sit, rationes tamen non ualent.  
 Quod patet discurrendo per singulas. Cum enim primo dicitur quod  
 potentia superior non necessatur ab inferiori, potest dici quod  
 145 immo, etsi non causaliter, tamen consecutiue, sicut intellectus  
 necessario apprehendit primo quod primo sibi offertur a sensitiuis  
 uiribus, et tamen intellectus est superior potentia quam sit sensus.

Item falsum est quod postea assumitur, scilicet quod uoluntas est  
 superior intellectu; hoc enim non est uerum, immo potius  
 150 contrarium; non oportet quod uoluntas feratur in quodcumque  
 fertur secundum naturam et dictamen intellectus, cum ipsa non

120 si ... 125 uoluntatis] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (h), 9, resp. (332b-333a)

128 intelliguntur ... 130 elicito] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (g), 7 (332a); (j), 11 (378b);  
 (m), 14 (381a)

132 uerum ... 141 nolle] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (h), 8, resp. (332b)

144 potentia ... inferiori] cf. supra, 9 (262,90-94)

134 nam ... 136 miseriam] *suppl.: om. π*

possit ferri nisi in cognitum. Ex quo sequitur quod propositio assumpta non est uera, hec scilicet quod uoluntas ea necessitate mouet potentias qua necessitate mouetur in suum obiectum; hoc enim non oportet, set mouet eas solum eo modo quo intellectus 155 iudicat eas esse mouendas. Et ideo quantumcumque uoluntas feratur necessario in suum obiectum, tamen non oportet quod uoluntas moueat alias potentias necessario ad semper sibi ostendendum suum obiectum, nisi intellectus iudicaret quod tale obiectum esset sibi necessario ostendendum, quod non oportet. 160

[13] Ad secundum, cum dicitur quod nullus habitus acquisitus potest tantum inclinare uoluntatem ad uolendum | aliquid quantum appetitus naturalis, dicendum quod non est ad propositum, quia nos non loquimur de inclinatione uoluntatis in suum obiectum per aliquem habitum acquisitum, set per ipsammet naturam potentie que 165 habet necessariam habitudinem ad aliquod obiectum ut in ipsum feratur actu elicito. Et illa inclinatio potest esse ita efficax supposita presentia talis obiecti sicut inclinatio talis appetitus naturalis. Et iterum si *intellectus qui dicitur habitus principiorum* est aliquid acquisitum, constat quod inclinat eque efficaciter potentiam 170 intellectiuam ad assentiendum necessario primis principiis sibi propositis, sicut appetitus naturalis ipsius intellectus inclinat ipsum ad intelligere. Et eodem modo potest esse in uoluntate, si habeat aliquem talem habitum.

[14] Ad tertium de auctoritate AVGVSTINI potest dici quod loquitur 175 de libertate a coactione, que coactio numquam est in uoluntate, non autem de libertate a necessitate immutabilitatis que est in uoluntate respectu multorum uel saltem aliquorum, ut infra patebit.

[15] Responsiones etiam alique ad argumenta non ualent. Cum enim dicunt primo quod auctoritates beati AVGVSTINI et ANSELMI 180 intelliguntur de appetitu naturali, non autem de actu elicito, patet expresse quod non est uerum. Dicit enim AVGVSTINVS XIII De ciuitate Dei, cap. 3 in fine, quod ille minus qui promisit se

161 nullus ... 163 naturalis] cf. supra, 9 (262,106-108)

169 intellectus ... 170 acquisitum] cf. Thom., *S.th.*, I-II, 57, 2, resp.; Arist. *Eth. Nic.*, VI, 6, 1141a3-9

175 de ... Augustini] cf. supra, 9 (262,115-119)

183 ciuitate Dei] *coni.*: trinitate π



dicturum quid omnes uellent et dixit: *Vile uultis emere et care uendere.*

- 185 *Si, inquam, dixisset 'beati omnes esse uultis, miseri esse non uultis', dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret uoluntate; quidquid enim aliud quisquam latenter uelit ab hac uoluntate tamen non recedit;* constat quod loquitur de uoluntate uel actu uoluntatis elicito, de quo minus dixerat: *uile uultis emere et care uendere*, et non solum loquitur  
 190 de appetitu naturali uoluntatis. Item in 4 cap. eiusdem lib. inquit, cum omnes uelint beatitudinem, an omnes eam nouerint. Constat autem quod uelle sequens cognitionem est actus elicitus. Item in 5 cap. dicit quod *omnes homines beati esse uolunt idque unum ardentissimo amore appetunt*, et subiungit quod nullus *potest amare*  
 195 *quod omnino nescit*; et ita loquitur de amore sequente cognitionem.

ANSELMVS etiam De casu dyaboli cap. 13 circa finem dicit: *Omnes quippe uolunt beati esse*, et loquitur de beatitudine absolute que includit commodum, de qua dicit quod *iustitiam non omnes uolunt, commodum uero non solum omnis natura rationalis, set etiam*  
 200 *omne quod sentire potest uult, nam nullus uult nisi quod aliquo modo putat sibi commodum*; et sic loquitur de uelle quod sequitur cognitionem, quod uelle est actus elicitus. Et sic expositio qua exponunt dicta AVGVSTINI et ANSELMI non est uera, ut clarissime patet intuenti dicta EORVM in predictis locis.

- 205 [16] Dicendum ergo aliter quod uoluntas est duplex, increata scilicet et creata. Creata uero potest accipi secundum duplicem statum, scilicet secundum statum patrie et secundum statum uie. Si loquamur de uoluntate increata seu diuina, patet quod ipsa uult necessario suam beatitudinem; si enim posset eam non uelle, Deus  
 210 posset non esse beatus perfecte (delectatio enim perficit beatitudinem sicut pulcritudo iuuentutem, ut dicitur X E T H I C O R U M); si enim Deus posset non uelle suam beatitudinem, posset non delectari de ea; quare etc. Item si Deus posset non amare suam beatitudinem, posset

184 Vile ... uendere] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 3, 6 (387,11)

185 Si ... 187 recedit] Aug., *De Trin.*, XIII, 3, 6 (389,52-56)

191 omnes! ... nouerint] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 4, 7 (389-391)

193 omnes ... 195 nescit] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 5, 8 (392,29-32)

197 Omnes ... esse] cf. Ans., *De casu diab.*, 12 (255,4)

198 iustitiam ... 201 commodum] Ans., *De casu diab.*, 12 (255,8-12)

210 delectatio ... 211 iuuentutem] cf. Arist., *Eth. Nic.*, X, 3, 1174b31-34; cf. Thom., *S.th.*, I-II, 4, 2, ad 1

non amare se ipsum, quia est sua beatitudo, quod est inconueniens;  
quare etc. 215

Si autem loquimur de uoluntate creata pro statu patrie, adhuc talis  
uoluntas necessario uult beatitudinem. Cuius ratio est quia si talis  
posset non uelle beatitudinem, posset non delectari, cum delectatio  
sit actus uoluntatis et de bono uolito; illud autem non est possibile  
secundum naturam, scilicet quod uidens Deum, sicut beati uident, 220  
non delectetur in Deo uiso; quamquam forte Deus de potentia  
absoluta posset a tali uisione delectationem suspendere, hoc tamen  
non potest facere creatura.

Item beatus AVGVSTINVS probat XIII De Trinitate cap. 8  
quod non est beatitudo quam aliquis potest amittere uolens aut 225  
nolens uel neque uolens neque nolens; set si beatus non uellet  
necessario suam beatitudinem, set posset eam nolle aut suspendere  
suum uelle, sequeretur quod posset amitti a uolente uel a non  
uolente; ergo impossibile est quod beatitudo non sit necessario uolita  
a beato. 230

[17] Si uero loquamur de uoluntate pro statu uie, sic  
π421rb distinguendum | est de beatitudine, quia beatitudo potest accipi uel  
in speciali pro eo in quo uere consistit, sicut est uisio diuina, uel  
potest accipi secundum communem et generalem rationem  
beatitudinis, que est bene se habere et malo carere, quam ANSELMVS 235  
commodum uocat. Si beatitudo accipiatur in speciali pro eo in quo  
uere consistit, sic uoluntas uiatoris non necessario uult beatitudinem,  
set potest non uelle negatiue et etiam nolle.

Quod posset non uelle negatiue, patet, quia quod est omnino  
incognitum est omnino non uolatum secundum AVGVSTINVM ubi 240  
supra; set beatitudo secundum illud in quo consistit uere est multis  
incognita omnino et ualde paucis nota; ergo est a multis non uolita.

Quod autem possit esse nolita, patet sic: omne illud cuius  
assecutioni est coniuncta difficultas et multa que habent rationem  
mali potest esse nolatum. Et ratio est quia sicut uoluntas fertur in 245  
bonum per uolitionem, ita nata est ferri in malum per nolitionem;  
propter quod ubi malum est coniunctum bono, uoluntas potest ferri

225 non ... 226 nolens<sup>2</sup>] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 8, 11 (396-398)

235 quam ... 236 uocat] cf. Ans., *De casu diab.*, 4 (241,13-14); 12 (255,7-12); *De concordia*, I,  
7 (258,22-23)

239 quod ... 240 uolatum] cf. Aug., *De Trin.*, XIII, 4, 7 (389-391); supra, 15 (265,190-195)

in illud uolendo uel non uolendo; set assecutioni beatitudinis est annexa multa difficultas et multa mala pene, que horrent  
 250 communiter homines; ergo in beatitudinem, quamuis cognitam secundum propriam rationem, potest ferri uoluntas uiatoris uolendo eam uel nolendo, non quidem propter ipsam, set propter mala pene coniuncta.

[18] Si autem accipiatur beatitudo secundum generalem rationem  
 255 beatitudinis, sic distinguendum est de appetitu, quia quidam est actus appetitus efficax qui est de re habita, ut delectatio uel est motus ad rem habendam, ut desiderium efficaciter inclinans ad prosecutionem rei, et tali appetitu non necessario uolumus beatitudinem propositam solum secundum communem rationem  
 260 beatitudinis, quia tam delectatio quam desiderium efficacia sunt respectu boni propositi in particulari de quo delectamur, si sit habitum, et in quod tendimus, si sit non habitum; habitio enim rei uel prosecutio ad eam respicit singularia; alius est actus appetitus seu uoluntatis qui non est uelle efficax, set uelle conditionatum seu  
 265 quedam uelleitas, quo dicimur uelle etiam ea que quandoque sunt nobis impossibilia; et hoc modo omnes uolunt beatitudinem secundum communem rationem beatitudinis. Proposito enim cuicumque quod bonum est bene habere et malo carere, nullus est qui quadam uelleitate non tendat in hoc, set quia non efficax est, ideo  
 270 non euidenter experimur, quin potius uidetur esse uelle magis habituale quam actuale; et forte est hoc in quo concordatur cum prima opinione quoad illum articulum. Et hec uidetur intentio beati AVGVSTINI XIII De ciuitate Dei cap. 8, qui probat quod sicut *omnes homines uolunt esse beati, ita immortales esse uolunt*. Constat  
 275 autem quod illud uelle non est efficax, set solum quedam uelleitas, quia sicut nullus uellet bono carere, set potius semper bonum habere, ita uellet semper esse, quia sine esse non posset bene habere.

[19] Ad argumenta in oppositum. Ad primum de dampnatis dicendum quod, cum natura remaneat in eis integra, ipsi appetitu  
 280 naturali appetunt beatitudinem. Et si dicatur quod appetitus naturalis non potest esse frustra, dicendum quod uerum est in tota specie, nichil tamen prohibet quod in aliquibus indiuiduis speciei frustretur appetitus naturalis. De appetitu autem qui est actus

274 omnes ... uolunt<sup>2</sup>] Aug., *De Trin.*, XIII, 8, II (396,1-2)

279 cum ... 290 habere] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (k) (379a-b)

elicitus, dicendum quod dampnati non appetunt beatitudinem in speciali appetitu efficaci laborando uel conando ad acquirendum 285 beatitudinem, cum hoc sciant sibi esse impossibile, set appetitu conditionato appetunt eam in quantum habet rationem commodi. Vellent enim, si esset eis possibile, eam habere quatinus est quoddam commodum, et simili modo appetunt beatitudinem in generali, scilicet bene habere. 290

[20] Ad secundum dicendum quod multi ignorant quid sit beatitudo in speciali et ideo non appetitur a multis ut sic; set rationem generalem beatitudinis omnes nouerunt et eam appetunt modo quo dictum est.

[21] Ad tertium patet per idem, quod beatitudinem impertiri 295 quantum ad id in quo uere consistit non appetimus naturaliter, set libere, et ideo in eius appetitu potest esse meritum uel demeritum.

[22] Auctoritates autem AVGVSTINI adiecte pro altera parte et <sup>π421va</sup> auctoritates ANSELMI intelligende sunt de | beatitudine in generali et de appetitu qui est magis uelleitas quam uelle. 300

291 multi ... 292 speciali] cf. Arist., *Eth. Nic.*, I, 2, 1095a20

multi ... 294 est] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (k), 12-13 (379b-380a)

295 beatitudinem ... 297 demeritum] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (l) (380a-b)

298 Auctoritates ... 300 uelle] cf. Duns Scot., *Ord.*, IV, 49, 10, (m) (380b-381a)

SENTENTIA HVIVS DISTINCTIONIS L IN GENERALI ET SPECIALI

[1] *Hic oritur questio.* Determinato de gloria sanctorum hic determinat de pena malorum. Et primo quantum ad effectum; secundo quantum ad cognitionem ibi: *Hic queri potest*; tertio  
5 determinata recapitulat ibi: *<Hec> de pedibus.* Prima habet duas: primo enim mouet dubitationem intentam; secundo soluit ibi: *Quidam autumant.* Secunda pars principalis in qua determinat de pena damnatorum quantum ad cognitionem habet tres: primo inquit quo modo se habeant quantum ad cognitionem Dei,  
10 secundo quomodo ad cognitionem eorum que sunt in mundo, tertio quomodo se habeant quantum ad cognitionem sanctorum; prima ibi: *Hic queri potest*, secunda ibi: *Preterea queri solet*, tertia ibi: *Queri etiam solet.*

[2] Proponit ergo primo MAGISTER questionem, scilicet utrum  
15 damnatis non erit facultas peccandi cum continue malam habeant uoluntatem. Et respondet secundum aliquos quod illa mala uoluntas non erit culpa, set pena, secundum alios culpa erit, set secundum eam nichil demerebuntur. Magister tamen primam opinionem approbat, quia sicut sanctis cedit ad gloriam quod non potuerunt  
20 habere malam uoluntatem, ita malis erit in penam quod bonam uoluntatem habere non poterunt. Deinde querit quare mali in tenebris exterioribus dicuntur esse. Et respondet quod hoc ideo erit, quia omnino penitus exclusi erunt a luce Dei, tum propter perfectam malitiam uoluntatis, tum propter obliuionem Dei quam in eis  
25 causabit grauitas tormentorum. Deinde querit utrum dampnati cognoscant ea que in mundo geruntur. Et respondet quod non, habent tamen aliquam curam de suis notis, quia non uident eos in tormentis secum nec in gloria cum beatis. Ibi etiam incidenter subdit quod anime separate a corporibus in locis corporalibus possunt  
30 detineri a pena, et ponit exemplum de diuite dampnato, licet quidam aliter intelligant. Deinde subdit quod boni uidebunt malos ante iudicium, et econuerso mali bonos. Querit etiam quomodo boni possunt uidere malos sine compassione. Et respondet quod ratio est, quia uita eorum perfecta et conformis erit diuine iustitie. Ultimo

querit utrum pena dampnatorum cedat in gaudium bonorum. 35  
Respondet quod sic, in quantum uident se ab illis malis liberatos, et in fine recapitulat que dixerat, et in hoc terminatur.

### QUESTIO PRIMA

#### VTRVM IN INFERNO SIT TANTVM PENA IGNIS

[1] Circa distinctionem istam primo queritur utrum in inferno sit 40  
tantum pena ignis. Et arguitur quod sic, quia *uarietas penarum prestat refrigerium*, ut cum aliquis multum estuans transfertur ad locum frigidum; set in inferno non erit aliquod refrigerium; ergo non erit ibi uarietas penarum.

[2] Item purgatorium dicitur quedam pars inferni; *set in purgatorio* 45  
*non est nisi ignis*; ergo nec in inferno. Minor probatur per APOSTOLVM I Co r. 3, qui dicit omnia peccata uenialia per ignem purgari, *uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*.

[3] In contrarium est quod dicitur Iob 33: *Transibunt ab aquis* 50  
*nium ad calorem nimium*.

[4] Item Is. ult. dicit de dampnatis quod *uermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur*; igitur in inferno non solum erit pena ignis, set et uermis.

[5] Responso. Circa questionem istam sunt duo uidenda principaliter: primum est de pluralitate penarum inferni; secundum 55  
est de comparatione earum ad inuicem secundum grauitatem uel acerbiteratem.

[6] Quantum ad primum sciendum est quod questio potest dupliciter intelligi: uno modo utrum in inferno preter penam ignis sit absolute alia pena corporalis uel spiritualis; alio modo potest intelligi 60  
specialiter de pena corporali, an aliqua talis sit in inferno preter

41 sic ... 43 ibi] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 50, 5, arg. 3 (242ra); Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, 1, arg. 3 (568b)

45 purgatorium ... 48 probabit] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, 1, arg. 2 (568a-b)

48 uniuscuiusque ... probabit] I Co r., 3,13

49 Iob ... 50 ad] cf. Iob, 24,19; ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 50, 5, sed contra (242ra); Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, 1, sed contra 2 (568a-b)

51 uermis ... 52 extinguetur] Is., 66,24

penam ignis. Intelligendo primo modo questionem dicendum est |  $\pi$ 421vb  
 quod preter penam ignis et quamcumque penam corporalem est in  
 inferno quedam pena spiritualis, que dicitur pena uermis. Quod  
 65 patet sic: pena debet correspondere culpe; set culpa consistit non  
 solum in actu exteriori uel in delectatione sensuali, set potius et  
 principalius consistit in interiore actu uoluntatis, ut patuit in II lib.;  
 ergo pena dampnatorum debet consistere non solum in afflictione  
 corporali et sensibili, set etiam in afflictione spirituali seu mentali.  
 70 Qualis autem sit talis pena, aduertendum est quod pena seu punitio  
 est perceptibilis priuatio boni conuenientis; nam si quis non  
 perciperet priuationem boni conuenientis sibi, non esset proprie  
 punitus; bonum autem conueniens proprie creature rationali et  
 intellectuali est duplex in genere, scilicet bonum honestum et bonum  
 75 commodi. Bonum enim honestum intellectualis creature est uirtus  
 seu gratia; bonum autem commodi est beatitudo, secundum  
 ANSELMVM qui dicit De casu dyaboli 4 cap. quod omnis  
*beatitudo consistit ex commodis*. Vtroque autem bono priuatur homo  
 propter peccatum mortale, in presenti quidem priuatur bono  
 80 honesto, quod est gratia, quia gratia non stat cum peccato mortali, in  
 futuro quidem priuabitur bono commodi, quod est beatitudo, que  
 non datur nisi habenti gratiam secundum illud Rom. 6: *Gratia Dei*  
*uita eterna*. Priuatio autem primi boni non est perceptibilis ab eo cui  
 abstrahitur nisi fide, et ideo non habet proprie rationem punitio-  
 85 set priuatio secundi boni, scilicet beatitudinis, est maxime  
 perceptibilis a dampnatis, et ex hoc sequitur in eis maxima tristitia,  
 quia sicut maxime appetunt beatitudinem, ita maxime dolent de  
 carentia eius, ut est bonum commodi, et quia non priuantur bono  
 diuino nisi propter culpam suam, ideo ualde dolent de culpa sua, non  
 90 quidem ut fuit actus deordinatus et contra preceptum Dei, set ut est  
 impeditiua sui commodi. Et hec tristitia de carentia uisionis diuine  
 propter culpam commissam *uocatur uermis conscientie inquantum*  
*oritur ex putrefactione peccati et animam affligit, sicut uermis corporalis*  
*oritur ex putrefactione carnis et carnem affligit*; unde uermis

65 culpa ... 67 uoluntatis] cf. supra, II, 42, I (200va-201ra)

78 beatitudo ... commodis] cf. Ans., *De casu diab.*, 4 (241,13-14)

82 Gratia ... 83 eterna] *Rom.*, 6,23

92 uocatur ... 95 spiritualis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, sol. 2 (570a)

91 impeditiua] *coni.*: impeditiue  $\pi$

dampnatorum non est uermis corporalis, set spiritualis, ut patet per 95  
 AVGVSTINVM XX De ciuitate, qui dicit sic: *In pena malorum  
 inextinguibilis ignis et uiuacissimus uermis ab aliis aliter atque aliter est  
 expositus; alii utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam  
 retulerunt; alii proprie ad corpus ignem, tropice autem ad animam  
 uermem, quod est credibilis.* 100

[7] Intelligendo autem secundo modo questionem dicendum est  
 quod preter penam ignis erunt in inferno alie pene corporales. Quod  
 patet sic: sicut se habet gaudium ad bonos, sic pena et miseria ad  
 dampnatos; set *omnis creatura erit beatis materia gaudii*; ergo omnis  
 creatura erit dampnatis materia pene et afflictionis et non solum 105  
 materia, set causa aliquo modo effectiua, cui concordat illud Sap. 5:  
*Pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Pene autem ille corporales  
 erunt in duplici genere, quia affligentur ab extrinseco et ab intrinseco.  
 Ab extrinseco erit quadruplex pena, scilicet ignis, aque, aeris et terre;  
 de primis duabus dicitur in Iob, ut allegatum est in arguendo; de 110  
 tertia in euangelio ubi precipiuntur proici in tenebras exteriores;  
 tenebra autem est passio aeris; hee autem non sunt intelligende per  
 carentiam omnimodam luminis, set per carentiam, ut uisio eius est  
 delectabilis; unde tales tenebre erunt in inferno quia ibi nichil  
 perspicue uidebitur, set solummodo uidebuntur ibi sub quadam 115  
 tenebrositate illa que afflictionem cordi possunt ingerere; unde  
 dampnati uidebunt penas suas et illos quos secum per malum  
 exemplum traxerunt de mundo, quod totum cedit eis ad augmentum  
 supplicii; penam etiam habebunt ex elemento terre ratione situs ubi  
 infernus collocatus est, scilicet circa centrum terre, ubi est locus 120  
 infimus et uilissimus. Sufficientia autem illarum penarum potest  
 haberi sic: omnis creatura corporalis erit dampnatis ad penam, ut  
 dictum est; set post resurrectionem, ut dictum est, non remanebunt  
 creature corporales que possent hominem contingere et ipsum  
 affligere nisi predicta quatuor elementa; ergo solum ab eis patientur 125

96 In ... 100 credibilis] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XX, 22 (741,26-30)

104 set ... 107 insensatos] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, sol. I (569b)

107 Pugnabit ... insensatos] *Sap.*, 5,12

110 de<sup>1</sup> ... duabus] cf. supra, 3 (270)

111 precipiuntur ... exteriores] cf. *Matth.*, 8,12; 22,13; 25,30

122 omnis ... penam] cf. supra (272,104-105)

98 utrumque<sup>1</sup>] utrique π      108 affligentur] *coni.*: affligent π      115 uidebuntur] *coni.*:  
 uidebunt π



homines; patientur autem secundum predictas penas; ergo etc. Minor declaratur, quia cum post resurrectionem cesset generatio et corruptio, nulla corporalia remanebunt nisi que habent ordinem ad incorruptionem, talia | autem sunt primo et principaliter corpora π422ra  
 130 celestia, que secundum quodlibet sui sunt incorporalia; set ab istis non affligentur dampnati pena corporali, quia non contingentur ab eis; elementa autem sunt incorruptibilia secundum se tota sic intelligendo quod numquam aliquod elementum secundum se totum fuit simul corruptum nec umquam sic corrumpetur quantumcumque  
 135 mundus duraret, quamuis quodlibet elementum posset corrumpi et quotidie corrumpatur secundum aliquid sui, scilicet secundum extremitatem qua contingit alterum elementum sibi contrarium; omnia autem mixta preter hominem sunt secundum se tota et secundum quodlibet sui corruptibilia, et ideo nichil eorum remanebit  
 140 post resurrectionem nisi que dicta sunt, scilicet corpora celestia, elementa, homo, et sic solum ab elementis poterit homo affligi secundum predictas penas.

[8] Quod autem dicitur in Ps. *sulphur et spiritus procellarum* pertinere ad penam dampnatorum, intelligendum est per  
 145 adoptionem, quia locus inferni erit fetidus et turbulentus, affligentur nichilominus dampnati ab inferiori, quia secundum euangelium *ibi erit fletus et stridor dentium*. De stridore dentium, qualiter posset esse ibi, non est difficile. Set de fletu aduertendum est quod cum *in fletu sint duo, scilicet resolutio lacrimarum* et conturbatio *capitis et maxime*  
 150 *cerebri et oculorum* propter humorum commotionem, *quantum ad primum non erit fletus in dampnatis, quia* cum corpora eorum sint finita, si ab eis continue resoluarentur lacrimae, tandem totaliter consumerentur, cum non fiat in eis aliqua restauratio per sumptionem alimenti; set *quantum ad secundum erit in eis fletus*  
 155 *perpetuus et perpetua perturbatio capitis, cerebri et oculorum ex inordinata humorum commotione. Et sic patet primum.*

[9] Quantum ad secundum, scilicet de comparatione illarum penarum dicendum est quod si comparemus penam spiritualem, que dicitur pena uermis, penis corporalibus, sic ipsa est maior simpliciter

143 sulphur ... 144 dampnatorum] cf. Ps., 11,6

146 ibi ... 147 dentium<sup>1</sup>] Matth., 8,12; 13,42.50; 22,13; 24,51; 25,30; Luc., 13,28

148 cum ... 156 commotione] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 4, 1, resp. 1 (492a); Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, sol. 3 (570a)

et grauior ceteris, quia quanto bonum aliquod est maius et 160  
delectabilius, tanto priuatio eius est peior et tristabilior; set bonum  
quod priuatur per penam uermis, scilicet uisio Dei, est maius et  
delectabilius quocumque bono corporali <et sensibili; ergo pena  
uermis, que hoc bonum priuat, est maior, peior et tristior quacumque  
pena corporali>. Ad hoc sunt auctoritates CRISOSTOMI prius posite, 165  
in questione qua queritur de passione anime ab igne, quamuis nobis  
nunc existentibus in carne contrarium uideatur, propter hoc quod  
magis nunc iudicamus secundum sensum quam secundum  
intellectum.

Si autem comparemus penas corporales adinuicem, sic inter eas 170  
pena ignis est maior, quia quod est magis actiuum est magis  
afflictiuum; set ignis est maxime actiuus; ergo maxime afflictiuus. Et  
propter hoc cetere pene corporales frequenter tacentur in Scripturis  
expressa sola pena ignis, quia in ea tamquam in grauissima omnes alie  
intelliguntur. 175

[10] Ad argumenta in oppositum. Ad primum dicendum quod  
uarietas penarum corporalium non prestat refrigerium, set auget  
supplicium, et tales sunt omnes pene dampnatorum excepta pena  
ignis respectu pene aque et econuerso, de quibus dicendum est quod  
uarietas talium penarum non prestat refrigerium nisi quando 180  
paulatiue receditur ab una et transfertur ad alteram. Si autem subito  
uel quasi subito transeat de summo unius pene ad summum  
alterius pene, tunc non est refrigerium, set mutatio supplicii in  
supplicium.

[11] Ad secundum dicendum quod non est simile de purgatorio et 185  
de inferno, quia pena purgatorii ordinatur solum ad purgandum per  
satisfactionem pene, que purgatio optime potest fieri per ignem, quia  
maxime purgatiuus; set pena inferni est ad affligendum dampnatos  
propter executionem iustitie, qui sicut peccauerunt contra Dominum  
omnium nec penituerunt, ab omnibus debent aliquo modo affligi, 190  
quod fit per penas supra dictas.

165 Ad ... posite] cf. supra, 44, 11, 9 (113,118-123)

177 uarietas ... 184 supplicium] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, 1, ad 3 (569b)

185 non ... 189 iustitie] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 50, 5, ad 2 (243va)

non ... 191 dictas] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, 1, ad 2 (569b)

189 peccauerunt ... Dominum] *Sof.*, 1,17

163 et ... 165 corporali] *suppl.*: om. π

## QVESTIO SECVNDA

VTRVM DAMPNATI VELLENT PLVS NON ESSE QVAM ESSE IN MISERIA  
PENE

[1] Secundo queritur utrum dampnati uellent plus non esse quam esse  
5 in miseria pene. Et arguitur quod sic, quia miseria dampnatorum  
excedit omnem penalem miseriam huius mundi; set ad uitandum | π422rb  
miseriam huius mundi aliqui appetunt rationabiliter non esse; ergo  
fortiori ratione dampnati appetunt non esse ad fugiendum miseriam  
sue pene. Minor probatur per illud quod habetur Eccl i. 41: *O mors*  
10 quam *bonum est iudicium tuum homini indigenti et qui minoratur*  
*uiribus et defecto etate* etc.

[2] Item super illud Ier. 20: *Maledicta dies in qua natus sum*,  
glossa dicit quod *melius est non esse quam male esse*, et Mat h. 26 de  
Iuda: *bonum illi esset, si natus non fuisset*, quod dicitur propter  
15 miseriam pene ad quam reseruatur; ergo uidetur quod dampnati plus  
debeant uelle omnino non esse quam sic esse.

[3] Ad idem est quod dicitur Apoc. 9: *In diebus illis desiderabunt*  
*homines mortem et fugiet ab eis*.

[4] In contrarium uidetur illud quod dicit AVGVSTINVS III De  
20 libero arbitrio: *Considera quam bonum est esse quod etiam beati*  
*et miseri uolunt. Maius enim est esse et esse miserum quam omnino non*  
*esse*; igitur non esse non est magis eligendum quam miserum esse, set  
potius econuerso.

6 ad ... 9 pene] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, sed contra 3 (491a)

9 O ... II etate] *Eccli.*, 41,3-4

12 Maledicta ... sum] *Ier.*, 20,14

13 melius ... esse<sup>2</sup>] Hier., *In Hieremiam*, IV, 28, 4 (194,24); *Glossa ord. Matth.*, 26, 24 (80a)

14 bonum ... fuisset] *Matth.*, 26,24; ap. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, sed  
contra 2 (491a)

17 In ... 18 eis] cf. *Apoc.*, 9,6; ap. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 50, 3, sed contra (240va);  
Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, sed contra 1 (491a)

19 dicit ... 22 esse<sup>3</sup>] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, arg. 1 (491a)

20 Considera ... 21 uolunt] Aug., *De lib. arb.*, III, 7, 20 (287,13-15); ap. Anon. Vat., *Super*  
*Sent.*, IV, 50, 3, arg. 1 (240rb)

21 Maius ... 23 econuerso] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 50, 3, arg. 2 (240rb-va)

12 Ier] Hiero. π

[5] Item De ciuitate Dei dicit quod hii qui sibi plane miserrimi uidentur et sunt, si quis eis immortalitatem daret qua non ipsa miseria fnietur, exultarentur letitia, et sic potius eligerent esse quam non esse; ergo idem est in dampnatis. 25

[6] Responso. Sciendum est quod duplex est miseria, scilicet culpe et pene, et secundum unumquemque modum questio habet difficultatem. Set de miseria culpe per comparisonem ad non esse dictum fuit prius, cum ageretur de contritione; de miseria autem pene, licet aliquid prius dictum fuerit tunc, tamen hic amplius nunc dicitur. Est ergo aduertendum quod AVGVSTINVS tractat questionem istam III De libero arbitrio, ubi primo destruit quorundam sententiam quam reputat falsam; deinde determinat ueritatem secundum opinionem propriam. 30 35

[7] Quantum ad primum dicit quod aliqui dicebant quod non esse est magis eligendum quam penale esse, set quod modo contrarium contingat, scilicet quod aliquis magis eligat penale esse quam non esse, prouenit ex duplici causa: una, quia diceret aliquis miser existens quod magis uult miser esse quam omnino non esse, ne post non esse sit miserior quam nunc; et sic non prefert miserum esse ei quod est non esse, set prefert maiorem miseriam minori. Alia causa est quia posset aliquis dicere: 'Malo me miserum esse, quia iam sum miser et non possum michi aliter consulere. Si autem prius quam fuisset, potuissem michi aliter consulere, eligissem potius non esse quam miserum esse. Nunc autem, quia timeo non esse, ad ipsam miseriam pertinet qua nunc illud quod uelle non deberem magis uolo. Magis enim non esse quam miserum esse uelle deberem. Nunc autem fateor me quidem malle miserum esse quam nichil, set stultius illud uolo quanto miserius'. 40 45 50

[8] Contra hanc duplicem causam arguit AVGVSTINVS. Et primo contra primam, quia miseria post non esse non est aliquid aliud quam non esse. Et ideo qui uult potius esse miserum quam non esse ne sit

24 qui ... 27 esse] cf. Aug., *De ciu. Dei*, XI, 27 (346,3-10); Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, arg. 5 (491a)

30 miseria ... 31 contritione] cf. supra, 17, 5 (339vb-340vb)

37 quod<sup>1</sup> ... 50 miserius] Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (158,28-159,42); cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 6-7, 18-20 (285-287)

40 miser ... 42 nunc] cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 6, 19 (286,18-20)

44 Malo ... 50 miserius] cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 7, 20 (286,1-8)

52 quia ... 54 esse<sup>1</sup>] Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (160,66-69); cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 6, 19 (286)

miseria ... 56 aliud] cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 8, 22 (288,3-8)

*miserior post non esse*, non uult aliquid aliud quam miserum esse ne  
55 omnino incurrat non esse, et sic preferet miserum esse ei quod est non  
esse secundum se et non propter aliud.

Contra secundam causam arguit quia ipsa se ipsam interimit; qui  
enim dicit quod stulte magis uult miserum esse quam non esse,  
ostendit se errare, quod est cuilibet fugiendum; ergo dicens se plus  
60 uelle miserum esse, quia iam miser est et hoc uitare non potest, quam  
uelle omnino non esse nullam assignat rationem, quare miser existens  
plus uult sic esse quam omnino non esse, quam si non existeret miser  
et posset sibi contra miseriam consulere incurrendo non esse.

[9] Postmodum AVGVSTINVS ponit sententiam suam *et distinguit* de  
65 uoluntate, *ut scilicet est natura et ut est deliberatiua* uoluntas. Vt est  
natura *nullo modo potest appetere non esse*. Et hoc est de se satis  
manifestum, quia desiderium naturale est propter quietem; in non  
esse autem non potest esse quies nature, quia non esse naturam  
interimit, et ideo naturali desiderio nullus potest appetere non esse ad  
70 uitandum quodcumque penale esse, quia natura non odit penale  
<esse> nisi propter desiderium quietis ab illa pena. Vnde dicit: *Si* |  $\pi 422va$   
*quis dicat 'Non esse magis quam miserum esse uellem', respondebo:*  
*Mentiris, quia cum esse miserum nolis, esse tamen uis'. Si autem*  
*uoluntas eligat aliquid ut deliberans, tunc aut sequitur rationem rectam*  
75 *aut rationem falso errore* deceptam. Si sequatur rationem rectam, tunc  
dicendum est quod miserum esse quacumque miseria pene magis est  
eligibile quam omnino non esse. Quod patet primo sic: omne illud  
*quod aliquis recte preeligit necesse est, quod cum ad illud peruenerit,*  
*quod melior fiat* quam esset habendo aliud quod refugit; set ille qui  
80 peruenit ad omnino non esse, non est melior quam si esset miser,  
immo deterior, si recte dici possit, quia miseria non tollit omne

57 Contra ... 63 esse] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (160,70-77); Aug., *De lib. arb.*, III, 8, 22 (288,14-22)

64 et ... 65 uoluntas] Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (161,83-84); Aug., *De lib. arb.*, III, 8, 23 (288-289)

65 Vt ... 71 pena] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (161,85-90)

71 Si ... 73 uis] Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (161,90-92); cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 6, 18 (286,8-12)

73 Si ... 75 deceptam] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (161,93-94)

77 omne ... 83 recte] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, arg. 4 (491a); Aug., *De lib. arb.*, III, 8, 22 (288,11-14)

71 esse] *suppl.: om. π*

bonum sicut non entitas; ergo qui eligit non esse potius quam esse miserum, non eligit recte.

Item *miseria non est mala nisi inquantum* tollit aliquod bonum; set omnino *non esse plus tollit de bono quam miserum esse; ergo peius est* 85 non esse simpliciter quam miserum esse *et magis fugiendum*.

Item secundum ARISTOTILEM IX *Ethicorum*: *Amabile simpliciter quidem bonum, unicuique autem bonum proprium*, nullus igitur amat seu eligit sibi aliquid nisi existimet illud bonum sibi; set nullus potest recte existimare quod non esse sit bonum ei, neque 90 positue, ut de se patet, neque priuatiue seu negatiue; ergo non esse nullo modo potest pro quocumque eligi. Minor probatur quantum ad partem dubiam, quia quod est bonum alicui quocumque istorum modorum supponit ipsum esse, aliter non esset bonum ei magis quam cuiusque alii; omnino autem non esse nichil supponit, set 95 totum destruit; quare etc.

[10] Si autem uoluntas sequatur rationem erroneam, sic potest preeligere non esse ei quod est miserum esse; quod potest contingere dupliciter: uno modo quando propter urgentem miseriam aliqui non uolunt esse in miseria et ideo se interimunt existimantes se habere 100 quoddam esse occultum, in quo non habeant nec bona huius mundi nec patiantur miseras, quod putant quoddam melius esse. Vnde AVGVSTINVS ubi supra dicit quod aliqui *urgente miseria sese interimunt, eo quod confugiunt ubi melius fore putauerunt*. Alio modo potest hoc contingere quando aliquis propter uehementiam miserie 105 incidit in tantam perturbationem et obnubilationem rationis quod credit omnino non esse melius fore quam in miseria esse. Quod est absurdum, cum priuatio mali non sit bona nisi propter assecutionem boni oppositi; non essendo autem non est assecutio alicuius boni qualitercumque possit confingi; et ideo talis nichil eligit, propter 110 quod erronea est electio eius tamquam nichil eligentis, sicut concludit AVGVSTINVS.

84 miseria ... 86 fugiendum] cf. Petr. de Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 3, 3, arg. 6-7 (491a)

87 Amabile ... 88 proprium] Arist., *Eth. Nic.*, VIII, 7, 1157b27; cf. Thom., *Super Sent.*, III, 29, 1, sol. (924)

103 urgente ... 104 putauerunt] Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (162,9-10); cf. Aug., *De lib. arb.*, III, 8, 22 (288,15-16)

104 Alio ... 107 esse<sup>2</sup>] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (162,10-15)

111 erronea ... eligentis] cf. Henr. de Gand., *Quodl.*, I, 20, sol. (162,15); Aug., *De lib. arb.*, III, 8, 22 (288,18-19)

[11] Ad argumentum in oppositum dicendum ad primum quod eligentes non esse propter miseriam presentis uite uel future sequuntur rationem erroneam, et quod dicitur in contrarium per illud *E c c l i*. 41: *O mors* etc., dicendum est quod Scriptura loquitur de fidelibus qui post esse presentis uite expectant esse in alia uita, et talibus, si sint in miseria pene, solum optandum est non esse in hac uita ut habeant melius esse in alia, unde non desiderant se non esse magis quam miseros esse, set desiderant non esse in miseria presentis uite ut habeant esse quietum in alia uita. Et hoc patet per idem quod alibi dicitur *E c c l i*. 30: *Melior est mors quam uita amara*, et subiungitur quasi pro expositione: *et requies eterna quam languor perseuerans*. Si uero sint in miseria culpe et in ea perseuerent, ut loquitur expresse auctoritas, bona esset eis mors et eligenda, ne accumulacione delictorum mererentur maiorem miseriam et non propter hoc quod debeant magis omnino eligere se non esse quam miseros esse.

[12] Ad secundum dicendum quod non omnes glosse tenentur nec teneri debent, tamen illa glossa *I e r*. 20 potest exponi de malo culpe et non de malo pene, quamuis autem de malo culpe et de simpliciter non esse, an sit preeligendum uel qualiter, an non, prius dictum fuit. Quod autem additur de Iuda quod *bonum illi erat si natus non fuisset*, potest dici quod uerum est sub hoc sensu, quia si natus <non> fuisset, set solum conceptus, non habuisset nisi peccatum originale nec meruisset nisi penam dampni puerorum, que *est mitissima*; meruit autem postea per peccata sua actualia grauissima grauissimam penam sensus dampnatorum. Si quis uero dicat quod non solum intelligitur de natiuitate, set de conceptione, ac si Iudas omnino nichil fuisset et quodammodo melius fuisset ei omnino non esse

116 O mors] cf. *Eccli.*, 41,3-4

122 Melior ... 124 perseuerans] *Eccli.*, 30,17

131 de<sup>2</sup> ... 132 non<sup>2</sup>] cf. supra, 7 (276-277); 17, 5 (339vb-340vb)

133 bonum ... fuisset] *Matth.*, 26,24

136 que ... mitissima] cf. Aug., *Enchir.*, XXIII, 93 (99,133-135); uide etiam Iulian., *Prognosticon*, III, 42 (113,3-4); Beda, *In Cant.*, Prol. (179,482-484); *In Luc.*, IV, 12 (260,1183-1185); Petr. Abael., *In epist. ad Rom.*, II, 5, 19 (169,543-544); *Sic et Non*, 158, 1 (527,3-5); Lomb., *Sent.*, II, 33, 2, 4 (520,4-5); Thom., *Cat. aur. in Luc.*, 12, 12 (189a); *Super Sent.*, II, 33, 2, 1, sed contra 1 (859); IV, 45, 1, 2, 3, arg. 2 (361a); *S.th.*, I-II, 87, 5, arg. 2

120 desiderant] *coni.*: desinant  $\pi$  122 30] 2  $\pi$  130 20] 22  $\pi$  132 qualiter] *coni.*: equaliter  $\pi$  134 non] *suppl.*: om.  $\pi$

*π422vb* quam peccasse, aduertat | primo an chymere possit aliquid melius  
 esse quam cuicumque misero, et secundo, quia non loquimur de  
 miseria culpe, de qua euuangelium loquitur, de qua dictum fuit prius,  
 set de miseria pene pro qua Iudas non fuisset deterior  
 quantamcumque sustinuisset, quam si omnino nichil fuisset. 145

[13] Ad aliud dicendum quod dampnati desiderant mortem seu  
 non esse, sicut in A p o c . dicitur; tamen hoc est secundum rationem  
 erroneam et obnubilatam, quod concessum est.

### QVESTIO TERTIA

#### VTRVM BEATI VIDEANT PENAS DAMPNATORVM

[1] Tertio queritur utrum beati uideant penas dampnatorum. Et  
 uidetur quod non, quia mali non uident gloriam bonorum, ergo  
 beati non uident penas malorum. Consequentia patet per simile. 5  
 Probatio antecedentis, quia *quod conceditur sanctis in hac uita pro*  
*spirituali gratia, non uidetur concedi dampnatis; set Paulo pro magno*  
*munere et speciali gratia fuit concessum ut uideret illam uitam in qua*  
*sancti beate uiuunt, ut dicitur in glossa I C o r . 12; ergo non conceditur*  
 dampnatis uidere gloriam bonorum. Et hoc fuit antecedens. 10

[2] Item, si beati uiderent penam dampnatorum, aut eis  
 compaterentur aut de eis gauderent. Primum non potest dici, ut  
 uidetur, quia omnis compassio includit passionem; set in beatis nulla  
 erit passio, quia passio penam habet; ergo nec erit in eis compassio.  
 Nec secundum potest dici, quia gaudere de malo alterius uidetur esse 15  
 contrarium caritati; set beati sunt perfecti in caritate; ergo non  
 possunt de penis dampnatorum gaudere. Igitur nullo modo uident  
 penas eorum.

146 dampnati ... 147 esse] cf. *Apoc.*, 9,6

6 quod ... 10 bonorum] Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 2, 3, arg. 2 (567a); cf. Petr. de  
 Tarant., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, arg. 3 (489a) et ad 3 (489b)

11 si ... 18 eorum] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 4, 2, arg. 1 (571a)



[3] In contrarium est quod dicitur Is. ult.: *Egredientur et uidebunt*  
 20 *cadauera eorum qui preuaricati sunt in me*, ubi dicit glossa, quod *electi*  
*egredientur intelligentia uel uisione manifesta ad uidendum* penas  
 dampnatorum, *ut ad laudem Dei magis accendantur*.

[4] Responsio. Circa questionem istam uidenda sunt duo. Primum  
 est utrum beati uideant penas dampnatorum, secundum est utrum de  
 25 eis doleant an letentur.

[5] Quantum ad primum sciendum est quod duplex est uisio,  
 scilicet corporalis et intellectualis, et utramque uisionem possunt  
 habere beati, et probabile est quod corporalem uisionem habeant de  
 penis malorum. Ad uisionem enim corporalem non requiritur nisi  
 30 presentia obiecti et dispositio mediū et organi; set illa possunt  
 concurrere respectu uisionis corporalis in beatis respectu pene  
 dampnatorum; ergo talis uisio est possibilis. Minor declaratur, quia  
 constat quod organum uisus in beatis est optime dispositum, ipsi  
 etiam possunt appropinquare ad locum ubi puniuntur dampnati, et  
 35 probabile est quod quandoque appropinquent ut habeant de  
 punitione eorum non solum simplicem intelligentiam, set uisionem  
 manifestam; medium etiam quod sufficit dampnatis ad hoc ut alter  
 alterum uideat, sufficit beatis ad hoc ut uideant eos in penis; quare  
 etc. Set quia hanc uisionem corporalem non habebunt beati in celo  
 40 propter distantiam localem que eos impedit, ideo oportet ponere in  
 eis alteram uisionem, scilicet intellectualem. Quod patet sic: nichil  
 quod est perfectionis subtrahendum est beatis, et maxime si  
 ordinatur ad laudem Dei; set quod beati cognoscant penas malorum,  
 hoc pertinet ad perfectionem glorie eorum, quia *unumquodque ex*  
 45 *comparatione sui contrarii magis cognoscitur*, et si sit bonum et  
 contrarium sit malum, amplius commendatur; est etiam materia  
 laudis diuine, dum sancti per gratiam Dei euaserunt penas quas  
 miseri incurrerunt; ergo ut beatitudo sanctorum eis magis placeat et

19 quod ... 22 accendantur] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 4, 1, sed contra (571a)  
 Egredientur ... 20 me] *Is.*, 66,24

20 electi ... 22 accendantur] *Glossa ord. Is.*, 66, 24 (98a)

29 Ad ... 30 organi] cf. supra, II (21), 3, 5, A34 (165,520-521); A27 (159-160)

41 nichil ... 50 cognoscant] cf. Anon. Vat., *Super Sent.*, IV, 50, 6, 1 (244rb)

44 unumquodque ... 49 agant] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 4, sol. 1 (571b)

42 beatis] *coni.*: beati π

ut de eis uberiores gratias Deo agant, rationabile est quod penas  
malorum cognoscant. 50

[6] Quantum ad secundum dicendum quod beati nullo modo  
compatiuntur pene dampnatorum, quia omnis compassio uel est  
secundum passionem uel secundum electionem; set nullo istorum  
modorum erit compassio in beatis de penis malorum; ergo etc. Maior  
patet; compassio enim dicta secundum passionem est motus 55  
*π423ra* appetitus sensitiui | preueniens rationem per quam aliquis condolet  
alteri, quasi simul patiens cum eo; passio autem dicta secundum  
electionem est actus uoluntatis sequens rationem per quam uolumus  
subuenire alterius miserie, et hec compassio potest esse sine aliquo  
motu appetitus sensitiui consequente; ponitur enim in Deo et in 60  
angelis, in quibus non est appetitus sensitiuus, et potest esse cum  
motu appetitus sensitiui, sicut est in nobis, in quibus appetitus  
sensitiuus frequenter sequitur imperium rationis et uoluntatis. Et  
preter hos duos modos non est dare tertium. Minor declaratur,  
scilicet quod secundum neutrum istorum modorum sit compassio in 65  
beatis respectu pene malorum: non primo modo, quia in beatis  
appetitus sensitiuus est plene subiectus rationi, ita quod numquam  
peruertat imperium rationis, et ideo non erit in eis aliqua compassio  
dicta secundum passionem primo modo; nec secundo modo, quia  
solum compatimur illis compassione dicta secundum electionem 70  
quorum malum repellere uolumus; set mala uel penas reproborum  
beati repellere nolunt, quia quamuis pro statu presentis uite homines  
possunt absque preiudicio diuine iustitie transferri a statu miserie et  
peccati et ideo beati possint ad eos habere compassionem dictam  
secundum electionem, tamen dampnati absque preiudicio diuine 75  
iustitie non possunt transferri a miseria; et ideo secundum rectam  
rationem non potest ad eos haberi compassio secundum electionem;  
quin potius beati non solum eis non compatiuntur, uerum etiam de  
penis eorum gaudent, non secundum se, quia gaudium non potest  
esse de malo ut sic, set ratione diuine iustitie, quam uident in eis 80

51 beati ... 82 liberationis] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 4, sol. 2 (571b-572a)

55 compassio ... 56 sensitiui] cf. e.g. Thom., *De malo*, 10, 2, arg. 2 (219,8-9); *S.th.*, I-II, 31, 1, resp.; Ioh. Dam., *De fide orth.*, II, 22 (132,8-9)

59 hec ... 61 sensitiuus] cf. Thom., *S.th.*, I, 21, 3, resp.; *S.th.*, I-II, 24, 3, arg. 2; Aug., *De ciu. Dei*, IX, 5 (254,35-37)

79 gaudium ... 80 sic] cf. e.g. Thom., *S.th.*, I-II, 25, 4, resp.; *Super Sent.*, III, 26, 1, 3, sol. (821)

impleri, secundum illud Ps.: *Letabitur iustus cum uiderit* etc., et ratione sue liberationis.

[7] Ad primum argumentum dicendum quod antecedens non est uerum. Videbunt enim mali gloriam beatorum et uisione corporali  
 85 quantum ad gloriam corporis; probabile enim est quod in die iudicii beati appareant in aliqua claritate insinuante gloriam corporis et hanc poterunt uidere mali; et quia corpus non glorificabitur nisi anima prius et simpliciter glorificetur, ideo perpendent cognitione intellectuali bonos esse in quadam gloria inestimabili quantum in  
 90 speciali non cognoscent; post diem etiam iudicii, quamuis dampnati corporaliter non uideant beatos existentes in celo, recordabuntur tamen glorie tam corporis quam anime quam in eis uiderunt et cognouerunt, et hoc erit eis ad tormentum. Nec ualet quod dicitur de Paulo quia illi communicatum fuit uidere gloriam bonorum  
 95 experimentaliter; habuit enim in transitu eandem uisionem quam habent beati, quod fuit maxime gratie; set dampnati non habebunt talem cognitionem, set solum cognoscent in generali quod beati sunt in quadam gloria inestimabili. Consequentia etiam non ualet, quia cum cognitio pertineat ad perfectionem, non oportet si cognitio pene  
 100 dampnatorum concedatur beatis, qui erunt perfectissimi, quod etiam cognitio glorie bonorum concedatur dampnatis, qui erunt imperfecti et miserimi.

[8] Ad secundum dicendum est quod quantum est ex forma arguendi, non oportet quod, si beati uideant penas dampnatorum,  
 105 quod eis compatiantur uel de eis gaudeant; multorum enim penas uidemus de quibus nichil curamus; concedendum est tamen quod beati gaudent de penis dampnatorum modo quo dictum est. Nec illud est contrarium caritati, quia non gaudent de penis eorum secundum se, set quia uident in eis impleri ordinem diuine iustitie,  
 110 cui sunt perfecte et totaliter addicti; caritas autem respicit principalius Deum quam proximum, quia obiectum | eius est π423rb  
 summum bonum, quod est principium a quo sumus et finis ad quem tendimus, *qui est Deus benedictus in secula. Amen.*

81 *Letabitur ... uiderit*] Ps., 57,11

94 Paulo ... 95 experimentaliter] cf. Thom., *Super Sent.*, IV, 50, 2, 3, ad 2 (568a)

110 caritas ... 111 proximum] cf. supra, III, 29, 2 (264ra-265rb)

113 qui ... Amen] *Rom.*, 1,25

96 set] *coni.*: seu π

CONCLVSIO OPERIS ET DE MODO AC TEMPORE QVO AVCTOR OPVS HOC  
PRESCRIPSIT

Scripta super quatuor Sententiarum libros iuuenis inchoaui, set senex  
compleui, siquidem quod in primis dictaueram et scripseram, fuit a  
quibusdam curiosis michi subreptum antequam fuisset per me 5  
sufficenter correctum, propter quod hoc opus solum quod per  
omnes libros incipit: *Est Deus in celo reuelans* etc., tanquam per me  
editum et correctum approbo. Protestationem quoque in principio I  
lib. positam per singulos tres consequentes libros et in singulis  
contentis in eis pro repetita haberi uolo, que incipit circa finem illius 10  
principii ubi dicitur: Et hunc modum Deo adiuuante tenere  
uolumus, et durat usque in finem. Si autem in hoc opere aliquid  
digne laudabiliterque scriptum sit, illi soli sit laus et gloria per quem  
mundo data est gratia et ueritas patefacta. Si uero aliquid minus  
digne laudabiliterque scriptum sit, mee ascribatur imperitie et non 15  
malitie, quia studium meum semper fuit inquirere ueritatem, set quia  
homo sum parui ingenii et exigui temporis, non dubito, immo  
uerissime presumo quod in dictis meis multa poterunt inueniri que  
meliori iudicio poterunt corrigi et melius emendari. Quod opto et  
oro fieri per talem qui sit ueritatis amator et non emulus reprehensor, 20  
ut tam opus meum quam correctio operis cedat ad honorem Ihesu  
Christi qui dicit: *Ego sum ueritas, et in hoc natus sum et ad hoc ueni in  
mundum, ut testimonium perhibeam ueritati, qui est Deus benedictus in  
secula seculorum. Amen.*

Finitur scriptum super quartum et ita super omnes quatuor libros 25  
Sententiarum, compilatum et diligenter recognitum finalique manu  
imposita consummatum et editum per fratrem Durandum de sancto  
Porciano doctorem sacre theologie Ordinis celeberrimi Fratrum  
Predicatorum et Meldunensis Aniciensis ecclesiarum episcopum et  
rectorem. 30

Deo sit laus et gloria.